This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08232053 6

NT
(Ussing
Plau

T. MACCII PLAUTI

COMOEDIAE.

1547

RECENSUIT ET ENARRAVIT

IOANNES LUDOVICUS USSING.

VOLUMEN SECUNDUM
AULULARIAM BACCHIDES CAPTIUOS
CURCULIONEM CONTINENS.

HAVNIÆ MDCCCLXXVIII.

SUMPTIBUS LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ (HEGELIORUM PATRIS ET FILII).

TYPIS EXCUDERUNT JOERGENSEN ET SOCII.

171

Præfatio.

Quum primum huius editionis volumen ederem, nihil præfationis addidi nisi epistolam, qua magistro dilectissimo librum dono dedi; iam præfandi non occasionem solum præbuerunt, sed prope necessitatem mihi imposuerunt iudicia in Germania de meo libro facta. Quorum quum non parvus numerus sit, ea tamen fere omnium similitudo est, ut facile appareat ab eadem disciplina profecta esse. Ego vero Ritschelio et discipulis eius librum meum placiturum esse numquam speraveram, quippe quem magnam partem ideo composuissem, quia ab eorum iudicio et ratione abhorrerem. Itaque non pauca provideram fore ut iis prava et vitiosa viderentur, nec si quid incuria aut omisissem aut errassem, eos latere posse credideram*). Illud miratus sum, quod, quæ minime obscure proposueram, critici interdum non intellexerint, velut quum vitii indicandi causa Arg. Amph. II, 9 „versum septem iamborum“ esse dixissem, Asinariæ autem v. 329 „pede breviorem“, Ritschelius (Mus. Rhen. XXXI, p. 550) tales versus me probasse queritur, quasi non satis appareat,

*) Huius generis quæ animadverterunt, grato animo agnosco. Pleraque, quum minoris momenti sint, seposui, ut in altera editione, si umquam apparebit, emendentur; non omnia iure mihi obiecta esse, hæc, ut opinor, præfatio probabit; duo iam hic emendata velim. Vol. I, p. 157 v. 17 sq. post „videtur“ scribendum est: „217. *Dispertiti*. Molossus pro cretico, ut in proximo versu *Nos nostras*“. P. 363 ad 132 scribi volueram: „Ex quattuor pedibus, qui pæones aut cretici esse debuerunt, duo priores choriambi sunt“.

illum me reliquisse, quia corrigendi ratio incerta esset, Asinariæ autem versum non ipse dixerim lacunosum mihi videri. At, inquit, non videtur, sed est. Immo corruptum esse affirmari potest; utrum lacuna an alia corruptela laboret, dum persanatus sit, affirmari non potest. Magis etiam admirandum est, quod, qui primus in arenam descendit, Fr. Schoellius (Jenaische Litteraturzeitung 1876, art. 243) inde accusationem orsus est, quod librum Madvigio dedicavi. Quis Germanorum non idem fecisset? An Germanis solis gratis esse licet? Nam quod dicit me huius maxime operis Madvigio summum iudicium detulisse, id me non scripsisse, qui epistolam meam legerit, videbit. Quamquam hoc ipsum non adolescentes solum delectavit, sed etiam virum de litteris longe melius meritum, Lehrsium, qui, quum librum meum numquam vidisset, Schoelliano convicio ita gavisus est, ut id vehementer omnibus commendaret (Königsberger Monatsblätter 1876, p. 71). Sed quoniam tam docti viri, quid voluerim, sæpe non intellexerunt, ne consilium meum etiam aliis lectoribus obscurum maneat, quid secutus sim, quam brevissime repetam et defendere conabor.

Quod ipse, quum adulescens ad Plautum accederem, desideraveram, idem alios desideraturos putabam, commentarium quidquid obscuri et insoliti esset explicantem, editionem ita emendatam, ut ab optimis codicibus numquam nisi necessario discederetur, itaque comparatam, ut, quidquid ratione cogente correctum esset, primo adspectu appareret. Itaque quum multitudine variarum scripturarum sæpe verum obscurari vidissem, has quam paucissimas contextui subnectendas duxi iis, quæ præterea necessaria erant, in commentarium reiectis. In Plauto autem quod perpaucis codicibus contenti esse possumus, Ritschelii acumini debemus. Equidem præter palimpsestum duorum tantum integram varietatem apposui, codicis B in omnibus, C in duodecim posterioribus fabulis. Vituperant critici, quod non Ursiniani quoque (D) testimonia addiderim, maxime Götzius, Annal. phil. 1876, p. 351 sqq., qui, si codicem Britannicum (J), quem in Analectis Plautinis a. 1877 editis p. 71 sqq.

accurate descripsit, tum novisset, huius quoque varias scripturas, sine dubio desiderasset. Ursinianus autem, ut in prolegomenis p. 154 dixi, „in posterioribus fabulis fere geminus est codici C, in prioribus ita cum B consentit vel in levissimis rebus, velut vocibus perperam divisis, et in erroribus manifestis, ut ex ipso cod. B descriptus possit videri“. Quæ quam vera sint, ex accurata illa Aululariæ collatione, quam Lorenzius in programmate gymnasii Coloniensis 1872 edidit, perspici potest. Nam pleraque, quæ in D rectius scribuntur quam in B, eius generis sunt, quæ vir sani iudicii et mediocriter doctus invenire potuerit; non nulla non ex ipso B sed e communi fonte fluxisse videntur*). Itaque nec nunc affirmo nec tunc affirmavi, codicem D ex B descriptum esse; sed ea, quæ in D rectius scribuntur, utrum correctoris ingenio an communi archetypo debeantur, non semper diiudicare possum, nec fieri potest, ut non codici B, qui ab imperito homine scriptus est, multo maior auctoritas tribuatur. Similia de I dici possunt, nisi quod is et negligentius scriptus est et temporis iniuriam gravius passus est. Quare quum hos codices multo minoris momenti esse vidissem, nec codicis D, qui aliquatenus iam notus erat, novam mihi collationem comparavi, nec codicis I eam, quam ipsi feceram, lectoribus obtrudere volui. Non necesse mihi videbatur integram eorum scripturam afferri, modo quæ opus essent inde deprompta in commentario commemorarentur. Integram afferant, qui soli rei criticæ operam dant; ego editionem commentarii mole oneratam in apparatu critico parcam esse volui. Codicis autem B scripturam eam adnotavi, quæ primæ manus est; quæ postea addita aut correcta sunt, in commentarium relegavi, v. Proleg. p. 158; nec nunc aliter facere me debuisse credo. Magis dubitari potest, rectene fecerim, quod ea omiserim, quæ mere orthographica viderentur, cuius rei fines non semper certi sunt.

*) Velut Aulul. 249: „facito“, ubi B: „scito“. 766: „id“, ubi B: „ut“. Maioris momenti est, quod Capt. 760 verba „exauspicaui ex uinclis“, quæ a B absunt, in D ceterisque extant.

Sed horum quoque quæ necessaria sunt, in commentario invenientur. Fateor igitur, quod in priore volumine (p. 154) fassus eram, apparatum criticum plenum me non præbere; eum, qui lectori sufficiat, præbere me credo. In conferendo autem codice B si quid incuria omisi, veniam precor; admodum negligentem me fuisse non credo; nam quod in prologo Amphitruonis non nulla levissimi momenti desiderantur, ea in schedis meis extant, sed dum eadem sæpius retractata typothetarum causa describuntur, exciderunt.

Contextum autem edere volui quam fidelissimum, i. e. ea, quæ tradita sunt, ita exhibentem, ut, quæcumque probabiliter emendari possent, corrigerentur, ubi nulla certa emendatio inventa esset, vitium relinqueretur, emendandi conatus in commentario afferrentur. Eiusmodi locos editores cruce signare solent. Hoc signo usus sum, ubi ipsa sententia aut prava esset aut intelligi non posset; ubi sententia sana, numeri corrupti viderentur, non posui; nam leviorem eam dico depravationem, quæ sententiæ loci non noceat. Quamquam in his quoque si una aliqua non improbabilis emendandi via ostendebatur, eam fere secutus sum, si plura fere æque veri similia tentata erant, codicum scripturam in textu posui, emendationes in commentarium reieci, lectoribus eligendi faciens potestatem. Multis hoc displicuisse video; nec sententias solas verum etiam versus omnes emendandos esse clamant. Quod quum Ritschelius et eius discipuli facere conati essent et ad leges metricas et prosodicas sæpe admodum dubias Plauti versus exegissent, tantam hominum admirationem et tantum imitandi studium excitarunt, ut hoc unum plerique ante omnia spectarent, et existerent, qui in Plauto metricam quæstionem omnium primam et gravissimam esse dicerent. Ego primum quærendum esse dico, quid Plautus dicere voluerit, deinde quibus verbis, extremo loco quibus numeris dixerit; et si duo priora explicata sunt, etiam si in tertio dubitatio restet, ad tempus acquiescendum arbitror; si illis nondum explicatis tertium emendatur, valde vereor, ne vana integritatis specie fallamur. In ipsa arte critica exercenda

metricas rationes et ad vera invenienda et ad falsa evitanda maximi momenti esse neminem fugit; verum quum ea re sæpe certior in poeta quam in prosæ orationis scriptore emendandi via videatur, tamen hic quoque fieri potest, ut in avia nos deducat concinnitatis species et venustatis amor. Me quidem non minus quam ceteros Plautini numeri delectant, nec quisquam ardentius quam ego optat, ut versus quoque Plauti omnes restituantur; sed cupiditati temperandum erat, nec, si hac in re nostra editio Ritschelianis inferior videtur, ignorantiæ aut socordiæ hoc tribuendum est, sed veritatis amori. Segnitiam meam accusant, qui regredi quam progredi maluerim. Quid si illi, qui se progredi putant, in avia deverterunt? nonne iure subsistere eos iubemus et gradus revocare? Ingratum sane hoc opus est, multoque et gratius et facilius foret viam a magistro munitam sequi et lectica gestari quam per inculta tesqua pedibus incedere, nec ego nop possem, si vellem, Plautum sine hiatibus, sine ullo numerorum vitio, sine ulla sermonis discrepantia edere, sed aliud est ludendi tempus, aliud seria agendi, et ubi Plautum non histrionibus in scena agentibus, sed viris doctrinæ studiosis exhibiturus sum, malo lacerum exhibere nec temporum iniuriæ expertem quam eleganti novitatis specie obductum.

Levitatis etiam me insimulant. In statuis aliisque antiquæ artis operibus eorum accusatur levitas, qui recentiorum artificum additamenta ab antiquis non distinguunt limamque omnia levigantem patienter ferunt, et marmoreas artis reliquias hodie omnes clamant se malle mutilas, modo genuinas, quam artificiose restitutas; in Plauto editores sibi putant licere lima omnia levigare, ut nec caries nec situs usquam appareat. Quanto sanior et modestior est archæologorum ars nuper reperta quam philologorum per multa sæcula exercitata! Immo sententiæ emendentur, si fieri potest, quoniam hoc non facto nihil omnino intelligitur; orationis vitia, ubi certus et constans usus est, removeantur; pronuntiandi rationem modeste fateamur

nobis parum notam esse, et in iis, quæ cum ea iuncta sunt, summam adhibeamus cautionem.

Constantiam meam critici requirunt. Ego vero quum constantiam magni faciam, tamen veritati anteponere non audeo, nec constantiæ causa incerta certa facere velim. Non eadem ratione ars critica exercenda est in Plauto et in Cicerone, non solum quia Plauti comœdiæ minus integræ ad nos pervenerunt ac sæpe tam graviter corruptæ sunt, ut leni remedio res agi non possit, sed etiam quia Plautina loquendi ratio minus nota est. Exiguus Plautinarum comœdiarum ambitus est, si cum ingenti Ciceronis corpore comparatur. Quod apud Ciceronem centies eodem modo dicitur, si uno loco aliter scriptum est, mendum confidenter tollimus; apud Plautum qui propter duos aut tres similes locos unum dissimilem, quum utrumque per se recte dicatur, corrigendum censuerit, vix satis caute egerit. An ab editore constantia postulanda est ab ipso Plauto aliena? Video equidem virum doctum et de Plauto bene meritum (O. S. in Philologisch. Anzeig. 1877, p. 92) contendere, paucorum scriptorum esse tam certum et constantem dicendi usum quam Plauti; sed res habemus hac affirmatione potiores; nec tam eorum, qui linguam et orationem primi excoluerunt, esse videtur, ut sibi semper constent aut certis legibus pareant, quam eorum, qui accurata scholarum disciplina instructi et exercitati prodeunt. Exempla afferam, quæ scribenti se obtulerunt; quorum quum fieri possit ut in uno et altero librariorum error sit, tum affirmari nihil potest, et ipsa multitudo variorum exemplorum constantiæ leges Plauto imponi non debere ostendet.

In syntaxi primum apparet quam non legibus adstrictus sit. In interrogationibus obliquis incertis finibus discernitur indicativus a coniunctivo, v. ad Amph. 17; in enuntiationibus relativis ad pronomen indefinitum relatis item, v. ad Amph. 167. Bacch. 64. In sententiis orationi obliquæ interpositis sed proprie ad eam non pertinentibus interdum attractionis quadam vi coniunctivus ponitur, v. ad Amph. 952. Bacch. 658. In hypotheticis interdum variatur modus, v. ad Amph. 696; nec maior constantia

est in temporum consecutione, v. ad Amph. 192. 739. 714; „faxo“ et cum futuro iungitur et cum coniunctivo præsentis et cum „ut“, v. ad Amph. 351. Cum aliis scriptoribus commune est, quod accusativus cum infinitivo ponitur pro „ut“ apud verba effectum et consilium significantia, v. ad Bacch. 1064, „ut“ autem post „iubeo“, v. ad Amph. 202, post „spes est“ et „causa est“, v. ad Bacch. 367 et Capt. 256; item quod interrogandi particula vel omittitur vel ponitur, v. ad Amph. 718; sed maior prope Plauti quam ceterorum licentia esse videtur in verbo substantivo omittendo, vid. ad Amph. 590. 56. 569, et in particula copulativa aut addenda aut tollenda, v. ad Asin. 564. Amph. 13. 891. Capt. 405. Urbium et terrarum nominibus præpositio vel additur vel non additur, v. ad Bacch. 169. Curcul. 206; dicitur „id“ pro „ideo“, „quod“ pro „propter quod“, v. ad Capt. 674; et „quod potero“ et „quoad potero“, v. ad Aul. 252. Dicitur et „e praeda“ et „de praeda“, v. Capt. 34 et 452, et „caue malo“ et „caue malum“, v. ad Bacch. 462. „Onustus“ et cum genetivo et cum ablativo iungitur, v. ad Aul. 603, „similis“ et cum genetivo et cum dativo, v. ad Amph. 595, „dignus“ et alia cum accusativo pronominis, v. ad Asin. 148. Amph. 712. „Carere“, „parcere“, „instare“ interdum accusativum adsciscunt, v. ad Curc. 136. 376. 381; item „conloqui“ v. ad Amph. 335; „uitare“ dativum, v. ad Curc. 298; „onerare alicui aliquid“ dicitur, v. ad Aulul. 190. Præterea nominativus ponitur pro vocativo, v. ad Asin. 648; mire interdum variantur demonstrativa pronomina in eadem persona, v. ad Capt. 543. Dicitur et „mirum est“ et „mira sunt“, v. ad Amph. 279, et „ubi quidque“ et „ubi quidquid“, v. ad Aul. 191. Quum autem dicatur et „pugnam dare“ et „pugnam edere“ (v. ad Capt. 580), quo modo contendi potest, Plautum semper „plaudere“ dixisse, numquam „adplaudere“, v. ad Bacch. extr., semper „apisci“, numquam „adipisci“, v. ad Capt. 482 cum addendis; „lauere“ et „lauare“ semper diversa vi dici, v. ad Curc. 579; verum esse „miser perii“, pravum „misere perii“, v. ad Aul. 713. Bacch. 205? Ordine autem verborum vix fieri potuit quin

in versibus pangendis Plautus interdum liberiore uteretur, eiusque rei pluribus locis exempla attulimus. Vocabula, quæ primum sententiæ locum habere debebant, interdum postponi videmus, velut pronomen demonstrativum, v. ad Amph. 181, „ne“ affirmativum, v. ad Asin. 875, „immo“ ad Aul. 758, „heus“ ad Bacch. 995, atque etiam negandi particula, v. ad Aul. 224. Quid est igitur quod eum negemus dixisse „me num quid uis?“ (Aul. 168) pro „num quid me uis?“ aut „id mihi dice“ (Bacch. 713) pro „dic mihi“, aut „re mala“ (Capt. 203) pro „mala re“, aut „extemplo ubi“ (Curc. 80) pro „ubi extemplo“? Etiam in declinationum formis non nihil variatur, maxime in pronominibus, ubi et „hi“ et „hisce“, et „hæ“ et hæc“ dicitur, v. Schmidt. pron. demonstr., et „qui“ et „quis“, v. ad Curc. 274, et „ibus“ et „iis“, v. ad Curc. 506, et „quibus“ et „quis“, v. ad Curc. 552; „eae“ dativo casu, v. Mil. 350, „illi“, „isti“, „nulli“, „uni“ genetivo, v. Luchs. zur Lehre von der Genetivbildung in Studemundi Stud. II. Quid commemorem genetivos nominum IV declinationis in i, v. ad Aul. 83, aut secundæ in us, v. ad Capt. 820? item primæ in ai disyllabum, Mil. 103 et sicubi restituendum videtur (v. Brix. ad Trinum. 359), quo facile crediderim pertinere etiam „filiai nuptiis“, Aulul. 287. 364. 532. 790, ac sic scriptum esse mallem. In verbis videmus et „edim“ dici et „edam“, et „det“ et „duit“, et „perdant“ et „perduint“, ac fortasse etiam „duas“ pro „duis“ (Aul. 231), quamquam hoc propter errandi facilitatem dubium est. Quid autem frequentius est, quam idem verbum activa et deponenti forma inveniri? v. ad Amph. 817. Asin. 269 al.? ne mireris Plautum et „miserere“ et „misereri“ dicere, v. ad Capt. 759.

Etiam in pronuntiando nonnulla variantur. „Quoi“ et „ei“ tam monosyllaba quam dissyllaba sunt, „diei“, „fidei“, similia tam disyllaba quam trisyllaba, v. Prol. p. 216. Versus causa fieri potest ut longa syllaba corripiatur, brevis producatur. In Prolegomenis enim ostendimus, non solum positionis legem sæpe negligi et iambica vocabula posteriorem syllabam corripere, sed etiam alibi parum certam esse mensuram vocalis, ut in

ablativo singulari tertiæ declinationis, et earum quoque, quæ constanter aut longæ aut breves esse videantur, non nullas interdum versu iubente breves aut longas fieri. Quorum quum pleraque dubia sint, nec nisi omnibus Plauti fabulis accurate editis certius quidquam dici oporteat, unum tamen confidenter affirmabo, quod posui in Proleg. p. 208 sq., in Græcis nominibus plus etiam sibi Plautum permisisse. Quod quum qui de libro meo sententiam tulerunt, concedere nolint, iis, quæ in Prolegomenis allata sunt, pauca addam. Nihil fere vehementius exagitarunt critici, quam quod „Clearetae" in Asinaria eam nominis formam reddidi, quam et cod. servavit et linguæ ratio commendat. Quum enim secunda nominis syllaba longa esset, edd. fere „Cleæretam" scripserant, quamquam in nomine composito ea vocalis productio, qua in verbo præsentis temporis forma efficitur, locum non habet; ego Plautum putavi non mutasse vocalem, sed simpliciter produxisse, quod eum in voc. q. e. Acheruns omnes facere concedunt, in casibus obliquis nominum, qui nominativo casu ω habent, factum esse novimus, v. ad Bacch. p. 396 extr., in „halophanta" Curc. 462 factum esse monstrabimus*). Correptæ autem vocalis quum memorabile exemplum extaret Asin. 331: „mercatori Pellæo" in exitu septenarii („Pelleo" scripsi, ne falleretur lector), commemoravi in similibus vocabulis etiam Græcos diphthongum corripere eiusque rei auctorem laudavi Christium. Iis autem quæ ille (Metrik p. 20) affert exemplis facile plura addi possunt, velut quæ afferuntur a Welckero, die griechischen Tragoedien I, p. 76. Alia attuli exempla vocalis in Græco nomine longæ, apud Latinos correptæ, in primis „schema". Idem fit in „orichalco", v. Verg. Æn. XII, 87, Horat. Art. poet. 202, nam quamvis contra sentiat Bergkius, Hist. litt. Græc. I, p. 111, mihi persuasum est Latinam formam a Græca, quæ est ὀρείχαλκος, derivatam esse; item in „platea", v. Aul. 399, Ter. Andr. 796, Hor. Ep. II, 2, 71, in „gynæceo", v. Most. 743. 747.

*) Quod in Proleg. p. 208 etiam Curc. 480 attuli, error est, quem sublatum velim.

Itaque ne in versibus quidem pangendis Plautum semper sibi constitisse affirmaverim. Canticorum leges quamvis accuratissime Studemundus indagare conatus sit, tamen nihil prorsus certi aut quod nobis placere possit inventum est, et multis locis quid Plautus voluerit ignoramus, quod quin ipsius poetæ aliqua culpa factum sit, fieri vix potest. Alia ratio est eorum versuum, quorum certa et constans forma est, velut septenariorum et senariorum. Hos poetam videmus felici ingenio præditum plerumque optimos fecisse; sed quum huius poesis genus ante omnia postularet, ut quidquid dictum esset facile intelligeretur nec a vulgari hominum sermone abhorreret, interdum sententiæ magis quam versibus consulens a severis numerorum legibus discessisse videtur, maxime ille quidem in primo versuum pede, vid. Proleg. p. 181 et ad Capt. 90, semel et iterum etiam in aliis, velut Curc. 401. Verum quum ne ipsius quidem Plauti versus semper vitiis careant, multo plura eos commisisse videmus, qui postea vel prologos vel alias fabularum partes addiderunt, ne de iis loquar, qui argumenta composuerunt. Itaque in prologo Amphitruonis vv. 59 et 63 reliqui formam „tragicocomoedia", quamvis posteriorem versum corrumpat. Editorum plerique „tragicomoediam" substituunt, quam formam posterior versus commendat, prior omnino respuit, nisi novæ superstruuntur coniecturæ. Nihilo minus vehementer vituperor, quod illam coniecturam non sim secutus. Exempla similis contractionis apud Lobeckium et Corssenium inveniri critici me docent, quasi non ipse eadem attulerim, ad ea nihil respondent, quæ dixi, illa exempla vocabula esse quotidiani sermonis, hanc vocem nove fictam esse nec, nisi accurate formata esset et plene enuntiaretur, intelligi potuisse. Græci *κωμῳδοτραγῳδίαν* dixerant, quo nomine et Anaxandrides et Alcæus et Dinolochus Siculus fabulas scripserant, eodemque vocabulo Porphyrius usus est, vid. Meinek. Hist. crit. comic. Græcor. I, p. 247, et Meinekius ipse in laudando Plauti loco veram formam „tragicocomoediam" servat. Immo pessimus versus relinquendus est nec histrionis causa tantopere laborandum est, ut formam temere fictam antiquis obtrudamus.

At in hiatu admittendo nimiam Plauto iniuriam feci. Ego vero ne Vergilium quidem ab hiatu abstinuisse video; Plautum multo sæpius hiasse, Ciceroni credo. Legitimos apud Plautum hiatus esse video in cæsura senariorum et in diæresi septenariorum et octonariorum. Post monosyllaba concedi hiatum apparet, nec minus ante voc. q. e. „homo", v. Proleg. p. 221. Num idem ante alia vocabula ab h incipientia factum sit, num post finitam sententiam, num in transitu ad alteram personam, num post bisyllaba iambicæ mensuræ correpta, alia multa ignoro nec, legibus nondum inventis, prorsus negare audeo. In multis eiusmodi locis hiatum librariorum errori deberi facile credo et ipse uno et altero loco, ubi res certior videbatur, hiatum sustuli*), sed plerumque reliqui veritus, ne forte re minoris momenti emendata maiorem poetæ in aliis rebus iniuriam facerem. Itaque ubi non unum remedium suppetebat, sed plura et æque bona aut proposita erant aut proponi poterant, malui lectori optionem dare, si quid eorum, quæ in commentario allata essent, ei placeret, quam quæ mihi ipsi incerta videbantur pro certis venditare.

Omnino in tam incertis rebus, in scriptore et sibi ipsi parum constanti et cuius verba non optime tradita essent, summa cautio editori adhibenda erat, ac si quando liberius agere ratio cogebat, ante omnia providendum erat, ut primo adspectu appareret, quid Plauti esse antiquis testimoniis constaret, quid coniectura in textum receptum esset. Hoc in lacunis explendis cursiva litterarum scriptura facillime assequimur, eaque de causa in addendis vocibus interdum minus religiosus fui quam in mutandis, quoniam mutatam scripturam esse tantum varietas textui subiecta, mutandi causam, vel certissimis testimoniis nixam, commentarius indicat. Locos ita corruptos, ut ne sententia quidem certa appareret, cruce signavi**); ubi

*) Huc pertinet, quod *med* et similia scripsi, ubi vocalis longa manet; ubi brevis aut est aut esse potest, *me* reliqui.

**) Hic commemorare liceat Amphitruonis prologi versum 72, quem quum corruptum esse ostendissem, cruce adposita reliqui scripturam

ententia aperta erat, verba incerta, interdum liberius coniectura usus sum; sed nec sine necessitate, ut opinor, quidquam mutavi, nec ita, ut non aliquatenus intelligi posset, quo modo corrupta librorum scriptura orta esset. Hæc enim in arte critica exercenda summa lex est, ut probabilis monstretur erroris via, nec ea verba reponantur, quæ cur aut quo modo corrumpi potuerint non intelligatur. Hoc nimis sæpe obliviscuntur recentissimi Plauti emendatores, qui non raro numerorum causa, maxime ut hiatus vitetur, vocabula eiusdem aut similis significationis permutanda censent, qua re etiam si sensui et orationi non noceatur, tamen critica omnis probabilitas abest. Librarii enim quum plerique, tum ii, quorum libris in Plautinis fabulis edendis utimur, non consulto peccarunt sed casu et legendi errore. In prosæ orationis scriptoribus, quorum orationem qui describebant facile intelligerent, comparatio codicum interdum voculas eiusdem significationis permutatas esse ostendit, velut „autem“ et „vero“, „igitur“ et „itaque“, „pæne“ et „prope“; in poeta, qui difficilius intelligebatur et cuius versus librarii, etiamsi non satis perciperent, tamen conservatos volebant, tali licentia eos versatos esse veri simile non est, nec apud Plautum in aliis rebus similis negligentiæ indicia reperiuntur. Noli igitur credere, in antiquioribus Plauti codicibus umquam aut „haud“ pro „non“ aut „non“ pro „haud“ scriptum esse, quod sunt qui sæpe factum esse putent, aut „edepol“ pro „hercle“ (Aul. 254) aut „atque“ pro „quam“ (Aul. 289) aut „ab sodali“ pro „sodalis“ (Bacch. 185) aut „dicant“ pro „aiant“ (Capt. 688) aut „aetati“ pro

codicis B „aedibiles“, emendationem ceterorum „aediles“ respui. Quid iam critici? Ostendisse eos credas, quo modo hic locus intelligi posset aut quænam hic ædilium partes essent. Immo simpliciter affirmant scripturam „aediles“ veram esse, me autem, quod in commentario aliam emendandi viam ingrediendam esse dixi et exempli causa coniecturam dubiam proposui, vehementer exagitant, quasi in contextum intulerim. Immo, ut Acidalii verbis utar, coniecturæ sunt hæ meræ, quibus ignosci potest, si errant, quando neque pro oraculis venditantur et auctori nostro nullam inducunt temerariam mutationem.

„uitae“ (Capt. 879) aut „quia“ pro „quoniam“ (Curc. 136) aut „magnam“ pro „maximam“ (Curc. 334) aut „neque“ pro „aut“ (Curc. 594) aut „et ... et“ pro „qua ... qua“ (Philol. XXXVI, p. 284). An non librarii hæc mutarunt, sed antiquiore tempore grammatici et histriones? Hos igitur id credimus spectasse, ut Plauti versus consulto corrumperent? nam eiusmodi mutationibus nihil aliud effici potuit.

Non minus a nimia verborum et versuum transpositione abstinui. Video enim fieri potuisse et interdum factum esse, ut vocabulum aliquod a librario prætermissum aut proximo loco aut paullo post poneretur, video unum aut plures versus incuria omissos inferiore loco adscriptos esse, nec semper notas errorem indicantes apparere; sed nec omnibus locis eadem facilitate erratur, velut principia versuum aut paginarum minus probabile est omissa esse quam sequentia, facillime autem in iis peccatur, quæ ab eodem vocabulo aut iisdem litteris incipiunt; nec tanta negligentia vel potius insania in describendo versati sunt librarii, ut verba et versus quasi sortes in sitella motæ exirent. An non talem speciem præbent, ut pauca e multis exempla afferam, in Ritschelii editione Bacch. 986—93, Most. 458—66, Mil. 637—60, Mercatoris prologus, Pseud. 604—39, in Fleckeisenii Asinariæ 884—94? Ritschelius quidem meam in hac re religionem puerilem dicit, Rhein. Mus. XXXI, p. 553; ego mihi non semper satis religiosus fuisse videor, nec iniuria Götzius in Annal. phil. 1876 p. 362 Asinariæ locum, quem nuper commemoravi, male a me ordinatum esse dicit, quamquam quod me versus pessime inter se iactasse arguit, non plura transposui quam Fleckeisenius, cuius sententiam probat, et rationem reddere conatus sum, quo modo tales turbæ oriri potuissent. Sed fateor me, quum fabulam ederem, veram emendandi viam nondum invenisse; nam duorum omnino versuum traiectione locus sanatur nec aliud erratum est quam ut huius scenæ vss. 47—49 suo loco omissi post duos proximos versus scriberentur. Locus sic edendus erat.

Demaenetus

Edepol animam suauiorem aliquanto quam uxoris meae.

Artemona

Ain tandem? Edepol ne tu istuc cum malo magno tuo
Dixisti in me. Sine. Uenias modo domum, faxo ut scias
Quid pericli sit dotatae uxori uitium dicere.

Philaenium

Dic amabo, an foetet anima uxoris tuae?

Demaenetus

Nauteam
Bibere malim, si necessum sit, quam illam oscularier.

Philaenium

Miser ecastor es.

Artemona

Ecastor dignus est.

Argyrippus

Quid ais, pater?
Ecquid matrem amas?

Demaenetus

Egone illam? Nunc amo, quia non adest.

Argyrippus

Quid, quom adest?

Demaenetus

Perisse cupio.

Parasitus

Amat homo hic te, ut praedicat.

Artemona

Ne illa ecastor faenerato funditat; nam si domum
Redierit hodie, osculando ego ulciscar potissimum.

Hæc, ne consilium meum cuiquam amplius obscurum esset, præfanda duxi. Unum restat, ut librum meum lectorum benevolentiæ commendem et eorum, quæ aut typothetes aut ipse erraverim, veniam precer. Quorum utinam minor numerus esset! Quæ errata esse animadverti, in calce libri emendavi. Addenda quoque maxime ex iis, quæ, dum hic liber typis describitur, in publicum prodierunt, non nulla fuerunt.

Kal. Mart. MDCCCLXXVIII.

J. L. Ussing.

AULULARIA.

ARGUMENTUM I.

Senex auarus. uix sibi credens, Euclio,
Domi suae defossam multis cum opibus
Aulam inuenit, rursumque penitus conditam
Exanguis amens seruat. Eius filiam
Lyconides uitiarat. Interea senex
Megadorus, a sorore suasus ducere
Uxorem, auari gnatam deposcit sibi.
Durus senex uix promittit, atque aulae timens
Domo sublatam uariis abstrudit locis.
Insidias seruos facit huius Lyconidis,
Qui uirginem uitiarat; atque ipse obsecrat
Auonculum Megadorum sibimet cedere
Uxorem amanti. Per dolum mox Euclio
Quom perdidisset aulam, insperato inuenit,
Laetusque natam conlocat Lyconidi.

ARGUMENTUM II.

Aulam repertam auri plenam Euclio
Ui summa seruat, miseris adfectus modis.
Lyconides istius uitiat filiam
Uolt hanc Megadorus indotatam ducere,
Lubensque ut faciat, dat coquos cum opsonio.
Auro formidat Euclio; abstrudit foris.
Re omni inspecta conpressoris seruolus
Id surpit; illic Euclioni rem refert;
Ab eo donatur auro uxore et filio.

Discrepantia scripturæ codicis Palatino-Vaticani 1615 (Ritschelii B)
I, 3 rursum quæ 6 sua sus 12 Auul culum II, 6 abstridit fores

PERSONAE FABULAE.

Lar familiaris
Euclio senex
Staphyla anus
Eunomia matrona
Megadorus senex
Strobilus (?) Megadori seruos
Anthrax coquos
Congrio coquos
Strobilus Lyconidis seruos
Lyconides adulescens
Phaedra puella.

PROLOGUS.

Lar familiaris

Ne quis miretur, qui sim, paucis eloquar.
Ego Lar sum familiaris ex hac familia,
Unde exeuntem me adspexistis. Hanc domum
Iam multos annos est quom possideo et colo,
Patri auoque iam huius, qui nunc hic habet.
Sed mihi auos huius obsecrans concredidit
Thensaurum auri clam omnis; in medio foco
Defodit, uenerans me, ut id seruarem sibi.
Is quoniam moritur — ita auido ingenio fuit:
Numquam indicare id filio uoluit suo,
Inopemque optauit potius eum relinquere,
Quam eum thensaurum conmonstraret filio —
Agri reliquit ei non magnum modum,
Quo cum labore magno et misere uiueret.
Ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit,
Coepi obseruare, ecqui maiorem filius
Mihi honorem haberet, quam eius habuisset pater,
Atque ille uero minus minusque inpendio
Curare, minusque me inpertire honoribus.
Item a me contra factumst; nam item obiit die*m*.

---

16 et qui 20 die

Is ex se hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
Pariter moratum, ut pater auosque huius fuit.
Huic filia una est; ea mihi cotidie
Aut ture aut uino aut aliqui semper supplicat;
Dat mihi coronas. Eius honoris gratia
Feci, thensaurum ut hic reperiret Euclio,
Quo illam facilius nuptum, si vellet, daret.
Nam conpressit eam de summo adulescens loco.
Is scit adulescens, quae sit, quam conpresserit;
Illa illum nescit, neque conpressam autem pater.
Eam ego hodie faciam ut hic senex de proxumo
Sibi uxorem poscat; id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui conpresserat.
Et hic, qui poscet eam sibi uxorem senex,
Is adulescentis illius est auonculus,
Qui illam stuprauit noctu, Cereris uigiliis.
Sed hic senex iam clamat intus, ut solet;
Anum foras extrudit, ne sit conscia.
Credo, aurum inspicere uolt, ne subreptum siet.

---

36 ceteris 37 hec

EUCLIO SENEX. STAPHYLA ANUS.

Euclio

Exi, inquam; age exi; exeundum hercle tibi hinc est foras,
Circumspectatrix cum oculis emissiciis!

Staphyla

Nam cur me miseram uerberas?

Euclio

Ut misera sis,
Atque ut te dignam mala malam aetatem exigas.

Staphyla

Nam me qua causa extrusisti ex aedibus?

Euclio

Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?
Illuc regredere ab ostio. Illuc sis uide,
Ut incedit! At scin', quomodo tibi res se habet?
Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in manum,
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum.

Staphyla

Utinam me diui adaxint ad suspendium
Potius quidem, quam hoc pacto apud te seruiam!

---

42 Nam me cur me 46 regrede 48 hercle *om.* 49 gradibo

Euclio

At ut scelesta sola secum murmurat!
Oculos hercle ego istos, inproba, ecfodiam tibi,
Ne me obseruare possis, quid rerum geram.
Abscede etiam nunc; etiam. Ohe,
Istic adstato. Si hercle tu ex istoc loco
Digitum transuorsum aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te iussero,
Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci. —
Scelestiorem me hac anu certe scio
Uidisse numquam, nimisque ego hanc metuo male,
Ne mihi ex insidiis uerba inprudenti duit,
Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum,
Quae in occipitio quoque habet oculos, pessuma.
Nunc ibo, ut uisam, estne ita aurum, ut condidi,
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.

Staphyla

Noenum mecastor, quid ero ego dicam meo
Malae rei euenisse quamue insaniam,
Queo conminisci; ita me miseram ad hunc modum
Deciens die uno saepe extrudit aedibus.
Nescio pol, quae illunc hominem intemperiae tenent:
Peruigilat noctes totas; tum autem interdius
Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.
Neque iam, quo pacto celem erilis filiae
Probrum, propinqua partitudo quoi adpetit,
Queo conminisci; neque quidquam meliust mihi,
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam litteram
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.

---

56 atasto 78 longum

EUCLIO. STAPHYLA.

Euclio

Nunc defaecato demum animo egredior domo,
Postquam perspexi salua esse intus omnia.
Redi nunc iam intro atque intus serua.

Staphyla

Quippini.
Ego intus seruem? An, ne quis aedis auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus;
Ita inanïis sunt oppletae atque araneis.

Euclio

Mirum, quin tua me causa faciat Iuppiter
Philippum regem aut Darium, triuenefica.
Araneas mihi ego illas seruari uolo.
Pauper sum, fateor. Patior; quod di dant, fero.
Abi intro, occlude ianuam. Iam ego hic ero.
Caue quemquam alienum in aedis intromiseris.
Quod quispiam ignem quaerat, extingui uolo,
Ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet;
Nam si ignis uiuet, tu extinguere extempulo.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quae utenda uasa semper uicini rogant,
Fures uenisse atque abstulisse dicito.
Profecto in aedis meas me absente neminem
Uolo intromitti; atque etiam hoc praedico tibi:
Si Bona Fortuna ueniat, ne intromiseris.

Staphyla

Pol ea ipsa, credo, ne intromittatur, cauet;
Nam ad aedis nostras nusquam adit, quamquam prope est.

---

84 inanis 85 tua nunc me 93 extemplo 95 pistellum 102 adiit

Euclio

Tace atque abi intro.

Staphyla

Taceo atque abeo.

Euclio

Occludo sis
Fores ambobus pessulis. Iam ego hic ero. —
Discrucior animi, quia ab domo abeundumst mihi.
Nimis hercle inuitus abeo; sed, quid agam, scio,
Nam noster nostrae quist magister curiae,
Diuidere argenti dixit nummos in uiros;
Id si relinquo ac non peto, omnes ilico
Me suspicentur, credo, habere aurum domi;
Nam non est ueri simile hominem pauperem
Pauxillum parui facere quin nummum petat.
Nam nunc, quom celo sedulo omnis, ne sciant,
Omnes uidentur scire, et me benignius
Omnes salutant, quam salutabant prius;
Adeunt, consistunt, copulantur dexteras;
Rogitant me, ut ualeam, quid agam, quid rerum geram.
Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum
Me rursum, quantum potero, tantum recipiam.

EUNOMIA. MEGADORUS.

Eunomia

Uelim te arbitrari, mẽ haec uerba, frater,
Meae fidei tuaeque rei
Causa facere, ut aequomst germanam sororem,
Quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi.
Nam multum loquaces merito omnes habemur,

---

106 abeo. si quid 113 quom *om.* 118 postidem 121 *iungitur cum antecedenti.* rei hæc.

Nec mutam profecto repertam ullam esse
Hodie dicunt mulierem ullo in saeclo.
Uerum hoc, frater, unum tamen cogitato,
Tibi proxumam me, mihique esse item te.
Ita aequomst, quod in rem esse utrique arbitremur,
Et mihi te, et tibi *me* consulere et monere,
Neque occultum id haberi, neque per metum mussari,
Quin participem pariter ego te et tu me.
Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi,
Ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.

Megadorus

Da mihi, optuma femina, manum.

Eunomia

Ubi east? quis east?

Megadorus

Tu.

Eunomia

Tune ais?

Megadorus

Si negas, nego.

Eunomia

Decet equidem uera proloqui; nam optuma nulla potest eligi;
Alia alia peior, frater, est.

Megadorus

Idem ego arbitror, nec tibi
Aduorsari certumst de istac re umquam, soror.

Eunomia

Da mihi operam, amabo.

Megadorus

Tuast; utere atque inpera, si quid uis.

128 item esse 130 me *om.* 132 tu me ut facias. 137 Decet te equidem

Eunomia

Id quod in rem tuam optumum esse arbitror, te id monitum aduento.

Megadorus

Soror, more tuo facis.

Eunomia

Factum uolo.

Megadorus.

Quid est id, soror?

Eunomia

Quod tibi sempiternum Salutare sit,

Megadorus

Ita di faxint!

Eunomia

liberis procreandis Uolo te uxorem domum ducere.

Megadorus

Ei, occidi.

Eunomia

Quid ita?

Megadorus

Quia mihi misero cerebrum excutiunt tua dicta, soror; lapides loqueris.

Eunomia

Heia, hoc face, quod te iubet soror.

Megadorus

Si lubeat faciam.

Eunomia

In rem hoc tuam est.

Megadorus

Ut quidem emoriar prius quam ducam.

---

142 facto 143 Salutare sit liberis procreandis M. Ita di faxint.

Sed his legibus, quam dare uis, ducam:
Quae cras ueniat, perendie foras feratur, soror;
His legibus cedo nuptias adorna.

Eunomia

Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote;
Sed est grandior natu, mediast mulieris aetas.
Eam si iubes, frater, tibi me poscere, poscam.

Megadorus

Num non uis me interrogare te?

Eunomia

Immo, si quid uis, roga.

Megadorus

Post mediam aetatem qui media ducit uxorem domum,
Si eam senex anum praegnantem fortuitu fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?
Nunc ego istum, soror, laborem demam et deminuam tibi.
Ego uirtute deum et maiorum nostrum diues sum satis.
Istas magnas factiones, animos, dotes dapsilis,
Clamores, inperia, eburata uehicla, pallas, purpuram
Nihil moror, quae in seruitutem sumptibus redigunt uiros.

Eunomia

Dic mihi, quaeso, quis ea est, quam uis ducere uxorem?

Megadorus

Eloquar.
Nouistin hunc senem Euclionem ex proxumo pauperculum?

Eunomia

Noui, hominem haud malum mecastor.

Megadorus

Eius cupio filiam

---

148 *iungitur cum antecedenti.* 150 legibus quam dare uis cedo 157 quid dubitas quid sit 159 nostrorum 162 in seruitutum sumptibus rediguntur

Uirginem mihi desponderi. Uerba ne facias, soror;
Scio, quid dictura es, hanc esse pauperem; haec pauper placet.

Eunomia

Di bene uortant!

Megadorus

Idem ego spero.

Eunomia

Quid? me num quid uis?

Megadorus

Uale.

Eunomïa

Et tu, frater.

Megadorus

Ego conueniam Euclionem, si domist.
Sed eccum *uideo*. Nescio unde sese homo recipit domum.

EUCLIO MEGADORUS, SENES DUO.

Euclio

Praesagibat mihi animus, frustra me ire, quom exibam domo.
Itaque abibam inuitus; nam neque quisquam curialium
Uenit, neque magister, quem diuidere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero; nam egomet sum hic, animus domi est.

Megadorus

Saluos atque fortunatus, Euclio, semper sies.

Euclio

Di te ament, Megadore.

Megadorus

Quid tu? recten atque, ut uis, uales?

---

168 nunc quid 170 uideo *om.*

Euclio

Non temerariumst, ubi diues blande adpellat pauperem.
Iam illic homo aurum scit me habere; eo me salutat blandius.

Megadorus

Ain tu, te valere?

Euclio

Pol ego haud a pecunia perbene.

Megadorus

Pol si est animus aequos tibi, sat habes, qui bene uitam colas.

Euclio

Anus hercle huic indicium fecit de auro; perspicue palam est;
Quoi ego iam linguam praecidam atque oculos ecfodiam domi.

Megadorus

Quid tu solus tecum loquere?

Euclio

Meam pauperiem conqueror.
Uirginem habeo grandem, dote cassam atque inlocabilem,
Neque eam queo locare quoiquam.

Megadorus

Tace; bonum habe animum, Euclio;
Dabitur; adiuuabere a me. Dic, si quid opust; inpera.

Euclio

Nunc petit, quom pollicetur; inhiat aurum, ut deuoret.
Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.
Nemini credo, qui large blandust diues pauperi;
Ubi manum iniicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam.
Ego istos noui polypos, qui, ubi quidquid tetigerunt, tenent.

---

178 me scit 180 satis 186 adiubare 190 inicit 191 qui uibi quidquid tetigerint

Megadorus

Da mihi operam parumper; paucis, Euclio, est quod te uolo
De communi re adpellare mea et tua.

Euclio

Ei misero mihi!
Aurum mihi intus harpagatum est; nunc hic eam rem uolt, scio,
Mecum adire ad pactionem. Uerum interuisam domum.

Megadorus

Quo abis?

Euclio

Iam ad te reuortar; nam est, quod uisam domum.

Megadorus

Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
Mihi ut despondeat, sese a me derideri rebitur.
Neque illo quisquamst alter hodie ex paupertate parcior.

Euclio

Di me seruant; salua res est. Saluom est, si quid non perit.
Nimis male timui; priusquam intro redii, exanimatus fui. —
Redeo ad te, Megadore, si quid me uis.

Megadorus

Habeo gratiam.
Quaeso, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.

Euclio

Dum quidem ne quid perconteris, quod non lubeat proloqui.

Megadorus

Dic mihi: quali me arbitrare genere prognatum?

Euclio

Bono.

---

199 partior 200 saluare est 201 redi 204 quod mihi non

Megadorus

Quid, fide?

Euclio

Bona.

Megadorus

Quid, factis?

Euclio

Neque malis neque inprobis.

Megadorus

Aetatem meam scis?

Euclio

Scio esse grandem, item ut pecuniam.

Megadorus

Certe edepol equidem te ciuem sine mala omni malitia
Semper sum arbitratus, et nunc arbitror.

Euclio

Aurum huic olet.
Quid nunc me uis?

Megadorus

Quoniam tu me et ego te, qualis sis, scio,
Quae res recte uortat mihique tibique tuaeque filiae,
Filiam tuam mihi uxorem posco. Promitte hoc fore.

Euclio

Heia, Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me irrideas;
Nam de te neque re neque uerbis merui, ut faceres quod facis.

Megadorus

Neque edepol ego te derisum uenio neque derideo,
Neque dignum arbitror.

Euclio

Cur igitur poscis meam gnatam tibi?

Megadorus

Ut propter me tibi sit melius, mihique propter te et tuos.

Euclio

Uenit hoc mihi, Megadore, in mentem, te esse hominem divitem,
Factiosum; me autem esse hominem pauperum pauperrumum.
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem uenit,
Te bouem esse et me esse asellum; ubi tecum coniunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto;
Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi numquam siem.
Et te utar iniquiore, et meus me ordo irrideat;
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid diuorti fuat;
Asini mordicus me scindant, boues incursent cornibus.
Hoc magnumst periclum, me ab asinis ad boues transcendere.

Megadorus

Quam ad probos propinquitate proxume te adiunxeris,
Tam optumumst. Tu condicionem hanc accipe, ausculta mihi,
Atque eam desponde mihi.

Euclio

At nihil est dotis quod dem.

Megadorus

Ne duas,
Dum modo morata recte veniat, dotatast satis.

Euclio

Eo dico, ne me thensauros repperisse censeas.

Megadorus

Novi; ne doceas. Desponde.

Euclio

Fiat. Sed pro Iuppiter!
Num ego disperii?

---

220 me item 223 honus 226 deuorti 227 me mordicus 235 Num ego disperii *superiori versui adduntur.*

Megadorus

Quid tibist?

Euclio

Quod crepuit quasi ferrum modo.

Megadorus

Hic apud me hortum confodere iussi. Sed ubi hic est homo?
Abiit, neque me certiorem fecit. Fastidit mei.
Quia uidet me suam amicitiam uelle, more hominum facit.
Nam si opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congredi*ri*; per metum male rem gerit;
Idem, quando occasio illaec peri*it*, post sero cupit.

Euclio

Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus,
Inpero *tibi* auctorque sum, ut me quoiuis castrandum loces.

Megadorus

Uideo hercle ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,
Quem senecta aetate ludos facias, haud merito meo.

Euclio

Neque edepol, Megadore, facio neque, si cupiam, copiast.

Megadorus

Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?

Euclio

Illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi.

Megadorus

Sponden ergo?

Euclio

Spondeo.
Di bene uortant!

Megadorus

Ita di faxint!

---

236 ubi hinc est 240 congredi 241 illaec occasio perit
243 tibi *om.* cui castrandum 244 te *om.* 249 Istuc di bene

Euclio

Illud facito ut memineris
Conuenisse, ut ne quid dotis mea ad te adferret filia.

Megadorus

Memini.

Euclio

At scio, quo uos soleatis pacto perplexarier:
Pactum non pactumst, non pactum pactumst, quod uobis lubet.

Megadorus

Nulla controuorsia mihi tecum erit. Sed, nuptias
Hodie quin faciamus, num quae causast?

Euclio

Immo edepol optume.

Megadorus

Ibo igitur; parabo. Numquid uis me?

Euclio

Istuc.

Megadorus

Fiet. Uale.
Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.

Euclio

Illic hinc abiit. Di inmortales, obsecro, aurum quid ualet!
Credo ego illum iam inaudiuisse, mihi esse thensaurum domi.
Id inhiat; ea adfinitatem hanc obstinauit gratia.

EUCLIO SENEX. STAPHYLA ANUS.

Euclio

Ubi tu es, quae deblateraui*sti* iam uicinis omnibus,
Meae me filiae daturum dotem? Heus, Staphyla, te uoco;
Ecquid audis? Uascula intus pure propera atque elue.
Filiam despondi; hodie ego huic nuptum Megadoro dabo.

---

249 Illud scito ut 254 facimus optuma 255 Istuc fiet 256 strennue 258 inaudisse 260 deblattauisti

Staphyla

Di bene uortant! Uerum ecastor non potest; subitumst nimis.

Euclio

Tace atque abi. Curata fac sint, quom a foro redeam domum;
Atque occlude aedis. Iam ego hic adero.

Staphyla

Quid ego nunc agam?
Nunc nobis prope adest exitium, mihi atque herili filiae;
Nam probrum atque partitudo prope adest ut fiat palam;
Quod celatum atque occultatumst usque adhuc, nunc non potest.
Ibo intro, ut, erus quae inperauit, facta, quom ueniat, sient;
Nam ecastor malum maerore metuo ne mixtum bibam.

STROBILUS SERUOS. ANTHRAX CONGRIO, COCI.
(PHRYGIA ELEUSIUM, TIBICINAE II.)

Strobilus

Postquam opsonauit erus et conduxit coquos
Tibicinasque hasce apud forum, edixit mihi,
Ut dispertirem † opsonium hic bifariam.

Congrio

Me quidem hercle, dicam *tibi* palam, non diuides.
Si quo tu totum me ire uis, operam dabo.

Anthrax

Bellum et pudicum uero prostibulum popli!
Pol, si quis uellet, te haud nonuelles diuici.

---

268 Nunc 271 merorem metuo ne minixtum
STRIBOLUS SERUUS ARETHAX. CONGRIO. COCI
PHRVSIV̄. EXFLESIV̄. TIBICINÆ. II SENEX
272 Posquam 273 Tibicenasque 275 tibi *om.* 278 Post

Strobilus

Atqui ego istuc, Anthrax, aliouorsum dixeram,
Non istuc, quod tu insimulas. Sed erus nuptias
Meus hodie faciet.

Anthrax

Quoius ducit filiam?

Strobilus

Uicini huius Euclionis *hinc* e proxumo.
Ei adeo opsoni hinc dimidium iussit dari,
Coquom alterum, itidemque alteram tibicinam.

Anthrax

Nempe huic dimidium dicis, dimidium domi?

Strobilus

Nempe, sicut dicis.

Congrio

Quid, hic non poterat de suo
Senex opsonari filiae in nuptiis?

Strobilus

Uah!

Congrio

Quid negotist?

Strobilus

Quid negoti sit, rogas?
Pumex non aequest aridus atque hic est senex.

Congrio

Ain tandem?

Strobilus

Ita esse, ut dico, tute existuma.
Quin diuom atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem perisse, seque eradicarier,
De suo tigillo fumus si qua exit foras.
Quin, quom it dormitum, follem obstringit ob gulam.

---

279 Atque 282 hinc *om.* 290 dicis COCUS Tute 291 *postponitur proximo; præfigitur* Strobilus.

Congrio

Cur?

Strobilus

Ne quid animae forte amittat dormiens.

Congrio

Etiamne obturat inferiorem gutturem,
Ne *ea* quid animae forte amittat dormiens?

Strobilus

Sic mihi te ut tibi me aequomst, credo, credere.

Congrio

Immo equidem credo.

Strobilus

At scin etiam, quo modo?
Aquam hercle plorat, quom lauat, profundere.

Congrio

Censen talentum magnum exorari pote
Ab istoc sene ut det, qui fiamus liberi?

Strobilus

Famem hercle utendam si roges, numquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor unguis dempserat;
Collegit omnia, abstulit, praesegmina.

Anthrax

Edepol mortalem parce parcum praedicas.

Strobilus

Censen vero, adeo eum parce et misere uiuere?
Pulmentum pridem ei eripuit miluus.
Homo ad praetorem plorabundus deuenit;
Infit ibi postulare plorans eiulans,
Ut sibi liceret miluum uadarier.
Sescenta sunt, quae memorem, si sit otium.
Sed uter uostrorumst celerior, memora mihi.

---

297 ea *om.* 298 Nec credere credo 300 plorat hercle
301 potest 307 adeo esse parcum 308 COCUS *præscribitur.*
309 plorandus 310 eiulas

STROBILUS SERUOS. STAPHYLA ANUS.
CONGRIO COCUS.

Strobilus

Heus, Staphyla, prodi atque ostium aperi.

Staphyla

Qui uocat?

Strobilus

Strobilus.

Staphyla

Quid uis?

Strobilus

Hosce ut accipias coquos
Tibicinamque opsoniumque in nuptias.
Megadorus iussit Euclioni haec mittere.

Staphyla

Cererin, Strobile, has sunt facturi nuptias?

Strobilus

Qui?

Staphyla

Quia temeti nihil adlatum intellego.

Strobilus

At iam adferetur, si a foro ipsus redierit.

Staphyla

Ligna hic apud nos nulla sunt.

Congrio

Sunt asseres?

Staphyla

Sunt pol.

Congrio

Sunt igitur ligna, ne quaeras foris.

In titulo ANUS COCUS HYL 343 Hos 346 sunt *om.* 348 Adiam 349 CO. Ligna STR. Sunt 350 CO. Sunt pol. STR.

Staphyla

Quid? inpurate. Quamquam Uolcano studes,
Cenaene causa aut tuae mercedis gratia
Nos nostras aedis postulas comburere?

Congrio

Haud postulo.

Strobilus

Duc istos intro.

Staphyla

Sequimini.

Strobilus

Curate; ego interuisam, quid faciant coqui;
Quos pol ut ego hodie seruem, cura maxumast.
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo cenam coquant;
Inde coctam sursum subducemus corbulis.
Si autem deorsum comedent, si quid coxerint,
Superi incenati sunt et cenati inferi.
Sed uerba hic facio, quasi negoti nihil siet,
Rapacidarum ubi tantum siet in aedibus.

EUCLIO SENEX.

Euclio

Uolui animum tandem confirmare hodie meum,
Ut bene *me* haberem filiae nuptiis.
Uenio ad macellum, rogito piscis; indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Uitulinam, cetum, porcinam, cara omnia,
Atque — eo fuerunt cariora — aes non erat.
Abeo iratus illinc, quoniam nihil est, qui emam.
Ita illis inpuris omnibus adii manum.

---

352 Cænae ue 355 *quasi novæ scenæ suprascribitur* FITODICUS SERUUS 361 Si 364 me *om.* 367 Uitilinam cætum

Deinde egomet mecum cogitare inter uias
Occepi: festo die si quid prodegeris,
Profesto egere liceat, nisi peperceris.
Postquam hanc rationem uentri cordique edidi,
Adcessit animus ad eam mihi sententiam,
Quam minumo sumptu filiam ut nuptum darem.
Nunc tusculum emi et has coronas floreas;
Haec inponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatae nuptias. —
Sed quid ego apertas aedis nostras conspicor?
Et strepitust intus. Numnam ego compilor miser?

Congrio

Aulam maiorem, si pote, e uicinia
Pete; haec est parua; capere non quit.

Euclio

Ei mihi!
Perii hercle! aurum rapitur; aula quaeritur.
[Nimirum occidor, nisi ego intro huc propere propero currere.]
Apollo, quaeso, subueni mihi atque adiuua,
Confige sagittis fures thensaurarios,
Si quoi in re tali subueni*sti* antidhac.
Sed cesso prius, quam prorsus perii, currere.

ANTHRAX.

Dromo, desquama piscis. Tu, Machaerio,
Congrum, muraenam exdorsua, quantum potes*t*.
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
A Congrione. Tu istum gallum, si sapis,

---

375 ad meam sententiam 377 hasce 378 imponeuntur 382 si potes uicinia 388 Cui in re talia subueni *Post* 389 *in titulo* COCUS 390 DROMODES quam aspicis 391 murenam exossata fac sient

Glabriorem reddes mihi, quam uolsus ludiust.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coqui hercle, credo, faciunt officium suum.
Fugiam intro, ne quid turbae hic itidem fuat.

CONGRIO COCUS.

Opitulamini populares, incolae, adcolae, aduenae omnes;
Date uiam, qua fugere liceat; facite totae plateae pateant.
Neque ego umquam, nisi hodie, ad bacchas ueni in bacchanal coquinatum,
Ita me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt,
Neque ligna ego usquam gentium praeberi uidi pulcrius;
[Itaque omnis exegit foras, me atque hos, onustos fustibus].
Totus doleo atque oppido perii; ita me iste habuit senex gymnasium.
Attat, perii hercle ego miser; aperit bacchanal; *eccum* adest;
Sequitur. Scio, quam rem geram; hoc ipsus magister me docuit.

EUCLIO SENEX. CONGRIO COCUS.

Euclio

Redi; quo fugis nunc? Tene, tene.

Congrio

Quid, stolide, clamas?

Euclio

Quia ad trisuiros iam ego deferam nomen tuum.

Congrio

Quam ob rem?

Euclio

Quia cultrum habes,

---

394 Clabrionem lydyus est 397 fiat congrio 398 Optati uires populares 402—3 *leguntur post 406* 405 misera perit

Congrio
Coquom decet.
Euclio
qui conminatus's
Mihi.
Congrio
Istuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
Euclio
Homo nullust, te scelestior qui uiuat hodie,
Neque quoi ego de industria amplius male plus lubens faxim.
Congrio
Pol etsi taceas, palam id quidemst; res ipsa testist;
Ita fustibus sum mollior magis quam ullus cinaedus.
Sed quid tibi nos, mendice homo, tactiost?
Euclio
Quae res?
Etiam rogitas? an, quia minus, quam aequom erat, feci?
Congrio
Sine. At hercle cum magno malo tuo, si hoc caput sentit,
Euclio
Pol ego haud scio, quid post fuat; tuum nunc caput sentit.
Sed in aedibus quid tibi meis nam erat negoti
Me absente, nisi ego iusseram? Uolo scire.
Congrio
Tace ergo.
Quia uenimus coctum ad nuptias.
Euclio
Quid tu, malum, curas,
Utrum crudum an coctum ego edim? nisi tu mihi es tutor.
Congrio
Uolo scire, sinas, an non sinas nos coquere hic cenam.

---

409 Quid cominatus 414 mollior miser magis 415 *sq.* tactio est quæ res. EU. Etiam 416 aequo mereat 417 malo tuo magno 418 fiat

Euclio

Uolo scire ego item, meaen domi mea salua futura.

Congrio

Utinam mea mihi modo auferam, quae adtuli, salua!
Me haud paenitet, tua ne expetam.

Euclio

Scio; ne doce; noui.

Congrio

Quid est, qua prohibeas gratia nos coquere hic cenam?
Quid fecimus, quid diximus tibi sequius quam uelles?

Euclio

Etiam rogitas? sceleste homo, qui angulos omnis
Mearum aedium et conclauium mihi peruium † facitis.
Ibi ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses,
Non fissile haberes caput. Merito id tibi factumst.
Adeo ut tu meam sententiam iam noscere possis,
Si ad ianuam huc adcesseris, nisi iussero, propius,
Ego te faciam, miserrumus mortalis uti sis.
Scis iam meam sententiam.

Congrio

Quo abis? Redi rursum.
Ita me bene amet Lauerna, te iam, nisi reddi
Mihi uasa iubes, pipulo hic differam ante aedis. —
Quid ego nunc agam? Ne ego edepol ueni huc auspicio malo;
Nummo sum conductus; plus iam medico mercedist opus.

EUCLIO SENEX. CONGRIO COCUS.

Euclio

Hoc quidem hercle, quoquo ibo, mecum erit, mecum feram,
Neque isti id in tantis periclis umquam conmittam ut siet.
Ite sane nunc iam intro omnes et coqui et tibicinae,
[Etiam introduce, si uis, uel gregem uenalium.]

---

424 meae 426 expectam 427 quia prohibeas nunc gratia 431 Id ubi 436 sententiam quo 437 redi 438 populo 440 mercede opus est 442 istud in 443 Ita

Coquite, facite, festinate nunc iam, quantum lubet.
Congrio
Temperi, postquam inpleuisti fusti fissorum caput.
Euclio
Intro abi. Opera huc conducta est uostra, non oratio.
Congrio
Heus, senex, pro uapulando hercle ego abs te mercedem petam.
Coctum ego, non uapulatum, dudum conductus fui.
Euclio
Lege agito mecum. Molestus ne sis. I et cenam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab aedibus.
Congrio
Abi tu modo.

SENEX EUCLIO.

Illic hinc abiit. Di inmortales, facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper coepit rem habere aut negotium.
Ueluti me Megadorus temptat omnibus miserum modis;
Qui simulauit mei honoris mittere huc causa coquos,
Is ea causa misit, hoc qui subriperent misero mihi.
Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit paenissume.
Ubi erat haec defossa, occepit ibi scalpurrire ungulis
Circumcirca. Quid opust uerbis? ita mihi pectus peracuit:
Capio fustem, optrunco gallum, furem manifestarium.
Credo edepol ego illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palam fecisset; exemi ex manu manubrium.
Quid opust uerbis? factast pugna in gallo gallinaceo.
Sed Megadorus, meus adfinis, eccum incedit a foro.
Iam hunc non ausim praeterire, quin consistam et conloquar.

---

448 E usenex 451 abedibus. abi 453 pauper homine cepit 454 Uelut Megadorus temptat me 455 simul aut 457 gallinatius 458 pecullaris penussime 459 ungulas

MEGADORUS EUCLIO, SENES DUO.

Megadorus

Narraui amicis multis consilium meum
De condicione hac Euclionis filiae;
Laudant sapienter factum et consilio bono.
Nam, meo quidem animo, si idem faciant ceteri
Opulentiores, pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum,
Et multo fiat ciuitas concordior,
Et inuidia nos minore utamur, quam utimur,
Et illae malam rem metuant, quam metuunt, magis,
Et nos minore sumptu simus, quam sumus.
In maxumam illuc populi partemst optumum,
In pauciores auidos altercatiost,
Quorum animis auidis atque insatietatibus
Neque lex neque sutor † capere est qui possit modum.
Namque hoc qui dicat: Quo illae nubent diuites
Dotatae, si istud ius pauperibus ponitur?
Quo lubeat, nubant, dum dos ne fiat comes.
Hoc si ita fiat, mores meliores sibi
Parent pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego faxim, muli, pretio qui superant equos,
Sint uiliores Gallicis cantheriis.

Euclio

Ita me di amabunt, ut ego hunc ausculto lubens;
Nimis lepide fecit uerba ad parsimoniam.

Megadorus

Nulla ergo dicat: Equidem dotem ad te adtuli
Maiorem multo, quam tibi erat pecunia;
Enim mihi quidem aequomst purpuram atque aurum dari,

---

468 filiam 474 minore nos 475 Et ille 477 optimam 478 paucioris 482 Dotata es istud uis 483 iubeant 487 Sient

Ancillas, mulos, muliones, pedisequos,
Salutigerulos pueros, uehicla, qui uehar.
Euclio
Ut matronarum hic facta pernouit probe!
Moribus praefectum mulierum hunc factum uelim.
Megadorus
Nunc quoquo uenias, plus plaustrorum in aedibus
Uideas, quam ruri, quando ad uillam ueneris.
Sed hoc etiam pulcrumst, prae quam ubi sumptus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, linarius,
† Caupones, patagiarii, indusiarii,
Flammarii, uiolarii, carinarii,
Aut † manulearii aut murobatharii;
Propolae linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii adstant, adstant molochinarii;
Petunt fullones, sarcinatores petunt;
Strophiarii adstant, adstant semizonarii.
Iam hosce absolutos censeas, cedunt, petunt
Treceni † cum; stant phylacistae in atriis
Textores limbularii, arcularii, [ducuntur datur
Aes. Iam hosce absolutos censeas]
Quom incedunt infectores crocotarii,
Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat.
Euclio
Conpellem ego illum, ni metuam, ne desinat
Memorare mores mulierum; nunc sic sinam.
Megadorus
Ubi nugiuendis res solutast omnibus,
Ibi ad postremum cedit miles, aes petit.
Itur, putatur ratio cum argentario;

---

494 Saluti gerrulos uehicula 499 *a* Prae *novus versus incipit* 500 phyrgio 505 sutares diobatharii 506 Soliarii molocinarii 508 Strophyarii semisonarii 511 linbuarii 515 Compellarem 517 nugigerulis

[Miles impransus astat, aes censet dari.
Ubi disputata est ratio cum argentario,
Etiam plus ipsus ultro debet argentario.]
Spes prorogatur militi in alium diem.
Haec sunt atque aliae multae in magnis dotibus
Inconmoditates sumptusque intolerabiles.
Nam quae indotatast, ea in potestatest uiri;
Dotatae mactant et malo et damno uiros.
Sed eccum adfinem ante aedis. Quid agis, Euclio?

Euclio

Nimium lubenter edi sermonem tuum.

Megadorus

Ain? audiuisti?

Euclio

Usque a principio omnia.

Megadorus

Tamen meo quidem animo aliquanto facias rectius,
Si nitidior sis filiae nuptiis.

Euclio

Pro re nitorem et gloriam pro copia
Qui habent, meminerunt sese, unde oriundi sient;
Neque pol, Megadore, mihi nec quoiquam pauperi
Opinione melius res structast domi.

Megadorus

Immo ..... di faciant, ut siet,
Plus plusque ... istuc sospitent, quod nunc habes.

Euclio

Illud mihi uerbum non placet „quod nunc habes".
Tam hoc scit me habere, quam egomet; anus fecit palam.

---

520 astant *Versus terminatur in* aes, *proximus in* disputata est. *tertius in* argentario 526 Namque ind. 529 *suprascribitur* EUCLIO MEGADORUS SENES DUO libenter di audiui sermonem 534 meminerint 535 quicquam 536 Opione melus restructa est 537 Immo est et di 538 Plus pusque istuc

Megadorus

Quid tu te solus e senatu seuocas?

Euclio

Pol ego, ut te accusem merito, meditabar.

Megadorus

Quid est?

Euclio

Quid sit, me rogitas? qui mihi omnis angulos
Furum inpleuisti in aedibus misero mihi;
Qui mihi intromisti in aedis quingentos coquos
Cum senis manibus, genere Geryonaceo;
Quos si Argus seruet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit,
Is numquam seruet; praeterea tibicinam,
Quae mihi interbibere sola, si uino scatat,
Corinthiensem fontem Pirenen potest.
Tum opsonium autem —

Megadorus

Pol vel legioni sat est.
Etiam agnum misi.

Euclio

Quo quidem agno sat scio
Magis curionem nusquam esse ullam beluam.

Megadorus

Uolo ego ex te scire, qui sit agnus curio.

Euclio

Quia ossa ac pellis totust; ita cura macet.
Quin exta inspicere in sole *etiam* uiuo licet;
Ita is perlucet, quasi lanterna Punica.

Megadorus

Caedundum illum ego conduxi.

---

542 te tu accussem 545 intro misisti in aedibus 546 gerronaceo 547 occuleus 549 praerea 550 scatet 551 fontem et pireneum 552 obsequium autem pol uel leoni sata est 554 curiosam 556 curam aegei 557 solee uiuo

Euclio

Tum tu idem optumumst
Loces ecferundum; nam iam, credo, mortuust.

Megadorus

Potare ego hodie, Euclio, tecum uolo.

Euclio

Non, *quod* potem, ego quidem hercle *habeo*.

Megadorus

At ego iussero
Cadum unum uini ueteris a me adferrier.

Euclio

Nolo hercle; nam mihi bibere decretumst aquam.

Megadorus

Ego te hodie reddam madidum, si uiuo, probe,
Tibi quoi decretumst bibere aquam.

Euclio

Scio, quam rem agat;
Ut me deponat uino, eam adfectat uiam;
Post hoc, quod habeo, ut conmutet coloniam.
Ego id cauebo; nam alicubi abstrudam foras.
Ego faxo et operam et uinum perdiderit simul.

Megadorus

Ego, nisi quid me uis, eo lauatum, ut sacruficem.

Euclio

Edepol ne tu, aula, multos inimicos habes
Atque istuc aurum, quod tibi concreditumst.
Nunc hoc mihi factust optumum, ut † te auferam
Aulam in Fidei fanum; ibi abstrudam probe.
Fides, nouisti me et ego te; caue sis tibi,
Ne in me mutassis nomen, si hoc concreduo.
Ibo ad te fretus tua, Fides, fiducia.

---

559 optumus est 563 Quod *et* habeo *om.* 570 opera metui num 573 congreditum est 574 factum est 577 ne tu in

STROBILUS, LYCONIDIS SERUOS.

Hoc est serui facinus frugi, facere, quod ego persequor:
Ne morae molestiaeque inperium erile habeat sibi.
Nam qui ero ex sententia seruire seruos postulat,
In erum matura, in se sera condecet capessere;
Sin dormitet, ita dormitet, seruom sese ut cogitet.
Eri ita inperium ediscat, ut, quod frons uelit, oculi sciant;
Quod iubeat, citis quadrigis citius properet persequi.
Qui ea curabit, abstinebit censione bubula,
Neque sua opera rediget umquam in splendorem compedes.
Nam qui amanti ero seruitutem seruit, quasi ego seruio,
Si erum uidet superare amorem, hoc serui esse officium reor,
Retinere ad salutem, noenum, quo incumbat, eo inpellere.
Quasi pueri qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
Qui laborent minus, facilius ut nent et moueant manus:
Eodem modo seruom ratem esse amanti ero aequom censeo,
Ut toleret, ne pessum abeat, tamquam ....
Nunc erus meus amat filiam huius Euclionis pauperis;
Eam ero nunc renuntiatumst nuptum huic Megadoro dari;
Is speculatum huc misit me, ut, quae fierent, fieret particeps.
Nunc sine omni suspicione in ara hic adsidam sacra;
Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier.

EUCLIO SENEX. STROBILUS SERUOS.

Euclio

Tu modo caue quoiquam indicassis, aurum meum esse istic,
Fides;
Non metuo, ne quisquam inueniat; ita probe in latebris situmst.

Post 578 Strobilus Liconidis seruus
SERUUS
581 sententia 583 Sin dormit et ita dormitat seruum seruum sese 584—87 *leguntur post 597.* 584 Herile imperium fronos 586 censeone 587 rediet 590 non enim 591 sirpea inductur 594 tolleret habeat 597 fierent furet particeps 600 quicquam indicasses 601 probet

Edepol ne illic pulcram praedam agat, si quis illam inuenerit
Aulam onustam auri; uerum id te quaeso ut prohibessis, Fides.
Nunc lauabo, ut rem diuinam faciam, ne adfinem morer,
Quin, ubi arcessat, meam extemplo filiam ducat domum.
Uide, Fides, etiam atque etiam nunc, saluam ut aulam abs te auferam.
Tuae fidei concredidi aurum; in tuo luco et fanost situm.

Strobilus

Di inmortales, quod ego hunc hominem facinus audio loqui!
Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano. *O* Fides,
Caue tu illi fidelis, quaeso, potius fueris, quam mihi.
Atque hic pater est, ut ego opinor, huius, erus quam amat, *uirginis.*
Ibo hinc intro; perscrutabor fanum, si inueniam uspiam
Aurum, dum hic est occupatus. Sed si repperero, o Fides,
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam;
Id adeo tibi faciam, uerum ego mihi bibam, ubi fecero.

EUCLIO.

Non temerest, quod coruos cantat mihi nunc ab laeua manu;
Simul radebat pedibus terram et uoce grocchibat sua.
Continuo meum cor coepit artem facere ludicram
Atque in pectus emicare. Sed ego cesso currere.

EUCLIO. STROBILUS.

Euclio

I foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo,
Qui modo nusquam comparebas, nunc, quom compares, peri.
Ego pol te, praestrigiator miseris iam accipiam modis.

---

605 accersat me. meam 606 saluam aut 607 fano modo est 609 fano fidei 611 uirginis *om.* 615 ubi id fecero 617 Semel 618 mecum cor cepit ludictam 620 I *om.* 621 comparabas peris 622 Ego edepol te

Strobilus

Quae te mala crux agitat? quid tibi mecumst conmerci, senex?
Quid me adflictas? quid me raptas? qua me causa uerberas?

Euclio

Uerberabilissume, etiam rogitas? non fur, sed trifur,

Strobilus

Quid tibi subripui?

Euclio

Redde huc, sis.

Strobilus

Quid tibi uis reddam?

Euclio

Rogas?

Strobilus

Nihil equidem tibi abstuli.

Euclio

At illud, quod tibi abstuleras, cedo.
Ecquid agis?

Strobilus

Quid agam?

Euclio

Mea auferre non potes.

Strobilus

Quid uis tibi?

Euclio

Pone.

Strobilus

Id quidem pol te dictare credo consuetum, senex.

Euclio

Pone hoc, sis; aufer cauillam; non ego nunc nugas ago.

---

626 surrupui Rogas *om.* 627 abstoli abstoleras 628 STR. Hæc quid agis? EUCL. Quid agam auferre 629 di quidem polte data re

Strobilus

Quid ego ponam? Quin tu eloquere, quidquid est, suo nomine.
Non hercle equidem quidquam sumpsi nec tetigi.

Euclio

Ostende huc manus.

Strobilus

Em tibi ostendi, eccas!

Euclio

Uideo. Age, ostende etiam tertiam.

Strobilus

Laruae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem.
Facisne iniuriam, an non?

Euclio

Fateor, quia non pendes, maxumam,
Atque id quoque iam fiet, nisi fatere.

Strobilus

Quid fatear tibi?

Euclio

Quid abstulisti hinc?

Strobilus

Di me perdant, si ego tui quidquam abstuli,
Niue adeo abstulisse uellem.

Euclio

Agedum, excutedum pallium.

Strobilus

Tuo arbitratu.

Euclio

Ne inter tunicas habeas.

Strobilus

Tempta, qua lubet.

---

631 ergo 633 ostende 638 *toti præfigitur* EUCL.

Euclio

Uah, scelestus quam benigne, ut ne abstulisse intellegam!
Noui sycophantias *tuas*. Age, rursum ostende huc manum
Dexteram.

Strobilus

Em.

Euclio

Nunc laeuam ostende.

Strobilus

Quin equidem ambas profero

Euclio

Iam scrutari mitto. Redde huc.

Strobilus

Quid reddam?

Euclio

Ah, nugas agis.
Certe habes.

Strobilus

Habeo ego? Quid habeo?

Euclio

Non dico; audire expetis.
Id meum quidquid habes, redde.

Strobilus

Insanis. Perscrutatus es
Tuo arbitratu, neque tui me quidquam inuenisti penes.

Euclio

Mane, mane. Quis illic est, qui hic intus alter erat tecum
simul?

---

641 Nouisi conpantyas age 642 Dextram 643 Anuga 647 quis

Perii hercle; ille nunc intus turbat. Hunc si amitto, hic abierit.
Postremo hunc iam perscrutaui; hic nihil habet. Abi, quo lubet.

Strobilus

Iuppiter te dique perdant!

Euclio

Haud male agit gratias.
Ibo intro atque illi socienno tuo iam interstringam gulam.
Fugin hinc ab oculis? abin, an non?

Strobilus

Abeo.

Euclio

Caue, sis, reuideam.

STROBILUS.

Emortuum ego me mauelim leto malo,
Quam non ego illi dem hodie insidias seni.
Nam hic iam non audebit aurum abstrudere;
Credo, ecferet iam secum et mutabit locum.
Attat, foris crepuit. Senex eccum aurum ecfert foras.
Tantisper hic ego ad ianuam concessero.

SENEX. SERUOS.

Euclio

Fidei censebam maxumam multo fidem
Esse; ea subleuit os mihi paenissume.
Ni subuenisset coruos, periissem miser.
Nimis hercle ego illum coruom, ad me ueniat, uelim,

649 iam hunc nihili abet 651 Ibo hinc intro 652 sis te uideam 656 hec feret 660 subluit 661 perissem

Qui indicium fecit, ut ego illi aliquid boni
Dicam; nam quod edit, tam duim, quam perduim.
Nunc, hoc ubi abstrudam, cogito solum locum.
Siluani lucus extra murum est auius,
Crebro salicto oppletus; ibi sumam locum.
Certumst, Siluano potius credam, quam Fidei.

Strobilus

Euge, euge, di me saluom et seruatum uolunt.
Iam ego illuc praecurram atque inscendam aliquam in arborem,
Indeque obseruabo, aurum ubi abstrudat senex.
Quamquam hic manere me erus sese iusserat,
Certumst, malam rem potius quaeram cum lucro.

LYCONIDES ADULESCENS. EUNOMIA MULIER. PHAEDRA UIRGO.

Lyconides

Dixi tibi, mater. Iuxta rem mecum tenes
Super Euclionis filia; nunc te obsecro
Resecroque, mater, quod dudum obsecraueram:
Fac mentionem cum auonculo, mater mea.

Eunomia

Scis tute, facta uelle me, quae tu uelis;
Et istuc confido *a* fratre me inpetrassere,
Et causa iustast, siquidem itast, ut praedicas,
Te eam conpressisse uinolentum uirginem.

Lyconides

Egone ut te aduorsum mentiar, mater mea?

---

664 quam dium perdium 666 lacus aulus 667 ubi 669 Fuge fuge 670 percurram *In titulo* FEDRIA 676 *postponitur proximo.* Resetroque obsetraueram 678 uellem atque 679 a *om.*

Phaedra

Perii, mea nutrix. Obsecro te, uterum dolet.
Iuno Lucina, tuam fidem!

Lyconides

Em, mater mea,
Tibi rem patere uideo; clamat, parturit.

Eunomia

I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
Ut istuc, quod me oras, inpetratum ab eo auferam.

Lyconides

I, iam sequor te, mater. — Sed seruom meum
Strobilum miror, ubi sit, quem ego me iusseram
Hic opperiri. Nunc ego mecum cogito:
Si mihi dat operam, me illi irasci iniuriumst.
Ibo intro, ubi de capite meo sunt comitia.

STROBILUS.

Picis diuitiis, qui aureos montes colunt,
Ego solus supero. Nam istos reges ceteros
Memorare nolo, hominum mendicabula:
Ego sum ille rex Philippus. O lepidum diem!
Nam ut dudum hinc abii, multo illuc adueni prior,
Multoque prius me conlocaui in arborem,
Indeque aspectabam, ubi aurum abstrudebat senex.
Ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore;
Ecfodio aulam auri plenam. Inde † ex eo loco
Uideo recipere se senem; ille me non uidet;
Nam ego declinaui paulum me extra uiam.
Attat, eccum ipsum. Ibo, ut hoc condam, domum.

---

685 rem potiorem uideo 686 Ei 687 oras effitiam tibi impetratum 688 Iam 697 abi 699 expectabam aurum ubi 702 si 703 ego non declinaui

EUCLIO SENEX.

Perii, interii, occidi. Quo curram? quo non curram? Tene, tene. Quem, quos,
Nescio; nihil uideo; caecus eo, atque equidem, quo eam, aut ubi sim, aut qui sim,
Nequeo cum animo certum inuestigare. Obsecro uos ego, mihi auxilio,
Oro obtestor, sitis et hominem demonstretis, qui eam abstulerit.
Quid est, quod ridetis? Noui omnis; scio, fures esse hic compluris,
Qui uestitu et creta occultant sese atque sedent, quasi sint frugi.
Quid ais tu? Tibi credere certumst, nam esse bonum, ex uoltu cognosco.
Em, nemo habet horum? Occidisti. Dic igitur, quis habet. Nescis?
Heu me miserum! misere perii, male perditus, pessume ornatus eo;
Tantum gemiti et malae maestitiae mihi hic dies optulit, famem et pauperiem.
Perditissumus ego sum omnium
In terra. Nam quid mihi opust uita, qui tantum auri
Perdidi, quod concustodiui sedulo? Egomet me defraudaui
Animumque meum geniumque meum. Nunc *ad*eo alii laetificantur
Meo damno et malo. Pati nequeo.

Titulo additur LICONIDES ADOLESCENS 705 quem quis 706 *ab* Equidem *novus versus incipit* 708 quis 709 *legitur post 711.* 711 et uoltu 713 miserum miserum perii 714 gemit te et mali mestitiae hic dies mihi 718 Nunc eo alii

LYCONIDES.

Quinam homo hic ante aedis nostras eiulans conqueritur maerens?
Atque hic quidem Eucliost, ut opinor. Oppido ego interii; palamst res.
Scit peperisse iam, ut ego opinor, filiam suam. Nunc mihi incertumst,
Abeam an maneam, adeam an fugiam. Quid agam, edepol nescio.

EUCLIO. LYCONIDES.

Euclio

Quis homo hic loquitur?

Lyconides

Ego sum, miser.

Euclio

Immo ego sum, et misere perditus,
Quoi tanta mala maestitudoque optigit.

Lyconides

Animo bono es.

Euclio

Quo, obsecro, pacto esse possum?

Lyconides

Quia istuc facinus, quod tuum
Sollicitat animum, id ego feci et fateor.

Euclio

Quid ego ex te audio?

Ante 720 *titulus abest.* 723 Quid agam habeam anima meam an adeam 724 Ego sum. EUCL. Immo ego sum miser Et misere 727 Quidtego

Lyconides

Id, quod uerumst.

Euclio

Quid ego *nam de te* merui, adulescens, mali,
Quam ob rem ita faceres, meque meosque perditum ires liberos?

Lyconides

Deus impulsor mihi fuit; is me ad illam inlexit.

Euclio

Quo modo?

Lyconides

Fateor peccauisse *me* et me culpam conmeritum scio.
Id adeo te oratum aduenio, ut animo aequo ignoscas mihi.

Euclio

Cur id ausus's facere, ut id, quod non tuum esset, tangeres?

Lyconides

Quid uis fieri? Factumst illud; fieri infectum non potest.
Deos credo uoluisse; nam ni uellent, non fieret, scio.

Euclio

At ego deos credo uoluisse, ut apud me te in neruo enicem.

Lyconides

Ne istuc dixis.

Euclio

Quid tibi ergo meam me inuito tactiost?

Lyconides

Quia uini uitio atque amoris feci.

Euclio

Homo audacissume,
Cum istacin te oratione huc ad me adire ausum, impudens!
Nam si istuc ius est, ut tu istuc excusare possies,

---

728 uersum est. EUCL. Quid ego *(uacat spatium)* Emerui 730 at 731 peccauisse et 733 ausus esses 736 apud te me

Luci claro deripiamus aurum matronis palam;
Postid si *de*prensi simus, excusemus, ebrios
Nos fecisse amoris causa. Nimis uilest uinum atque amor,
Si ebrio atque amanti inpune facere, quod lubeat, licet.

Lyconides

Quin tibi ultro supplicatum uenio ob stultitiam meam.

Euclio

Non mihi homines placent, qui, quando male fecerunt, purgitant.
Tu illam scibas non tuam esse; non adtactam oportuit.

Lyconides

Ergo quia sum tangere ausus, haud causificor, quin eam
Ego habeam potissumum.

Euclio

Tun habeas me inuito meam?

Lyconides

Haud te inuito postulo; sed meam esse oportere arbitror.
Quin tu iam inuenies, inquam, meam illam esse oportere, Euclio.

Euclio

Nisi refers —

Lyconides

Quid tibi ego referam?

Euclio

Quod subripuisti meum,
Iam quidem hercle te ad praetorem rapiam et tibi scribam dicam.

Lyconides

Subripui ego tuum? Unde? aut quid id est?

Euclio

Ita te am*a*bit Iuppiter,
Ut tu nescis.

---

741 Luce clara 742 prensi 744 liet 751 tu eam inuenies 754 Surripio ambit

Lyconides

Nisi quidem tu mihi, quid quaeras, dixeris.

Euclio

Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confessus's mihi
Te abstulisse.

Lyconides

Neque edepol ego dixi neque feci.

Euclio

Negas?

Lyconides

Pernego immo; nam neque ego aurum neque istaec aula quae siet,
Scio nec noui.

Euclio

Illam, ex Siluani luco quam abstuleras, cedo.
I, refer. Dimidiam tecum potius partem diuidam.
Tametsi fur mihi es, molestus non fuero; refer *modo*.

Lyconides

Sanus tu non es, qui furem me uoces; ego te, Euclio,
De alia re resciuisse censui. Quod ad me adtinet,
Magnast res, quam ego tecum otiose, si otiumst, cupio loqui.

Euclio

Dic bona fide: tu id aurum non subripuisti?

Lyconides

Bona.

Euclio

Neque *tu* scis, qui abstulerit?

Lyconides

Istuc quoque bona.

Euclio

Atque id si scies
Qui abstulerit, mihi indicabis?

---

756 confessus 759 Illam et Siluani 761 non ero fuero refer. 765 surripuisti bona

Lyconides
Faciam.

Euclio
Neque partem tibi
Adeo umquam eius indipisces neque furem excipies?

Lyconides
Ita.

Euclio
Quid, si fallis?

Lyconides
Tum me faciat, quod uolt, magnus Iuppiter.

Euclio
Sat habeo. Age nunc loquere, quid uis.

Lyconides
Si me nouisti minus,
Genere quo sim gnatus, hic mihist Megadorus auonculus;
Meus fuit pater Antimachus; ego uocor Lyconides;
Mater est Eunomia.

Euclio
Noui genus; nunc, quid uis, id uolo
Noscere.

Lyconides
Filiam ex te tu habes.

Euclio
Immo † ecillam domi.

766—68 *sic scribuntur:*
Istuc quoque bona. EUC. Atque ut si sciesque abstulerit
Neque scis qui abstulerit. mihi indicab' Liconid' faciam Euclio
Neque partem
Tibi ab eo cuiquam est indeposces Neque furem expies
Ita ECL. it fallis LICON. Tume faciat *etc.*
772 uoco 773 quid uis Liconid' id uolo 774 Noscere filiam ex te tu habes Euclio

Lyconides

Eam tu despondisti, opinor, meo auonculo.

Euclio

Omnem rem tenes.

Lyconides

Is me nunc renuntiare repudium iussit tibi.

Euclio

Repudium, rebus paratis, exornatis nuptiis?
Ut illum di inmortales omnes deaeque, quantumst, perduint!
Quem propter hodie auri tantum perdidi infelix, miser.

Lyconides

Bono animo es, bene dice. Nunc quae res tibi et gnatae tuae
Bene feliciterque uortat — ita di faxint, inquito.

Euclio

Ita di faciant!

Lyconides

Et mihi ita di faciant! Audi nunc iam.
Qui homo culpam admisit in se, nullust tam parui preti,
Quin pudeat, quom purget sese; nunc te obtestor, Euclio,
Ut, si quid ego erga te inprudens peccaui aut gnatam tuam,
Ut mihi ignoscas eamque uxorem mihi des, ut leges iubent.
Ego me iniuriam fecisse filiae fateor tuae
Cereris uigiliis per uinum atque inpulsu adulescentiae.

Euclio

Ei mihi, quod facinus ex te ego audio?

Lyconides

Cur eiulas,
Quem ego auom feci iam ut esses filiae nuptiis?
Nam tua gnata peperit decumo mense post; numerum cape.

---

777 paratis atque exornatis 778 perdiunt 780 es et benedice 784 quin purget 785 ego *om.* 786 iubeant 787 filiæ fecisse 789 eiuias

Ea re repudium remisit auonculus causa mea.
I intro, exquaere, sitne ita, ut ego praedico.

Euclio

Perii oppido;
Ita mihi ad malum malae res plurumae se adglutinant.
Ibo intro, ut, quid huius uerum sit, sciam.

Lyconides

Iam te sequor. — 795
Haec prope modum iam esse in uado salutis res uidet*ur*.
Nunc seruom esse ubi dicam meum Stro*bi*lum, non reperio;
Nisi etiam hic o*p*periar tamen paulisper; postea intro
Hunc subsequar; nunc interim spatium ei dabo exquaerendi
Meum factum ex gnatae pedisequa nutrice anu; ea rem nouit. 800

STROBILUS SERUOS. LYCONIDES ADULESCENS. EUCLIO SENEX.

Strobilus

Di inmortales, quibus et quantis me donatis gaudiis!
Quadrilibrem aulam auro onustam habeo; quis me est diuitior?
Quis me Athenis nunc magis quisquamst homo, quoi di sint propitii?

Lyconides

Certo enim ego uocem hic loquentis modo mi audire uisus sum.

Strobilus

Hem!
Erumne ego adspicio meum?

Lyconides

Uideo*ne* ego hunc seruom meum? 805

---

793 Intro exquire 795 ueri 796 uidet 797 strolum non repperio 798 operiae 799 exquirendi 800 Meum gnatum factum nutrice an ueram 804 me 805 Uideo ego hunc Strobilum seruum meum

Strobilus

Ipsus est.

Lyconides

Haud alius est.

Strobilus

Congrediar.

Lyconides

Contollam gradum.

Credo ego illum, ut iussi, eampse anum adisse, huius nutricem uirginis.

Strobilus

Quin ego illi me inuenisse dico hanc praedam ...?
Igitur orabo, ut manu me emittat. Ibo atque eloquar.
Repperi —

Lyconides

Quid repperisti?

Strobilus

Non, quod pueri clamitant
In faba se repperisse.

Lyconides

Iamne autem, ut soles, deludis?

Strobilus

Ere, mane; eloquar; iam ausculta.

Lyconides

Age ergo loquere.

Strobilus

Repperi hodie,
Ere, diuitias nimias.

Lyconides

Ubinam?

Strobilus

Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam —

---

806 aliud 807 eam ipse 808 praedam atque eloquor 809 mee mittat Iboque atque 810 Repperi quod

Lyconides
Quod ego facinus audio ex te?
Strobilus
Euclioni huic seni subripui.
Lyconides
Ubi id est aurum?
Strobilus
In arca apud me. Nunc uolo me emitti manu.
Lyconides
Egone te emittam manu, scelerum cumulatissume?
Strobilus
Abi, ere; scio, quam rem geras.
Lepide hercle animum tuum temptaui. Iam, ut eriperes, adparabas.
Quid faceres, si repperissem?
Lyconides
Non potes probasse nugas.
I, redde aurum.
Strobilus
Reddam ego aurum?
Lyconides
Redde, inquam, ut huic reddatur.
Strobilus
Unde?
Lyconides
Quod modo fassus's esse in arca.
Strobilus
Soleo hercle ego garrire nugas.
Lyconides
Garris nugas?
Strobilus
Ita loquor.

---

814 Quo Heuclioni 816 manus cumulatus sume 821 fassus es esse 822 Garris nugas *om.*

Lyconides
At scin quo modo?
Strobilus
Uel hercle enica,
Numquam hinc feres a me .....
. . . . . .

— ⏑ — qui mihi olera cruda ponunt, allec duint.
. . . .
— ⏑ — pro illis crocotis, strophio, sumptu uxorio
. . . .
— ⏑ — ego ecfodiebam in die denos scrobes,
Nec noctu nec diu quietus umquam eram; nunc dormiam.
. . . .
ut admemordi hominem

---

824 *Nonius p. 120* 825 *Nonius p. 538* strofis 826 *Nonius p. 225* 827 *Nonius p. 98* eam 828 *Gellius VI, 9, 6.*

BACCHIDES.

PERSONAE FABULAE.

Bacchides sorores meretrices
A. Atheniensis
S. Samia
Senex
Pistoclerus adulescens
Lydus paedagogus
Chrysalus seruos
Nicobulus senex
Mnesilochus adulescens
Philoxenus senex
Parasitus
Puer

. . . .

Bacchis A.

Conuerrite scopis, agite strenue.
. . . . . ecquis euocat
Cum nassiterna et cum aqua istum impurissumum?

Bacchis A.

Ulixem audiui fuisse aerumnosissumum.
Qui annis uiginti errans a patria afuit:
Uerum hic adulescens multo Ulixem anteit,
Qui ilico errat intra muros ciuicos.

. . . .

Sin lenocinium facere conlubitumst tibi,
Uideas mercedis quid tibist aequom dari,
Ne istac aetate me sectere gratiis.

. . . .

Senex

Nam, credo. quoiuis excantare cor potes.

---

1 *Charis. p. 219 K.*

2—3 *Fest. p. 169:* Plautus in Baccidibus: Haec quis euocat etc.

4—7 *Charis. p. 201 K.:* Ilico pro in loco. Plautus in Bacchidibus: Ulixem etc.

8—10 *Charis. p. 200 K.:* Gratiis. Plautus in Bacchidibus: Sin lenocinium forte collibitum est etc. 9 tibi est aecum

11 *Nonius p. 102:* Excantare significat excludere. Plautus Bacchidibus: nam credo cuiuis excantare cor potest. *Servius ad Verg. Bucol. VIII, 71:* Sane ueteres cantare de magico carmine dicebant, unde et excantare est magicis carminibus obligare. Plautus in Bacchidibus: Nam tu quidem cuiuis excantare cor facile potes.

Pistoclerus

Quibus ingenium in animo utibilest, modicum et sine uernilitate.

. . . .

limaces uiri.

. . . .

Quae sodalem atque me exercitos habet.

. . . .

Neque haud subditiua gloria oppidum arbitror.

Bacchis A.

illa mei cognominis fuit.

. . . .

quidquid est nomen sibi

Bacchis A.

Cupidon te conficit anne amor?

---

12 *Nonius p. 342:* Modicum ueteres moderatum et cum modo dici uolunt. Plautus in Bacchidibus: quibus ignes in animo utibile est modicum et sine uernilitate. *Charis. p. 206 K:* Plautus in Bacchidibus ingenium in animo utibile et modicum est.

13 *Nonius p. 333:* Limari .... Plautus ... Bacchidibus: limaces uiri; quod adterant et consumant.

14 *Nonius p. 6:* Exercitum dicitur fatigatum ... Plautus Bacchidibus: Quæ etc. *Charis. p. 229 K.*

15 *Donatus ad Ter. Andr. 1, 2, 34 (205).*

16 *Servius ad Æn. VI, 383: gaudet cognomine terra:* Nominis sui similitudine. Facit autem hic et hæc cognominis; nam in Plauto lectum, cum una de Bacchidibus diceret: illa mei cognominis fuit.

17 *Servius ad Æn. X, 493:* Quidquid pro quodcunque. Plautus in Bacchidibus: quidquid est nomen sibi.

18 *Servius ad Æn. VI, 194:* Cupidinem ueteres immoderatum amorem dicebant. Afranius Neraria: Alius est amor, alius cupido; amant sapientes, cupiunt ceteri. Plautus cum distinctione posuit: Cupidon te conficit anne amor?“ quod intelligitur, uehementer

Bacchis S.

cor meum, spes mea,
Mel meum, suauitudo, cibus, gaudium.

. . . .

Sine te amem.

. . . .

Uincla, uirgae, molae, saeuitudo mala
Fit peior

. . . .

Latronem, suam qui auro uitam uenditat.

. . . .

Bacchis A.

Scio spiritum eius maiorem esse multo,
Quam folles taurini halitant, quom liquescunt
Petrae, ferrum ubi fit. *Sed* quoiatis *est is*?

Bacchis S.

Praenestinum opino esse, ita erat gloriosus.

. . . .

illam amare uel impatienter. Ipse alibi (Curc. 3): Quem Uenus Cupidoque imperat suadetque Amor. *Nonius p. 421:* Cupido et amor idem significare uidentur, sed est diuersitas; cupido enim inconsideratæ est necessitatis, amor iudicii. Plautus Bacchidibus: Cupidon tecum seuis anne amor?

19 *sq. Nonius p. 173:* Suauitudo pro suauitas. Plautus Bacchidibus: cor meum, spes mea, mel meum, suauitudo, cibus, gaudium.

21 *Donatus in Ter. Eun. 4, 2, 13:* Amare modo frui amore dicit. Plautus in Bacchidibus (v. 98): Prius hic adero quam te amare desinam et Sine te amem.

22 *sq. Nonius p. 172:* Sæuitudo pro sæuitia. Plautus Bacchidibus: Uincla etc.“

24 *Seruius ad Æn. XII, 7:* Latrones uocantur conducti milites ... Plautus . . . idem in Bacchidibus exsecutus est, militem latronem dicens, suam qui auro uitam uenditat.

25—28 *Prisciani fragm. de pronomine* (Mus. Rhen. I, p. 316): Plautus hic cuias, huius cuiatis declinauit in Bacchidibus: Scio spiritum eius maiorem esse multo, quam folles taurini habeant. *Philargyrius ad Verg. Georg. IV, 171:* Taurinis follibus. Plautus: quam folles taurini habent, cum liquescunt petræ, ferrum ubi fit.

Arabos.

. . . .

Bacchis A.

Ne a quoquam acciperes alio mercedem annuam,
Nisi ab se, nec cum quiquam limares caput.

PISTOCLERUS ADULESCENS. BACCHIDES DUAE.

Pistoclerus

Sic ut lacte lacti similest

. . . .

Bacchis A.

Quid, si hoc potis est, ut tu taceas, ego loquar?

Bacchis S.

Lepide; licet.

Bacchis A.

Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito ut subuenias, soror.

Bacchis S.

[Pol magis metuo, mihi in monendo ne defuerit oratio.]
Pol ego metuo, lusciniolae ne defuerit cantio.

Nonius p. 474: Opino pro opinor. Plautus Bacchidibus: Prænestinum etc.

29 *Charisius p. 123 K.:* Arabis Maro (Æn. VII, 605): Hircanisque Arabisque parant . . . Quid ergo, si sic declinauit, ut Plautus in Bacchidibus * * et in Poenulo (1182): Arabus murrhinus odor . .

30 *sq. Nonius p. 334:* Limare etiam dicitur coniungere. Plautus Bacchidibus: ne cum quoquam acceperis alio mercedem etc.

32 *Pompeius Comm. Donat. p. 233:* Superest, ut sequamur regulam Plauti, lacte ut dicamus. Habemus in Bacchidibus: Sicut lacte lacti simile. *Probus, Inst. II, p. 1445 P.:* Plautus hoc lacte declinauit ubique: Sic ut lacte lacti simile est. *Keil. (V, p. 199) et Ritsch. (Opusc. II, p. 571) ex quibusdam codd.:* Sic ut lacte lactis similest.

Discrepantia scripturæ codicum Palatino-Vaticani (B), Heidelbergensis (C), palimpsesti Ambrosiani (A).

33 E. *præfigit B* tu *om.* loquar. A. Lepide *B* 34 E. *B* effugiet *C* 35 A. *B* 36 E. *præfigit B* Pol ego quoque *C*, Pol quoque *B*

Bacchis A.

Sequere hac.

Pistoclerus

Quid agunt duae germanae meretrices cognomines?
Quid in consilio consuluistis?

Bacchis A.

Bene.

Pistoclerus

Pol haud meretriciumst.

Bacchis A.

Miserius nihil est quam mulier.

Pistoclerus

Quid esse dicis dignius?

Bacchis A.

Haec ita me orat, sibi qui caueat aliquem ut hominem reperiam
Ab istoc milite, ut, ubi emeritum sibi sit, se reuehat domum.
Id, amabo te, huic caueas.

Pistoclerus

Quid isti caueam?

Bacchis A.

Ut reuehatur domum,
Ubi ei dederit operas, ne hanc ille habeat pro ancilla sibi.
Nam si haec habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens.

Pistoclerus

Ubi nunc is homost?

Bacchis A.

Iam hic, credo, aderit. Sed hoc idem apud nos rectius
Poteris agere, atque is dum ueniat, sedens ibi opperibere.
Eadem biberis, eadem dedero tibi, ubi biberis, sauium.

---

38 concilio 41 Ut istoch militem seu 43 dediderit 44 haec si *B* 45 credo aderit hic *B*

Pistoclerus

Uiscus merus uostrast blanditia.

Bacchis A.

Quid iam?

Pistoclerus

Quia enim intellego,
Duae unum expetitis palumbem; si harundo alas uerberat,
Non ego istuc facinus mihi, mulier, conducibile esse arbitror.

Bacchis A.

Qui, amabo?

Pistoclerus

Quia, Bacchis, bacchas metuo et bacchanal tuum.

Bacchis A.

Quid est, quod metuis? ne tibi lectus malitiam apud me suadeat?

Pistoclerus

Magis inlectum tuum quam lectum metuo; mala tu es bestia.
Nam huic aetati non conducit, mulier, latebrosus locus.

Bacchis A.

Egomet, apud me *quid*quid stulte facere cupias, prohibeam.
Sed ego apud me te esse ob eam rem, miles quom ueniat, uolo,
Quia, quom tu aderis, huic mihique haud faciet quisquam iniuriam.
Tu prohibebis et eadem opera tuo sodali operam dabis,
Et ille adueniens tuam med esse amicam suspicabitur.
Quid, amabo, opticuisti?

Pistoclerus

Quia istaec lepida sunt memoratui;
Eadem in usu atque ubi periclum facias, aculeata sunt;
Animum fodicant, bona distimulant, facta et famam sauciant.

---

49 palumbem perii harundo 51 Quid *B* 52 Quid est quid 55 quid 59 me *B* 60 memoratua *C* 62 destimulant *B*. *Hunc versum sequitur v. 71, in quo* Apage amici page *B*

Bacchis S.

Quid ab hac metuis?

Pistoclerus

Quid ego metuam, rogitas? Adulescens homo
Penetrem me huius modi in palaestram, ubi damnis desudascitur,
Ubi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus?

Bacchis A.

Lepide memoras.

Pistoclerus

Ubi ego capiam pro machaera turturem,
Ubique inponat in manum alius mihi pro cestu cantharum,
Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,
Pro hasta talus, pro lorica malacum capiam pallium,
Ubi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto adcubet.

Apage a me, apage.

Bacchis A.

Ah, nimium ferus es.

Pistoclerus

Mihi sum.

Bacchis A.

Malacissandus es.

Equidem tibi do hanc operam.

Pistoclerus

At nimium pretiosa es operaria.

Bacchis A.

Simulato me amare.

Pistoclerus

Utrum ego istuc iocon adsimulem an serio?

---

63 E. Et quid *B* homo adulescens 64 Penetrare huius 70 praeco accumbet *B*, accumbent *C* 71 mea apage 73 istum *B*

Bacchis A.

Heia, hoc agere meliust. Miles quom huc adueniat, te uolo
Me amplexari.

Pistoclerus

Quid eo mihi opust?

Bacchis A.

Ut ille te uideat, uolo.
Scio, quid ago.

Pistoclerus

Et ego pol scio, quid metuo. Sed quid ais?

Bacchis A.

Quid est?

Pistoclerus

Quid, si apud te ueniat desubito prandium aut potatio
Forte aut cena, ut solet in istis fieri conciliabulis,
Ubi ego tum adcubem?

Bacchis A.

Apud me, mi anime, ut lepidus cum lepida adcubet.
Locus hic apud nos, quamuis subito uenias, semper liber est.
Ubi tu lepide uoles esse tibi, „mea rosa“ mihi dicito
„Dato, qui bene sit“, ego, ubi bene sit tibi, locum lepidum dabo.

Pistoclerus

Rapidus fluuius est hic; non hac temere transiri potest.

Bacchis A.

Atque ecastor apud hunc fluuium aliquid perdundumst tibi.
Manum da et sequere.

Pistoclerus

Ah, minume.

---

74 melius *C* 75 opus est *B*, opus *C* 79 accumbam *B*, accubam *C* accumbet *B*, accumbaes *C*

Bacchis A.

Quid ita?

Pistoclerus

Quia istoc inlecebrosius
Fieri nihil pote, *quam*, nox, mulier, uinum hominia dulescentulo.

Bacchis A.

Age igitur; equidem pol nihili facio nisi causa tua.
Ille quidem hanc abducet; nullus adfueris, si non lubet.

Pistoclerus

Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo?

Bacchis A.

Quid est, quod metuas?

Pistoclerus

Nihil est, nugae. Mulier, tibi me emancupo;
Tuus sum, tibi dedo operam.

Bacchis A.

Lepidus's. Nunc ego te facere hoc uolo:
Ego sorori meae cenam hodie dare uolo uiaticam;
Ego tibi argentum iubebo iam intus ecferri foras,
Tu facito, opsonatum nobis sit opulentum opsonium.

Pistoclerus

Ego opsonabo; nam id flagitium sit, mea te gratia
Et operam dare mihi et ad eam operam facere sumptum de tuo.

Bacchis A.

At ego nolo dare te quidquam.

Pistoclerus

Sine.

Bacchis A.

Sino equidem, si lubet.
Propera, amabo.

---

85 aha 86 potest nox illecebro suis *B* 88 tu nullus 89 Summe *C* nequam *C* 90 E. *B* emancupio *C* 91 lepidus nunc 92 dari *C* 93 iubeo et ferri *C* 94 nobis obsenatum *C* opsonum *B* 95 obsanabo *C* mea tegram *C* 97 dare nolo dare *B*

Pistoclerus

Prius hic adero, quam te amare desinam.

Bacchis S.

Bene me accipis aduenientem, mea soror.

Bacchis A.

Quid ita, obsecro?

Bacchis S.

Quia piscatus meo quidem animo hic tibi hodie euenit bonus.

Bacchis A.

Meus ille quidemst. Tibi nunc operam dabo de Mnesilocho, soror,
Ut hic accipias potius aurum quam hinc eas cum milite.

Bacchis S.

Cupio.

Bacchis A.

Dabitur opera. Aqua calet; intro eamus, ut laues;
Nam ut in naui uecta es, credo, timida es.

Bacchis S.

Aliquantum, soror.
[Simul huic nescio qui turbare qui huc it, decedamus.]

Bacchis A.

Sequere hac igitur me intro lotum, ut sedes lassitudinem.

LYDUS SERUOS ET PISTOCLERUS ADULESCENS.

Lydus

Iam dudum, Pistoclere, tacitus te sequor
*In*spectans, quas tu res hoc ornatu geras.
Namque ita me di ament, ut Lycurgus mihi quidem
Uidetur posse hisce ad nequitiam adducier.

---

101 Mnesilochosor *C* 104 uectes *C* 104 *iteratur post 105.* 106 intro in lectum 108 Spectans 109 ligurgus 110 hic

Quo nunc capessis te hinc aliouorsa uia
Cum tanta pompa?

Pistoclerus

Huc.

Lydus

Quid, huc? Quis istic habet?

Pistoclerus

Amor, Uoluptas, Uenus, Uenustas, Gaudium,
Iocus, Ludus, Sermo, Suauisuauiatio.

Lydus

Quid tibi conmercist cum dis damnosissumis?

Pistoclerus

Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.
Tu dis nec recte dicis; non aequom facis.

Lydus

An deus est ullus Suauisuauiatio?

Pistoclerus

An non putasti esse umquem? O Lyde, es barbarus,
Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem.
I, stultior es barbaro Poticio,
Qui tantus natu deorum nescis nomina.

Lydus

Non hic placet mi ornatus.

Pistoclerus

Nemo ergo tibi
Hoc adparauit; mihi paratumst, quoi placet.

Lydus

Etiam me aduorsus exordire argutias?
Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.

---

111 aduorsa 112 huc lidus quid *C* 114 suauis suauiacio *B*, suauis sauiatio *C* 117 non recte *B* 118 suauis suauiatio *B*, suauis sauitio *C* 119 umquam 120 talem *C* 121 Is 124 Haec

Pistoclerus

Non omnis aetas, Lyde, ludo conuenit.
Magis unum in mentest mihi nunc, satis ut commode
Pro dignitate opsoni haec concuret coquos.

Lydus

Iam perdidisti te atque me atque operam meam,
Qui tibi nequiquam saepe monstraui bene?

Pistoclerus

Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam;
Tua disciplina nec mihi prodest nec tibi.

Lydus

O praeligatum pectus.

Pistoclerus

Odiosus mihi es.
Tace atque sequere, Lyde, me.

Lydus

Illuc sis uide:
Non paedagogum iam me, sed Lydum uocat.

Pistoclerus

Non par uidetur neque sit consentaneum,
Quom erus in conuentu sit et cum amica adcubet
Quomque osculetur et conuiuae alii adcubent,
Praesens ibi ullus paedagogus ut siet.

Lydus

An hoc ad eas res opsonatumst, obsecro?

Pistoclerus

Sperat quidem animus; quo eueniat, dis in manust.

Lydus

Tu amicam habebis?

Pistoclerus

Quom uidebis, tum scies.

---

132 ego *om. C* 133 neque tibi 138 Quom haec intus sit *B*, cum haec intus intus sit *C* accumbet *B* 140 Præsentibus illis paedagogus una ut

Lydus

Immo neque habebis neque sinam. I rursum domum.

Pistoclerus

Omitte, Lyde, ac caue malo.

Lydus

Quid, caue malo?

Pistoclerus

Iam excessit mi aetas ex magisterio tuo.

Lydus

O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem lubens!
Uideo iam nimio multo plus, quam uolueram.
Uixisse nimio satiust iam quam uiuere.
Magistron quemquam discipulum minitarier?
[Nihil moror discipulos mihi esse iam plenos sanguinis.]
Ualens adflictat me uaciuom uirium.

Pistoclerus

Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus.

Lydus

Pol metuo magis, ne Phoenix tuis factis fuam
Teque ad patrem esse mortuum renuntiem.

Pistoclerus

Satis historiarumst.

Lydus

Hic uereri perdidit.
Conpendium edepol haud aetati optabile
Fecisti, quom istanc nanctus's inpudentiam.
Occisus hic homost. Ecquid in mentemst tibi,
Patrem tibi esse?

Pistoclerus

Tibi ego an tu mihi seruos es?

---

144 iturus sum domum 149 sacius est 152 uacuum *C* 153 ut et ego *C* 154 suam *C* 157 Compedium aut *C* 158 nactus 159 et quid in mente est *C* 160 ego aut tu *B*

Lydus

Peior magister te istaec docuit, non ego.
Nimio es tu ad istas res discipulus docilior
Quam ad illa, quae te docui, ubi operam perdidi.
Edepol fecisti furtum in aetatem malum,
Quom istaec flagitia me celauisti et patrem.

Pistoclerus

Istac tenus tibi, Lyde, libertas datast
Orationis. Satis est; sequere me ac tace.

CHRYSALUS SERUOS.

Erilis patria salue, quam ego biennio
Post quam hinc in Ephesum abii conspicio lubens.
Saluto te, uicine Apollo, qui aedibus
Propinquos nostris adcolis, ueneroque te,
Ne Nicobulum me sinas nostrum senem
Prius conuenire quam sodalem uiderim
Mnesilochi Pistoclerum, quem ad epistolam
Mnesilochus misit super amica Bacchide.

PISTOCLERUS ADULESCENS. CHRYSALUS SERUOS.

Pistoclerus

Mirumst me, ut redeam, te opere tanto quaesere,
Qui abire hinc nullo pacto possim, si uelim;
Ita me uadatum amore uinctumque adtines.

---

161 ista et *C* 162 Nimio testu *B* 164—165 *ponuntur post 167.* 167 me hac ac 169 lumbens *C* 170 apolle *C* *Post* 173 *in B repetuntur 164—67* 176 Mirunst *B*

Chrysalus

Pro di inmortales, Pistoclerum conspicor.
O Pistoclere, salue.

Pistoclerus

Salue, Chrysale.

Chrysalus

Conpendi uerba multa iam faciam tibi.
Uenire tu me gaudes; ego credo tibi.
Hospitium et cenam pollicere, ut conuenit
Peregre aduenienti; ego autem uenturum adnuo.
Salutem tibi ab sodali solidam nuntio.
Rogabis me, ubi sit. Uiuit.

Pistoclerus

Nempe recte ualet?

Chrysalus

Istuc uolebam ego ex te percontarier.

Pistoclerus

Qui scire possum?

Chrysalus

Nullus plus.

Pistoclerus

Quemnam ad modum?

Chrysalus

Quia, si illa inuentast, quam ille amat, uiuit et ualet;
Si non inuentast, minus ualet moribundusque est.
Animast amica amanti; si abest, nullus est;
Si adest, res nullast, ipsus est nequam et miser.
Sed tu quid factitasti mandatis super?

Pistoclerus

Egone ut, quod ab illo adtigisset nuntius,

---

186 me sed uiuit *C* 189 uiuit recte et ualet

Non inpetratum id aduenienti ei redderem?
Regiones colere mauellem Acherunticas.

Chrysalus

Eho, an inuenisti Bacchidem?

Pistoclerus

Samiam quidem.

Chrysalus

Uide, quaeso, ne quis tractet illam indiligens;
Scis tu, ut confringi uas cito Samium solet.

Pistoclerus

Iamne ut soles?

Chrysalus

Dic, ubi ea nunc est, obsecro.

Pistoclerus

Hic, exeuntem me unde adspexisti modo.

Chrysalus

Ut istuc est lepidum! proxume uiciniae
Habitat. Ecquidnam meminit Mnesilochi?

Pistoclerus

Rogas?
Immo unice unum plurumi pendit.

Chrysalus

Papae.

Pistoclerus

Immo ut eam credis? misere amans desiderat.

Chrysalus

Scitum istuc.

---

202 proximae *B* 203 et quidnam 205 eum miserae *B*, misera *C*

Pistoclerus

Immo, Chrysale —

Chrysalus

Hem?

Pistoclerus

Non tantulum

Umquam intermittit tempus, quin eum nominet.

Chrysalus

Tanto hercle melior.

Pistoclerus

Immo —

Chrysalus

Immo hercle abiero

Potius.

Pistoclerus

Num inuitus rem bene gestam audis eri?

Chrysalus

Non res, sed actor mihi cor odio sauciat.

Etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo,

Nullam aeque inuitus specto, si agit Pellio.

Sed Bacchis etiam fortis tibi uisast?

Pistoclerus

Rogas?

Ni nanctus Uenerem essem, hanc Iunonem dicerem.

Chrysalus

Edepol, Mnesiloche, ut hanc rem natam esse intellego,

Quod ames, paratumst, quod des, inuentost opus.

Nam istic fortasse aurost opus.

Pistoclerus

Philippeo quidem.

---

206 Chrisale hem non 208 melior bachis 209 at audis *B*
210 Non erus sed 217 istoc fortasse aurum est

Chrysalus
Atque eo fortasse iam opus est.
Pistoclerus
Immo etiam prius;
Nam iam huc adueniet miles,
Chrysalus
Et miles quidem?
Pistoclerus
Qui de amittunda Bacchide aurum hic exigit.
Chrysalus
Ueniat, quando uolt, atque ita ne mihi sit morae.
Domist; non metuo nec quoiquam supplico,
Dum quidem hoc ualebit pectus perfidia meum.
Abi intro; ego hic curabo. Tu intus dicito
Mnesilochum adesse Bacchidi.
Pistoclerus
Faciam, ut iubes.
Chrysalus
Negotium hoc ad me adtinet aurarium.
Mille et ducentos Philippum adtulimus aureos
Epheso, quos hospes debuit nostro seni;
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Ut aurum ecficiam amanti erili filio.
Sed foris concrepuit nostra. Quinam exit foras?

NICOBULUS SENEX. CHRYSALUS SERUOS.

Nicobulus
Ibo in Piraeum; uisam, ecquae aduenerit
In portum ex Epheso nauis mercatoria.
Nam meus formidat animus, nostrum tam diu
Ibi desidere neque redire filium.

---

219 miles et miles 224 abintro *C* 227 Philippos 230 Unde aurum

Chrysalus

Extexam ego illum pulcre iam, si di uolunt.
Haud dormitandumst; opus est chryso Chrysalo.
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem
Phrixi; itá detondebo auro usque ad uiuam cutem.
Seruos salutat Nicobulum Chrysalus.

Nicobulus

Pro di inmortales, Chrysale, ubi mihist filius?

Chrysalus

Quin tu primum salutem reddis, quam dedi?

Nicobulus

Salue. Sed ubinamst Mnesilochus?

Chrysalus

Uiuit, ualet.

Nicobulus

Uenitne?

Chrysalus

Uenit.

Nicobulus

Euax, adspersisti aquam.
Benene usque ualuit?

Chrysalus

Pancratice atque athletice.

Nicobulus

Quid hoc, qua causa eum in Ephesum miseram?
Accepitne aurum ab hospite Archidemide?

Chrysalus

*H*eu, cor mi et cerebrum, Nicobule, finditur,
Istius hominis ubi fit quaque mentio.
Tun*e* hospitem illum nominas hostem tuum?

---

239 phrixitaque tondebo 243 mnesilochis *C* 247 hospide *C* 248 Eu 250 Tun

Nicobulus

Quid ita, obsecro hercle?

Chrysalus

Quia edepol certo scio,
Uolcanus, Luna, Sol, Dies, di quattuor,
Scelestiorem nullum inluxere alterum.

Nicobulus

Quamne Archidemidem?

Chrysalus

Quam, inquam, Archidemidem.

Nicobulus

Quid fecit?

Chrysalus

Quid non fecit? quin tu id me rogas?
Primumdum infitias ire coepit filio,
Negare se debere tibi triobolum.
Continuo antiquom hospitem nostrum sibi
Mnesilochus aduocauit, Pelagonem senem;
Eo praesente homini extemplo ostendit symbolum,
Quem tute dederas ad eum ut ferret filio.

Nicobulus

Quid, ubi ei ostendit symbolum?

Chrysalus

Infit dicere
Adulterinum et non tuum esse symbolum;
Quotque innocenti ei dixit contumelias!
[Adulterare eum aiebat rebus ceteris.]

Nicobulus

Habetin aurum? id mihi dici uolo.

Chrysalus

Postquam quidem praetor recuperatores dedit,

---

252 sol luna dies diei quattuor 256 cepit 257 triobulum
263 non eum esse 264 quodque *C*

Damnatus demum, ui coactus reddidit
Ducentos Philippum et mille.

Nicobulus

Tantum debuit.

Chrysalus

Porro etiam ausculta pugnam quam uoluit dare.

Nicobulus

Etiamne est quid porro?

Chrysalus

Em, accipitrina haec nunc erit.

Nicobulus

Deceptus sum; Autolyco hospiti aurum credidi.

Chrysalus

Quin tu audi.

Nicobulus

Ingenium auidi haud pernoram hospitis.

Chrysalus

Postquam aurum abstulimus, in nauem conscendimus
Domi cupientes. Forte ut adsedi in stega,
Dum circumspecto, atque ego lembum conspicor
Longum, trygonem maleficum, exornarier.

Nicobulus

Perii hercle; lembus ille mihi laedit latus.

Chrysalus

Is erat communis cum hospite et praedonibus.

Nicobulus

Adeon me fuisse fungum, ut qui illi crederem,
Quom mi ipsum nomen eius Archidemides
Clamaret dempturum esse, si quid crederem?

---

268 deocium *C* 269 et mille philippum 271 hem *C* accipe trina 272 auioloco *B*, auiolico *C* 273 NIC. Immo ingenium 275 Domum 277 Longum st rigorem *B*, Longum est rigorem *C* 280 me esse fuisse *C* crederem *om. C* 281 archidemidis

Chrysalus

Is lembus nostrae naui insidias dabat.
Occepi ego obseruare eos, quamnam rem gerant.
Interea e portu nostra nauis soluitur.
Ubi portu eximus, homines remigio sequi,
Neque aues neque uenti citius. Quoniam sentio,
Quae res gereretur, nauem extemplo statuimus.
Quoniam uident nos stare, occeperunt ratem
Turbare in portu.

Nicobulus

Edepol mortalis malos.
Quid denique agitis?

Chrysalus

Rursum in portum recipimus.

Nicobulus

Sapienter factum a uobis. Quid illi postea?

Chrysalus

Reuorsionem ad terram faciunt uesperi.

Nicobulus

Aurum hercle auferre uoluere; ei rei operam dabant.

Chrysalus

Non me fefellit, sensi; eo exanimatus fui.
Quoniam uidemus auro insidias fieri,
Capimus consilium continuo. Postridie
Auferimus aurum omne illis praesentibus
Palam atque aperte, ut illi id factum sciscerent.

Nicobulus

Scite hercle. Cedo, quid illi?

Chrysalus

Tristes ilico.
Quom extemplo a portu ire nos cum auro uident,

---

284 Hoc coepi *C* 289 Qum *B* 294 dabant *om. C* 296 Quom uidimus 300 Sic ite *C*

Subducunt lembum capitibus quassantibus.
Nos apud Theotimum omne aurum deposiuimus,
Qui illic sacerdos est Dianae Ephesiae.

Nicobulus

Quis istic Theotimust?

Chrysalus

Megalobuli filius,
Qui nunc in Ephesost Ephesiis carissumus.

Nicobulus

Ne ille hercle mihi sit multo tanto carior,
Si me illo auro tanto circumduxerit.

Chrysalus

Quin in ipsa aede *Ephesiae* Dianae conditumst;
Ibidem publicitus seruant.

Nicobulus

Occidistis me;
Nimio hic priuatim seruaretur rectius.
Sed nihilne adtulistis inde auri domum?

Chrysalus

Immo etiam; uerum, quantum adtulerit, nescio.

Nicobulus

Quid, nescis?

Chrysalus

Quia Mnesilochus noctu clanculum
Deuenit ad Theotimum nec mihi credere
Nec quoiquam in naui uoluit, eo ego nescio,
Quantum illim adtulerit; uerum haud permultum adtulit.

Nicobulus

Etiam dimidium censes?

---

303 theothimum, *et sic constanter.* deposuimus 305 Qui 309 Ephesiae *om.* 317 Quantulum attulerit

Chrysalus
Non edepol scio;
Uerum haud opinor.

Nicobulus
Fertne partem tertiam?

Chrysalus
Non hercle opinor; uerum uerum nescio.
Profecto de auro nihil scio, nisi nescio.
Nunc tibimet illuc naui capiundumst iter,
Ut illud reportes aurum ab Theotimo domum.
Atque heus tu,

Nicobulus
Quid uis?

Chrysalus
Anulum gnati tui
Facito ut memineris ferre.

Nicobulus
Quid opust anulo?

Chrysalus
Quia id signumst cum Theotimo, qui eum illi adferat,
Ei aurum ut reddat.

Nicobulus
Meminero, et recte mones.
Sed istic Theotimus diuesnest?

Chrysalus
Etiam rogas?
Quine auro habeat soccis suppactum solum?

Nicobulus
Cur ita fastidit?

---

318 noedepol *B* 320 Non *om. C* 323 theothimum *C* 325 opus *C* 326 adferret *B*, adfert *C* 328 Sed diuesne est istic theothimus 329 Qui

Chrysalus

Tantas diuitias habet:

Nescit, quid faciat auro.

Nicobulus

Mihi dederit, uelim.

Sed qui praesente id aurum Theotimo datumst?

Chrysalus

Populo praesente; nullust Ephesi, quin sciat.

Nicobulus

Istuc sapienter saltem fecit filius,
Quom diuiti homini id aurum seruandum dedit;
Ab eo licebit quamuis subito sumere.

Chrysalus

Immo tantisper numquam te morabitur,
Quin habeas illud, quo die illuc ueneris.

Nicobulus

Censebam me ecfugisse a uita marituma,
Ne nauigarem tandem hoc aetatis senex.
Id mihi haud utrum uelim licere intellego;
Ita bellus hospes fecit Archidemides.
Ubi nunc est ergo meus Mnesilochus filius?

Chrysalus

Deos atque amicos iit salutatum ad forum.

Nicobulus

At ego hinc abeo, illum ut conueniam, quantum potest.

Chrysalus

Illest oneratus recte et plus iusto uehit.
Exorsa haec tela non male omnino mihist,
Ut amantem erilem copem facerem filium.
Ita feci, ut auri quantum uellet sumeret,
Quantum autem lubeat reddere, ut reddat patri.

331 qui *C* 337 Immo hem tantisper 338 habeas illum quo 345 hinc ad illum 348 quopem *B*, quiopem *C*

Senex in Ephesum ibit aurum arcessere;
Hic nostra agetur aetas in malacum modum,
Si quidem hic relinquet neque secum abducet senex
Med et Mnesilochum. Quas ego hic turbas dabo!
Sed quid futurumst, quom hoc senex resciuerit?
Quom se excucurrisse illuc frustra sciuerit
Nosque aurum abusos, quid mihi fiet postea?
Credo hercle, adueniens nomen mutabit mihi
Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.
Aufugero hercle, si magis usus uenerit.
Si ero reprehensus, macto ego illum infortunio.
Si illi sunt uirgae ruri, at mihi tergum domist.
[Nunc ibo; erili filio eius hanc fabricam dabo
Super auro amicaque eius inuenta Bacchide.]

LYDUS SERUOS.

Pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci, obsecro;
Nam equidem haud aliter esse duco; quippe quo nemo aduenit,
Nisi quem spes reliquere omnes, esse ut frugi possiet.
Bacchides non Bacchides sed bacchae sunt acerrumae.
Apage istas a me sorores, quae hominum sorbent sanguinem.
Omnis ad perniciem instructa domus opime atque opipare.
Quae ut adspexi, me continuo contuli protinam in pedes.
Egone ut haec conclusa gestem clanculum? ut celem patrem,
Pistoclere, tua flagitia aut damna aut desidiabula,
Quibus patrem et me teque amicosque omnis adfectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium adpellere una et perdere?

351 arcesere 352 malaeum *C* 366 quipe qui *B*, quippe qui *C* 367 relinquere *C* 370 permitiem *B* 374 adflictas

[Neque mei neque te tui intus puditumst factis, quae facis,
Quibus tuum patrem mequé una, amicos, adfinis tuos
Tua infamia fecisti gerulifigulos flagiti.
Nunc prius quam malum istoc addis, certumst iam dicam patri.]
De me nánc culpam demolibor iam et seni faciam palam,
Ut *ille* eum ex lutulento coeno propere hinc eliciat foras.

MNESILOCHUS ADULESCENS.

Multimodis meditatus egomet mecum sum et ita esse arbitror:
Homini amico, quist amicus ita uti nomen possidet,
Nisi deos ei nihil praestare. Id opera expertus sum esse ita.
Nam ut in Ephesum hinc abii — hoc factumst ferme abhinc biennium —
Ex Epheso huc ad Pistoclerum meum sodalem litteras
Misi, amicam ut mi inueniret Bacchidem. Illum intellego
Inuenisse, ut seruos meus mihi nuntiauit Chrysalus.
Condigne is quam tec*h*nam de auro aduorsum meum fecit patrem,
Ut mihi amanti copia esset, ...
Nam pol quidem meo animo ingrato homine nihil infensiust.
Malefactorem amitti satius quam relinqui beneficum.
Nimio praestat inpendiosum te quam ingratum dicier.
Illud laudabunt boni; hoc etiam ipsi culpabunt mali.
Qua me causa magis cum cura esse aequomst; obuigilato opus.
Nunc, Mnesiloche, specimen specitur, nunc certamen cernitur,
Sisne necne, ut esse oportet, malus, bonus, quoiusmodi,

381 ille *om.* 382 Multis modis 383 quest *B* 384 ita esse *B* 386 sodalem meum 389 tecnam 390 esset, sed eccum uideo incedere 391 inpensiust 394 Illum 395 esse ea cum obuigilato st 397 bonus qua cuiusmodi

Iustus, iniustus, malignus, largus, comis, incommodus.
Caue sis, te superare seruom siris faciundo bene.
Utut eris, moneo, haud celabis. Sed eccos uideo incedere
Patrem sodalis et magistrum; hinc auscultabo, quam rem agant.

LYDUS SERUOS. PHILOXENUS SENEX. MNESILOCHUS ADULESCENS.

Lydus

Nunc experiar, sitne acetum tibi ter acre in pectore.
Sequere.

Philoxenus

Quo sequar? quo ducis nunc me?

Lydus

Ad illam, quae tuum
Perdidit, pessum dedit tibi filium unice unicum.

Philoxenus

Eia, Lyde; leniter qui saeuiunt, sapiunt magis.
Minus mirandumst, illaec aetas si quid illorum facit,
Quam si non faciat; feci ego istaec itidem in adulescentia.

Lydus

Ei mihi, ei mihi, istaec illum perdidit adsentatio;
Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum;
Nunc propter te tuamque prauos factus est fiduciam
Pistoclerus.

Mnesilochus

Di inmortales, meum sodalem hic nominat.
Quid hoc negotist, Pistoclerum Lydus quod erum tam ciet?

398 comincomodus *B*, commodus incommodus *C* 399 serum
400 equos *B* 402 tibi cor acre 404 uni

Philoxenus

Paulisper, Lyde, est lubido homini suo animo obsequi;
Iam aderit tempus, quom sese etiam ipse oderit. Morem geras;
Dum caueatur, praeter aequom ne quid delinquat, sine.

Lydus

Non sino neque equidem me uiuo illum conrumpi sinam.
Sed tu, qui pro tam conrupto dicis causam filio,
Eademne erat haec disciplina tibi, quom tu adulescens eras?
Nego tibi hoc annis uiginti fuisse primis copiae,
Digitum longe a paedagogo pedem ut ecferres aedibus.
Ante solem exorientem nisi in palaestram ueneras,
Gymnasi praefecto poenas haud mediocris penderes.
Id quoi optigerat, hoc etiam ad malum arcessebatur malum:
Et discipulus et magister perhibebantur inprobi.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliundo sese exercebant magis quam scorto aut sauiis.
[Ibi suam aetatem extendebant, non in latebrosis locis.]
Inde de hippodromo et palaestra ubi reuenisses domum,
Cincticulo praecinctus in sella apud magistrum adsideres.
Quom librum legeres, si unam peccauisses syllabam,
Fieret corium tam maculosum, quamst nutricis pallium.

Mnesilochus

Propter me haec nunc meo sodali dici discrucior miser;
Innocens suspicionem hanc sustinet causa mea.

Philoxenus

Alii, Lyde, nunc sunt mores.

Lydus

Id equidem ego certo scio.
Nam olim populi prius honorem capiebat suffragio,
Quam magistro desinebat esse dicto obediens;

422 haud mediocris poenas 423 quo *C* accersebatur 425 asta 430 peccauisset 435 capiebant

At nunc, prius quam septuennis est, si adtingas eum manu,
Extemplo puer paedagogo tabula disrumpit caput.
Quom patrem adeas postulatum, puero sic dicit pater:
„Noster esto, dum te poteris defensare iniuria“.
Prouocatur paedagogus: „Eho senex minumi preti,
Ne adtigas puerum istac causa, quando fecit strenue.
Sit magister quasi lucerna uncto † expretus linteo.“
Itur illinc iure dicto. Hocine hic pacto potest
Inhibere inperium magister, si ipsus primus uapulet?

Mnesilochus

Acris postulatio haec est. Quom huius dicta intellego,
Mira sunt, ni Pistoclerus Lydum pugnis contudit.

Philoxenus

Sed quis hic est, quem adstantem uideo ante ostium?

Lydus

O Philoxene,
Deos propitios me uidere quam illum *haud* mauellem mihi.

Philoxenus

Quis illic est?

Lydus

Mnesilochus gnati tui sodalis ....
Haud consimili ingenio atque illest, qui in lupanari adcubat.
Fortunatum Nicobulum, qui illum produxit sibi!

Philoxenus

Saluos sis, Mnesiloche; saluom te aduenire gaudeo.

Mnesilochus

Di te ament, Philoxene.

Lydus

Hic enim rite productust patri.
In mare it, rem familiarem curat, custodit domum;

438 dirrumpit *C* 442 adtingas 443 Id *B*, Et *C* 449 MNE *præfigit B* haud *om.* 450 sodalis pistocleri 455 iit *B*, ut *C*

Obsequens obediensquest mori atque inperiis patris.
Hic sodalis Pistoclero iam puer puero fuit;
Triduum non interest aetatis ut maior siet;
Uerum ingenium plus triginta annis maius quam alterist.
Nam illum meum malum promptare malim quam peculium.

Philoxenus

Quidum?

Lydus

Quia, malum si promptet, in dies faciat minus.

Philoxenus

Caue malum et conpesce in illum dicere iniuste.

Lydus

Tace;
Stultus es, qui illi male aegre patere dici, qui facit.

Mnesilochus

Quid sodalem meum castigas, Lyde, discipulum tuum?

Lydus

Periit tibi sodalis.

Mnesilochus

Ne di sirint.

Lydus

Sic est, ut loquor.
Quin ego, quom peribat, uidi, non ex audito arguo.

Mnesilochus

Quid factumst?

Lydus

Meretricem indigne deperit.

Mnesilochus

Non tu taces?

Lydus

Ac quae acerrume aestuosa absorbet, ubi quemque adtigit.

---

456 more 458 uter maior 460—61 *leguntur post 463* 464 sosodalem *C* 465 Ne deserint *C* 468 Atque acerrume aestuose *B*, Atque acerrumea est uos *C*

Mnesilochus

Ubi ea mulier habitat?

Lydus

Hic.

Mnesilochus

Unde esse eam aiunt?

Lydus

Ex Samo.

Mnesilochus

Quae uocatur?

Lydus

Bacchis.

Mnesilochus

Erras, Lyde; ego omnem rem scio,
Quem ad modumst; tu Pistoclerum falso atque insontem arguis.
Nam ille amico et beneuolenti suo sodali sedulo
Rem mandatam exsequitur; ipsus neque amat, nec tu creduas?

Lydus

Itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo,
Ut ipsus in gremio osculantem mulierem teneat sedens?
Nullon pacto res mandata potest agi, nisi identidem
Manus ferat ad papillas, *nisi* labra a labris nusquam auferat?
Nam alia memorare, quae illum facere uidi, dispudet,
Quom manum sub uestimenta ad corpus tetulit Bacchidi
Me praesente, neque pudere quidquam. Quid uerbis opust.
Mihi discipulus, tibi sodalis periit, huic *suus* filius;
Nam ego illum perisse dico, quoi quidem periit pudor.
[Quid opust uerbis? si opperiri uellem paulisper modo,

---

469 eam esse 473 ipsius nec *C* crederas *C* 474 agere *B*
476 Nullo *B* 477 nisi *om.* 478 disputet *C* 479 detulit *B*
481 suus *om.* 483 uelbis *B*

Ut opinor, illius inspectandi mihi esset maior copia,
Plus uidissem, quam deceret, quam me atque illo aequom
foret.]
Mnesilochus
Perdidisti me, sodalis. Egone *ut* illam mulierem
Capitis non perdam? perire me malis malim modis.
Satin ut, quem tu habeas fidelem tibi aut quoi credas, nescias?
Lydus
Uiden, ut aegre patitur gnatum esse conruptum tuum,
Suum sodalem, ut ipsus sese cruciat aegritudine?
Philoxenus
Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium
regas.
Serua tibi sodalem et mihi .... filium.
Mnesilochus
Factum uolo.
Lydus
Melius esset, me quoque una si cum illo relinqueres.
Philoxenus
Adfatim Mnesilocho est curae.
Lydus
Concastiga hominem probe,
Qui dedecorat te, me amicosque alios flagitiis suis.
Philoxenus
In te ego hoc onus omne inpono. Lyde, sequere hac me.
Lydus
Sequor.

MNESILOCHUS ADULESCENS.

Inimiciorem nunc utrum credam magis
Sodalemne esse an Bacchidem, incertum admodumst.

---

486 ut *om.* 488 quoi *om. C* 489 correptum *C* 493 Melius multo .... si cum hoc relinqueres *A* 494 Mnesilocest *A*, Mnesiloche cura et *BC* 495 amicum atque *A*, amicos atque *BC* 496 ergo *BC* inpone *BC* 497 Immitiorem *B*, · mmitior ẽ *C*

Illum exoptauit potius? Habeat; optumest.
Ne illa illud hercle cum malo fecit suo;
Nam mihi diuini numquam quisquam creduat,
Ni ego illam exemplis plurumis planeque — amo.
[Ego faxo haud dicet nactam quem deluserit;
Nam iam domum ibo atque aliquid surripiam patri;
Id isti dabo. Ego istanc multis ulciscar modis.
Adeo ego illam cogam usque, ut mendicet meus pater.
Sed satine ego animum mente sincera gero,
Qui ad hunc modum haec hic, quae futura, fabulor?
Amo hercle opinor, ut pote quod pro certo sciam.]
Uerum quam illa umquam de mea pecunia.
Ramenta fiat plumbea propensior,
Mendicum malim mendicando uincere.
Numquam edepol uiua me inridebit; nam mihi
Decretumst renumerare iam omne aurum patri.
Igitur mihi inani atque inopi subblandibitur
Tum quom nihilo pluris blandiri referet,
Quam si ad sepulcrum mortuo narret iocos.
Profecto stabilest me patri aurum reddere.
Eadem exorabo, Chrysalo causa mea
Pater ne noceat neu quid ei suscenseat,
Mea causa de auro quod eum ludificatus est.
Nam illi aequomst me consulere, qui causa mea
Mendacium ei dixit. Uos me sequimini.

499 optumum est *A* 500 illa id hercle *A* suo meo *BC* 503 hau *A* derideat *BC* 504—6 Nam iam domum ibo atque ut mendicet meus pater *A* 511 plumea 513 me *om. B* 514 remunerare *C* 516 pluris mihi blandiri refert *A*, cum mihi nihilo pluris referet *BC* 517 mortuo dicat iocum *BC* *Post* 517 *BC hæc habent:*

Sed autem quam illa umquam meis opulentiis
Ramenta fiat grauior aut propensior,
Mori me malim excruciatum inopia.

522 Nam ei *A* 523 ei *om. BC.*

PISTOCLERUS ADULESCENS.

Rebus aliis anteuortar, Bacchis, quae mandas mihi,
Mnesilochum ut requiram atque ut eum mecum ad te adducam simul.
Nunc illud animus meus miratur, si a me tetigit nuntius,
Quid remoretur. Ibo, ut uisam huc ad eum, si fortest domi.

MNESILOCHUS PISTOCLERUS, ADULESCENTES DUO.

Mnesilochus

Reddidi patri omne aurum; nunc ego illam me uelim
Conuenire, postquam inanis sum, contemptricem meam.
Sed ueniam mihi quam grauate pater dedit de Chrysalo!
Uerum postremo inpetraui, ut ne quid ei suscenseat.

Pistoclerus

Estne hic meus sodalis?

Mnesilochus

Estne hic hostis, quem adspicio, meus?

Pistoclerus

Certe is est.

Mnesilochus

Is est.

Pistoclerus

Adibo contra et *con*tollam gradum.
Saluos sis, Mnesiloche.

Mnesilochus

Salue.

Pistoclerus

Saluos quom peregre aduenis,
Cena detur.

525 atque eum *A* 526 Nam *BC* 527 remoratur. Ibo et uisam *BC* 528 ego *om. A* 532 meus hostis quem aspitio *C* 533 tollam

Mnesilochus

Non placet mihi cena, quae bilem mouet.

Pistoclerus

Num quae aduenienti aegritudo obiectast?

Mnesilochus

Atque acerruma.

Pistoclerus

Unde?

Mnesilochus

Ab homine, quem mihi amicum esse arbitratus sum antidhac.

Pistoclerus

Multi more isto atque exemplo uiuont, quos quom censeas
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.
Nullus est, quoi non inuideant rem secundam optingere;
Sibi ne inuideatur, ipsi ignauia recte cauent.

Mnesilochus

Edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes.
Sed etiam unum hoc ex ingenio malo malum inueniunt suo:
Nulli amici sunt, inimicos ipsi in sese omnis habent;
Atque ii se quom frustrant, frustrari alios stolidi existumant.
Sic ut est hic, quem *aeque* esse amicum ratus sum atque ipsus sum mihi.
Ille, quod in se fuit, adcuratum habuit, quod posset mali,
Faceret in me, inconciliaret copias omnis meas.

Pistoclerus

Inprobum istunc esse oportet hominem.

Mnesilochus

Et ego ita esse arbitror.

---

536 acerrumæ *B*, acerrume *C* 537 andedhac *B* 538—49 *om. A* 539 falsis 540 subuesta *B*, subuecta *C* 541 qui non inuideat 542 ignaui 546 Atque hic *C* frustantur *B* frustrantur *C* 547 aeque *om.* 550 Et *om.*

Pistoclerus

Obsecro hercle, eloquere, quis is est?

Mnesilochus

Beneuolens uiuit tibi;
Nam ni ita esset, tecum orarem ut, ei quod posses mali
Facere, faceres.

Pistoclerus

Dic modo hominem, qui sit; si non fecero
Ei male aliquo pacto, me esse dicito ignauissumum.

Mnesilochus

Nequam homost, uerum hercle amicus est tibi.

Pistoclerus

Tanto magis
Dic, quis est; nequam hominis ego parui pendo gratiam.

Mnesilochus

Uideo non potesse, quin tibi eius nomen eloquar.
Pistoclere, perdidisti me sodalem funditus.

Pistoclerus

Quid istuc est?

Mnesilochus

Quid sit? Misine ego ad te ex Epheso epistulam
Super amica, ut mihi inuenires?

Pistoclerus

Fateor factum et repperi.

Mnesilochus

Quid, tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi,
Eam ut occiperes tute amare et mi ires consultum male?

Pistoclerus

Sanun es?

---

551 Obsequere loquere 559 Quid est? me sine *C* 561 Qui 563 Eam ut *om.* me

Mnesilochus

Rem repperi omnem ex tuo magistro; ne nega.
Perdidisti me,

Pistoclerus

Etiamne ultro tuis me prolectas probris?

Mnesilochus

Quia amas Bacchidem.

Pistoclerus

Duas ergo hic intus eccas Bacchides.

Mnesilochus

Quid, duas?

Pistoclerus

Atque ambas sorores.

Mnesilochus

Loqueris nunc nugas sciens.

Pistoclerus

Postremo, si pergis paruam mihi fidem arbitrarier,
Tollam ego ted in collum atque intro hinc auferam.

Mnesilochus

Immo ibo; mane.

Pistoclerus

Non maneo, neque tu me habebis falso suspectum.

Mnesilochus

Sequor.

PARASITUS.

Parasitus ego sum hominis nequam atque inprobi,
Militis, qui amicam secum auexit ex Samo.
Nunc me ire iussit ad eam et percontarier,
Utrum aurum reddat anne eat secum simul.

565 proiectas *B* 566 MN. Quid amas? PI. bachidem. duas 567 duae 568 parum *Titulus scenæ* PARASITUS. PUER. ADOLESCENS. *B, C om.* 573 mei re *C* 574 semul

Tu dudum, puere, cum illac usque isti simul;
Quae harum sunt aedes, pulta; adi actutum ad foris. —
Recede hinc dierecte. Ut pulsat propudium!
Comesse panem tris pedes latum potes,
Foris pultare nescis. Ecquis in aedibust?
Heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?
Ecqui exit?

PISTOCLERUS. *PARASITUS.*

Pistoclerus

Quid istuc? quae istaec est pulsatio?
Pol qui te mala crux agitat, qui ad istunc modum
Alieno uiris tuas extentes ostio.
Foris paene ecfregisti. Quid nunc uis tibi?

Parasitus

Adulescens, salue.

Pistoclerus

Salue. Sed quem quaeritas?

Parasitus

Bacchidem.

Pistoclerus

Utram ergo?

Parasitus

Nihil scio nisi Bacchidem.
Paucis: me misit miles ad eam Cleomachus,
Uel ut ducentos Philippos reddat aureos
Uel ut hinc in Elatiam hodie eat secum simul.

---

575 puer illa semul 578 Commesse 579 pultares *C* PUER Ecquis his in 581 Ecquis 582 Pol *om.* 584 exfregisti *B*, effregisti *C* 589 semel *B*, semul *C*

Pistoclerus

Non it; negato esse ituram. Abi et renuntia:
Alium illa amat, non illum. Duc te ab aedibus.

Parasitus

Nimis iracunde.

Pistoclerus

At scin quam iracundus siem?
Ne tibi hercle haud longest os ab infortunio;
Ita dentifrangibula haec meis manibus gestiunt.

Parasitus

Quom ego huius uerba interpretor, mihi cautiost,
Ne nucifrangibula excussit ex malis meis.
Tuo ego istaec igitur dicam illi periculo.

Pistoclerus

Quid ais tu?

Parasitus

Ego istuc illi dicam.

Pistoclerus

Dic mihi,
Quis tu es?

Parasitus

Illius sum integumentum corporis.

Pistoclerus

Nequam esse oportet, quoi tam integumentum inprobumst.

Parasitus

Sufflatus ille huc ueniet.

Pistoclerus

Disrumptum uelim.

Parasitus

Num quid uis?

---

599 integimentum 600 cui tu integumentum improbus es 601 dirrumptum 602 Nunc quid

Pistoclerus

Abeas; celeriter factost opus.

Parasitus

Uale, dentifrangibule.

Pistoclerus

Et tu, integumentum, uale. —
In eum haec deuenit res locum, ut, quid consili
Dem meo sodali super amica, nesciam,
Qui iratus renumerauit omne aurum patri.
Neque nummus ullust, qui reddatur militi.
Sed huc concedam; nam concrepuerunt fores.
Mnesilochus eccum maestus progreditur foras.

MNESILOCHUS. PISTOCLERUS.

Mnesilochus

Petulans, proteruo, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo et modestia sum, sine bono iure atque honore,
Incredibilis inposque animi, inamabilis, inlepidus uiuo,
Maleuolente ingenio natus; postremo id mihist, quod uolo
Ego esse aliis. Credibile hoc est? Nequior nemost
Neque indignior, quoi di benefaciant neque quem quisquam homo aut amet aut adeat.
Inimicos quam amicos aequiust me habere;
Malos quam bonos par magis me iuuare.
Omnibus probris, quae inprobis uiris
Digna sunt, dignior nullus est homo,
Qui patri reddidi omne aurum amens,
Quod fuit prae manu. Sumne ego homo miser?
Perdidi me atque operam Chrysali.

Pistoclerus

Consolandus hic mihist; ibo ad eum.
Mnesiloche, quid fit?

---

604 In eum nunc hæc reuenit 616 equu st *B* 618 improbris 620 amans

Mnesilochus
Perii.
Pistoclerus
Di melius faciant.
Mnesilochus
Perii.
Pistoclerus
Non taces? insipiens.
Mnesilochus
Taceam?
Pistoclerus
Sanus satis non es.
Mnesilochus
Perii.
Multa mala mihi in pectore nunc acria atque acerba eueniunt.
Criminin me habuisse fidem? Inmerito tibi iratus fui.
Pistoclerus
Eia, bonum habe animum.
Mnesilochus
Unde habeam? Mortuus pluris pretist, quam ego sum.
Pistoclerus
Militis parasitus modo uenerat aurum petere hinc;
Eum ego meis dictis malis his foribus atque hac ...
Reppuli, reieci hominem.
Mnesilochus
Quid mihi id prodest?
Quid faciam? nihil habeo miser; ille quidem hanc abducet, scio.
Pistoclerus
Si mihi sit, non pollicear.
Mnesilochus
Scio, dares; noui;
Sed, nisi ames, habeam tibi fidem tantam;

626 acri atque acerua *C* 628 preci ist *C* 631 repuli *B* 633 est 634 non habeam

Nunc agitas sat tute tuarum rerum;
Egone ut opem mihi ferre putem posse inopem te?
Pistoclerus
Tace modo; deus respiciet nos aliquis.
Mnesilochus
Nugae.
Pistoclerus.
Mane.
Mnesilochus
Quid est?
Pistoclerus
Tuam copiam eccum Chrysalum uideo.

CHRYSALUS SERUOS. MNESILOCHUS PISTOCLERUS, ADULESCENTES.

Chrysalus
Hunc hominem decet auro expendi; huic decet statuam statui ex auro;
Nam duplex hodie facinus feci, duplicibus spoliis sum adfectus.
Erum maiorem meum ut ego hodie lusi lepide, ut ludificatust!
Callidum senem callidis dolis
Conpuli et perpuli, mihi omnia ut crederet.
Nunc amanti ero, filio senis,
Quicum ego bibo, quicum edo et amo,
Regias copias aureasque optuli,
Ut domo sumeret neu foris quaereret.
Non mihi isti placent Parmenones, Syri,
Qui duas aut tris minas auferunt eris.
Nequius nihil est quam egens consili seruos, nisi habet
Multipotens pectus. Ubiquomque usus siet, pectore expromat suo.

635 satrute *C* 645 *cum antecedenti iungit B* 647 *item* 650 consiliis *B* 651 suo *om. C*

Nullus frugi esse potest homo,
Nisi qui et bene et male facere tenet.
Inprobus cum inprobis sit, harpaget *cum* furibus,
Furetur, quod queat.
Uorsipellem frugi conuenit esse hominem,
Pectus quoi sapit. Bonus sit bonis; malus sit malis;
Ut quaequomque res sit, ita animum habeat.
Sed lubet scire, quantum aurum erus sibi
Dempsit et quid suo reddidit patri.
Si frugist, Herculem fecit ex patre;
Decumam partem ei dedit, sibi nouem abstulit.
Sed quem quaero, optume ecce obuiam mihist.
Num qui nummi exciderunt, ere, tibi,
Quod sic terram optuere?
Quid uos maestos tam tristisque conspicor?
Non placet nec temerest etiam. Quin respondetis mihi?

Mnesilochus

Chrysale, occidi.

Chrysalus

Fortassis tu auri dempsisti parum?

Mnesilochus

Qui, malum, parum? immo uero nimio minus multo parum.

Chrysalus

Quid igitur *tu*, stulte, quoniam occasio ad eam rem fuit
Mea uirtute parta, ut quantum uelles tantum sumeres,
Sic hoc digitulis duobus sumebas primoribus?
An nescibas, quam eius modi homini raro tempus se daret?

Mnesilochus

Erras.

---

654 arpaget furibus 655 *cum antecedenti iungit B* 667 quin mihi respondetis *B*, quin mihi respondeas *C* 668 *postponitur proximo.* 669 Quia 670 tu *om.* 672 Si *B* 673 nesciebas

Chrysalus

At quidem tute errasti, quom parum inmersti ampliter.

Mnesilochus

Pol tu quam nunc me accuses magis, si magis rem noueris.

Chrysalus

Occidi. Animus iam istoc dicto plus praesagitur mali.

Mnesilochus

Perii.

Chrysalus

Quid ita?

Mnesilochus

Quia patri omne cum ramento reddidi.

Chrysalus

Reddidisti?

Mnesilochus

Reddidi.

Chrysalus

Omnene?

Mnesilochus

Oppido.

Chrysalus

Occisi sumus.

Qui in mentem uenit tibi istuc facinus facere tam malum?

Mnesilochus

Bacchidem atque hunc suspicabar propter crimen, Chrysale,

Mi male consuluisse; ob eam rem omne aurum iratus reddidi Meo patri.

---

681 Male *B*, Me male *C*

Chrysalus

Quid, ubi reddebas aurum, dixisti patri?

Mnesilochus

Me id aurum accepisse extemplo ab hospite Archidemide.

Chrysalus

Em,

Istoc dicto *tu* dedisti hodie in cruciatum Chrysalum;
Nam ubi me adspiciet, ad carnuficem rapiet continuo senex.

Mnesilochus

Ego patrem exoraui.

Chrysalus

Nempe ergo hoc ut faceret, quod loquor?

Mnesilochus

Immo tibi ne noceat neu quid ob eam rem suscenseat;
Atque aegre inpetraui. Nunc hoc tibi curandumst, Chrysale,

Chrysalus

Quid uis curem?

Mnesilochus

Ut ad senem etiam alteram facias uiam.
Conpara, fabricare, finge, quod lubet conglutina,
Ut senem hodie doctum docte fallas aurumque auferas.

Chrysalus

Uix uidetur fieri posse.

Mnesilochus

Perge, ac facile ecfeceris.

Chrysalus

Qui, malum, facile? quem mendaci prendit manufestum modo;
Quem si orem, ut mihi nihil credat, id non ausit credere.

Mnesilochus

Immo si audias, quae dicta dixit me aduorsum tibi.

---

684 tu *om.* incrutiatum *C* 688 curandus est *C* 691 sene modie *C* arumque *C* 692 hæc feceris 693 Quam *B*, Qua *C* manufesto 694 nihil mihi *C*

Chrysalus

Quid dixit?

Mnesilochus

Si tu illum solem sibi solem esse diceres,
Se illum lunam credere esse et noctem, qui nunc est dies.

Chrysalus

Emungam hercle hominem probe hodie, ne id nequiquam dixerit.

Pistoclerus

Nunc quid nos uis facere?

Chrysalus

Nihil enim nisi, ut ametis, inpero.
Ceterum quantum lubet me poscitote aurum; ego dabo.
Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo?
Sed nunc quantillum usust auri tibi, Mnesiloche, dic mihi.

Mnesilochus

Militi nummis ducentis iam usus est pro Bacchide.

Chrysalus

Ego dabo.

Mnesilochus

Tum nobis opus est sumptu.

Chrysalus

Ah, placide uolo
Unum quidque agamus; hoc ubi egero, tum istuc agam.
De ducentis nummis primum intendam ballistam in senem.
Ea ballista si peruortam turrim et propugnacula,
Recta porta inuadam extemplo in oppidum antiquom et uetus.
Si id capso, geritote amicis uostris aurum corbibus,
Sic ut animus sperat.

Pistoclerus

Apud test animus noster, Chrysale.

---

696 Qui *C* 698 Emugam *B* 699 Enim nihil est 702 quantulum *C* 706 balistam *B* 710 Sicui

Chrysalus

Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem atque ecfer cito

Pistoclerus

Quid?

Chrysalus

Stilum, ceram et tabellas, linum.

Pistoclerus

Iam faxo hic erunt.

Mnesilochus

Quid nunc es facturus?

Chrysalus

Id mihi dice: coctumst prandium?
Uos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia?

Mnesilochus

Sic ut dicis.

Chrysalus

Pistoclero nulla amicast?

Mnesilochus

Immo adest;
Alteram ille amat sororem, ego alteram, ambas Bacchides.

Chrysalus

Quid tu loqueris?

Mnesilochus

Quot futuri sumus.

Chrysalus

Ubist biclinium
Uobis stratum?

Mnesilochus

Quid id exquaeris?

---

713 Id mihi dice CH. coctum prandium *C* 717 Hoc ut futuri 718 exqueris

Chrysalus

Res itast: dici uolo.
Nescis, quid ego acturus sim neque facinus quantum exordiar.

Mnesilochus

Cedo manum ac subsequere propius me ad foris. Intro inspice.

Chrysalus

Euax, nimis bellus atque ut esse maxume optabam locus.

Pistoclerus

Quae † inperauisti. Inperatum bene bonis factum ilicost.

Chrysalus

Quid parasti?

Pistoclerus

Quae parare tu iussisti omnia.

Chrysalus

Cape stilum propere et tabellas tu has tibi.

Mnesilochus

Quid postea?

Chrysalus

Quod iubebo, scribito istic; nam propterea *te* uolo
Scribere, ut pater cognoscat litteras, quando legat.
Scribe.

Mnesilochus

Quid scribam?

Chrysalus

Salutem tuo patri uerbis tuis.

Pistoclerus

Quid si potius morbum et mortem scribat? Id erit rectius.

Mnesilochus

Ne interturba. — Iam inperatum in cera inest.

Chrysalus

Dic, quem ad modum.

---

720 fores 724 tuas tibi 725 te *om.* 728 et *om. C*

Mnesilochus

„Mnesilochus salutem dicit suo patri".

Chrysalus

Adscribe hoc cito:

„Chrysalus mihi usque quaque loquitur nec recte, pater,
Quia tibi aurum reddidi et quia non te *de*fraudauerim."

Pistoclerus

Mane, dum scribit.

Chrysalus

Celerem oportet esse amatoris manum.

Pistoclerus

At quidem herclest *ad* perdundum magis quam ad scribundum cita.

Mnesilochus

Loquere; hoc scriptumst.

Chrysalus

„Nunc, pater mi, proin tu ab eo ut caueas tibi,
Sycophantias conponit, aurum ut abs te auferat;
Et profecto se ablaturum dixit." Plane adscribito.

Mnesilochus

Dic modo.

Chrysalus

„Atque id pollicetur se daturum aurum mihi,
Quod dem scortis, quodque in lustris comedim, congraecer, pater.
Sed, pater, uide, ne tibi hodie uerba det; quaeso, caue."

Mnesilochus

Loquere porro.

Chrysalus

Adscribedum.

Mnesilochus

Etiam loquere, quid scribam, modo.

---

730 cito hoc cito *B* 732 aurum tibi aurum *B* . fraudauerim 734 Atque idem hercle em perdundum scito *B*, scito *C* 739 comedim et congregem 740 uide *om. C*

Chrysalus

„Sed, pater, quod promisisti mihi, te quaeso, ut memineris,
Ne illum uerberes; uerum apud te uinctum adseruato domi."
Cedo tu ceram ac linum actutum. Age obliga, obsigna cito.

Mnesilochus

Obsecro, quid istis ad istunc usust conscriptis modum,
Ut tibi ne quid credat atque ut uinctum te adseruet domi?

Chrysalus

Quia ita mihi lubet. Potin, ut cures te atque ut ne parcas mihi?
Mea fiducia opus conduxi et meo periclo rem gero.

Mnesilochus

Aequom dicis.

Chrysalus

Cedo tabellas.

Mnesilochus

Accipe.

Chrysalus

Animum aduortite,
Mnesiloche et tu Pistoclere, iam facite in biclinio
Cum amica sua uterque adcubitum eatis, ita negotiumst,
Atque ibidem, ubi nunc sunt lecti strati, potetis cito.

Pistoclerus

Num quid aliud?

Chrysalus

Hoc, atque etiam: ubi erit adcubitum semel,
Ne quoquam exsurgatis, donec a me erit signum datum.

Pistoclerus

O inperatorem probum!

Chrysalus

Iam bis bibisse oportuit.

748 periculo 749 PI. Equum 755 O *om. B*

Mnesilochus

Eamus.

Chrysalus

Uos uostrum curate officium, ego ecficiam meum. —
Insanum magnum molior negotium
Metuoque, ut hodie possiem emolirier.
Sed nunc truculento mi atque saeuo usus senest;
Nam non conducit huic *nunc* sycophantiae
Senem tranquillum esse, ubi me adspexerit.
Uorsabo ego illum hodie, si uiuo, probe.
Tam frictum ego illum reddam, quam frictumst cicer.
Adambulabo ad ostium, ut, quando exeat,
Extemplo aduenienti ei tabellas dem in manum.

NICOBULUS SENEX. CHRYSALUS SERUOS.

Nicobulus

Nimio illaec res est magnae diuidiae mihi,
Supterfugisse sic mihi hodie Chrysalum.

Chrysalus

Saluos sum; iratus est senex. Nunc est mihi
Adeundi ad hominem tempus.

Nicobulus

Quis loquitur prope?
Atque hic quidem, opinor, Chrysalus*t*.

Chrysalus

Accessero.

Nicobulus

Bone serue, salue; quid fit? Quam mox nauigo
In Ephesum, ut aurum repetam ab Theotimo domum?

---

756 Fugiamus 758 possim *C* 760 non *om. C* nunc *om.* 762 hodie illum *C* 766 mane diuidie 769 Ad eundem *C* 770 Chrisalus 772 te ohimo *C*

Taces? per omnis deos adiuro, ut, ni meum
Gnatum tam amem atque ei facta cupiam, quae is uelit,
Ut tua iam uirgis latera lacerentur probe,
Ferratusque in pistrino aetatem conteras.
Omnia resciui scelera ex Mnesilocho tua.

Chrysalus

Men criminatust? Optumest. Ego sum malus,
Ego sum sacer, scelestus; specta rem modo;
Ego uerbum *nullum* faciam.

Nicobulus

Etiam, carnufex,
Minitare?

Chrysalus

Nosces tu illum actutum, qualis sit.
Nunc has tabellas ferre me iussit tibi;
Orabat, quod istic esset scriptum, ut fieret.

Nicobulus

Cedo.

Chrysalus

Nosce signum.

Nicobulus

Noui. Ubi ipsest?

Chrysalus

Nescio.
Nihil iam me oportet scire; oblitus sum omnia;
Scio me esse seruom; nescio etiam id, quod scio. —
Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit;
Pendebit hodie pulcre, ita intendi tenus.

Nicobulus

Manedum parumper; iam exeo ad te, Chrysale.

---

780 nullum *om.* 782 hasce 783 Orabat ut quod *B*, Orabat quid *C* 787 trasenna 788 intendit erus 789 ad te exeo

Chrysalus

Ut uerba mihi dat! ut nescio, quam rem gerat!
Seruos arcessit intus, qui me uinciant.
Bene nauis agitatur, pulcre haec confertur ratis.
Sed conticiscam; nam audio aperiri foris.

NICOBULUS SENEX. CHRYSALUS SERUOS. LORARIUS.

Nicobulus

Constringe tu illi, Artamo, actutum manus.

Chrysalus

Quid feci?

Nicobulus

Inpinge pugnum, si muttiuerit.
Quid hae loquontur literae?

Chrysalus

Quid me rogas?
Ut ab illo accepi, ad te obsignatas adtuli.

Nicobulus

Eho tu, loquitatusne es gnato meo
Male per sermonem, quia mi id aurum reddidit,
Et te dixisti id aurum ablaturum tamen
Per sycophantiam?

Chrysalus

Egone istuc dixi?

Nicobulus

Ita.

Chrysalus

Quis homost, qui dicat me dixisse istuc?

Nicobulus

Tace.

---

792 hic *B*, hec *C* 796 locuntur

Nullus homo dicit; hae tabellae te arguunt,
Quas tu adtulisti. Em, hae te uinciri iubent.

Chrysalus

Aha.

Bellerophontem iam tuus me fecit filius;
Egomet tabellas tetuli, ut uincirer. Sine.

Nicobulus

Propterea hoc facio, ut suadeas gnato meo,
Ut pergraecetur tecum, teruenefice.

Chrysalus

O stulte, stulte, nescis nunc uenire te;
Atque in eopse adstas lapide, ut praeco praedicat.

Nicobulus

Responde, quis me uendit?

Chrysalus

Quem di diligunt,
Adulescens moritur, dum ualet, sentit, sapit.
Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,
Plus iam uiginti mortuum esse oportuit.
Terrae odium *iam diu* ambulat; iam nihil sapit
Nec sentit; tantist, quantist fungus putidus.

Nicobulus

Tun terrae me odium esse autumas? Abducite hunc
Intro atque adstringite ad columnam fortiter.
Numquam auferes hinc aurum.

Chrysalus

Atqui iam dabis.

Nicobulus

Dabo?

Chrysalus

Atque orabis me quidem ultro, ut auferam,

---

805 Bello rophantem *B*, Bellorophontem *C* 806 detuli *C* 808 pergregetur 810 in eo ipso 811 diligunt di 815 iam diu *om.*

Quom illum rescisces criminatorem meum,
Quanto in periclo et quanta in pernicie siet.
Tum libertatem Chrysalo largibere;
Ego adeo numquam accipiam.

Nicobulus

Dic, scelerum caput,
Dic, quo in periclost meus Mnesilochus filius?

Chrysalus

Sequere hac me; faxo iam scies.

Nicobulus

Quo gentium?

Chrysalus

Tres unos passus.

Nicobulus

Uel decem.

Chrysalus

Agedum tu, Artamo,
Forem hanc pausil*lu*lum aperi; placide, ne crepet.
Sat est. Accede huc tu. Uiden conuiuium?

Nicobulus

Uideo exaduorsum Pistoclerum et Bacchidem.

Chrysalus

Qui sunt in lecto illo altero?

Nicobulus

Interii miser.

Chrysalus

Nouistine hominem?

Nicobulus

Noui.

---

821 reccisces *B* 822 periculo permittie *C* 823 lagibere *B* 825 periculo est *B* 827 passos *B* 828 Fortem *C* pausillum crepa

Chrysalus

Dic sodes mihi,
Bellan uidetur specie mulier?

Nicobulus

Admodum.

Chrysalus

Quid? illam meretricemne esse censes?

Nicobulus

Quippini?

Chrysalus

Frustra es.

Nicobulus

Quis igitur, obsecro, est?

Chrysalus

Inueneris;
Ex me quidem hodie numquam fies certior.

CLEOMACHUS MILES. NICOBULUS SENEX. CHRYSALUS SERUOS.

Cleomachus

Meamne hic Mnesilochus Nicobuli filius
Per uim ut retineat mulierem? Quae haec factiost?

Nicobulus

Quis illest?

Chrysalus

Per tempus hic uenit miles mihi.

Cleomachus

Non me arbitratur militem sed mulierem,
Qui me meosque non queam defendere.
Nam neque Bellona mihi umquam neque Mars creduat,

834 metricemne *B* Quippeni 835 Frustres

Ni illum exanimalem faxo, si conuenero,
Niue exheredem fecero uitae suae.
Nicobulus
Chrysale, quis illest, qui minatur filio?
Chrysalus
Uir hic est illius mulieris, quicum adcubat.
Nicobulus
Quid, uir?
Chrysalus
Uir, inquam.
Nicobulus
Nupta est illa, obsecro?
Chrysalus
Scies haud multo post.
Nicobulus
Oppido interii miser.
Chrysalus
Quid nunc? scelestus tibi uidetur Chrysalus?
Age nunc uincito me, auscultato filio.
Dixin tibi ego illum te inuenturum, qualis sit?
Nicobulus
Quid nunc ego faciam?
Chrysalus
Iube sis me exsolui cito;
Nam ni ego exsoluor, iam manufesto hominem opprimet.
Cleomachus
Nihil est lucri, quod me hodie facere mauelim
Quam illum cubantem cum illa opprimere, ambo ut necem.
Chrysalus
Audin, quae loquitur? Quin tu me exsolui iubes?
Nicobulus
Exsoluite istum. Perii, pertimui miser.

---

846 quae cum *B*, qua cum *C* · 851 siet

Cleomachus

Tum illam, quae corpus publicat uolgo suum,
Faxo se haud dicat nanctam, quem derideat.

Chrysalus

Pacisci cum illo paulula pecunia
Potes.

Nicobulus

Paciscere ergo, obsecro, quod tibi lubet,
Dum ne manufesto hominem opprimat neue enicet.

Cleomachus

Nunc nisi ducenti Philippi redduntur mihi,
Iam illorum ego animam amborum exsorbebo oppido.

Chrysalus

Em, illoc pacisci rem potes.

Nicobulus

Perge, obsecro;
Paciscere quiduis.

Chrysalus

Ibo et faciam sedulo.
Quid clamas?

Cleomachus

Ubi erus tuus est?

Chrysalus

Nusquam; nescio.
Uis tibi ducentos nummos iam promittier,
Ut ne clamorem hic facias neu conuicium?

Cleomachus

Nihil est, quod malim.

Chrysalus

Atque ut tibi mala multa ingeram?

861 quid lubet tibi *C* 865 paciscere si potes 866 Pacisce *B* 867 eros *B* 868 iam *om. B*

Cleomachus

Tuo arbitratu.

Nicobulus

Ut subblanditur carnufex!

Chrysalus

Pater hic Mnesilochist, sequere, is promittet tibi.
Tu aurum rogato; ceterum uerbum sat est.

Nicobulus

Quid fit?

Chrysalus

Ducentis Philippis rem pepigi.

Nicobulus

Ah, salus
Mea, seruauisti me. Quam mox dico „dabo"?

Chrysalus

Roga hunc tu, tu promitte huic.

Nicobulus

Promitto; roga.

Cleomachus

Ducentos nummos aureos Philippos probos
Dabin?

Chrysalus

„Dabuntur" inque; responde.

Nicobulus

Dabo.

Chrysalus

Quid nunc, inpure? num quid debetur tibi?
Quid illi molestus's? quid illum morte territas?
Et ego te et ille mactamus infortunio.
Si tibist machaera, at nobis ueruinast domi,

---

874 Uah 875 seruasti 880 molestus quia illum 882 et nobis uerbina st *B*, et nobis urbina est *C*

Qua quidem te faciam, si tu me inritaueris,
Confossiorem soricina nenia.
Iam dudum hercle equidem sentio, suspicio
Quae te sollicitet: eum esse cum illa muliere.

Cleomachus

Immo est quoque.

Chrysalus

Ita me Iuppiter, Iuno, Ceres,
Minerua, Spes, Latona, Opis, Uirtus, Uenus,
Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Summanus, Sol, Saturnus dique omnes ament,
Ut ille cum illa neque cubat neque ambulat
Neque osculatur neque illud † quod dici solet.

Nicobulus

Ut iurat! Seruat me ille suis periuriis.

Cleomachus

Ubi nunc Mnesilochus ergost?

Chrysalus

Rus misit pater.
Illa autem in arcem abiit aedem uisere
Mineruae; nunc apertast; i, uise, estne ibi.

Cleomachus

Abeo ad forum igitur.

Chrysalus

Uel *tu* hercle in malam crucem.

Cleomachus

Hodie exigam aurum hoc.

Chrysalus

Exige ac suspende te,
Ne supplicare censeas *nos*, nihili homo. —

---

887 est *om B* 888 latona spes opes *B* 890 Submanus 892 auscultatur 897 igitur. NIC. Uel hercle 899 nos *om.*

Illest amotus. Sine me, per te, ere, obsecro
Deos inmortalis, ire huc intro ad filium.

Nicobulus

Quid eo intro ibis?

Chrysalus

Ut eum dictis plurumis
Castigem, quom haec sic facta ad hunc faciat modum.

Nicobulus

Immo oro, ut facias, Chrysale, et ted obsecro,
Caue parsis in eum dicere.

Chrysalus

Etiam me mones?
Satin est, si plura ex me audiet hodie mala,
Quam audiuit umquam Clinia ex Demetrio? —

Nicobulus

Lippi illic oculi seruos est simillumus:
Si non est, nolis esse neque desideres;
Si est, abstinere, quin adtingas, non queas.
Nam ni illic hodie forte fortuna hic foret,
Miles Mnesilochum cum uxore opprimeret sua
Atque optruncaret moechum manufestarium.
Nunc quasi ducentis Philippis emi filium,
Quos dare promisi militi; quos non dabo
Temere etiam, prius quam filium conuenero;
Numquam edepol quidquam temere credam Chrysalo.
Uerum lubet etiam mihi has perlegere denuo;
Aequomst tabellis consignatis credere.

---

903 haec facta siadhuc *B*, haec facta sic ad hunc *C* 908 ille
910 nequeas *B* 914 Philippeis *B* 915 dere *B*

CHRYSALUS SERUOS.

Atridae duo fratres cluent fecisse facinus maxumum,
Quom Priami patriam Pergamum diuina moenitum manu
Armis. equis, exercitu atque eximiis bellatoribus
Cum mille numero nauium decumo anno post subegerunt.
Non † pedibus termento fuit, praeut ego erum expugnabo meum.
Sine classe sineque exercitu et tanto numero militum
Cepi, expugnaui amanti erili filio aurum ab suo patre.
Nunc prius quam huc senex uenit, lubet lamentari, dum exeat.
O Troia, o patria, o Pergamum! o Priame, periisti senex,
Qui misere male multabere quadringentis Philippis aureis.
Nam ego has tabellas obsignatas consignatas quas fero,
Non sunt tabellae sed equos, quem misere Achiui ligneum.
Epiust Pistoclerus; ab eo haec sumpta. Mnesilochus Sinost
Relictus; ellum, non in busto Achilli, sed in lecto adcubat;
Bacchidem habet secum; ille olim habuit ignem, qui signum daret;
Nunc ipsum exurit. Ego sum Ulixes, quoius consilio haec gerunt.
Tum quae hic sunt scriptae litterae, *tot* hoc in equo insunt milites
Armati atque animati probe. Ita res successit mi usque adhuc.
Atque hic equos non in arcem, uerum in arcam faciet inpetum.
Exitium, excidium, exlecebra fiet hic equos hodie auro senis.
Nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio ego Ilio;
Miles Menelaust, ego Agamemno *sum*, idem Ulixes Lartius;

NICOBULUS SENEX *titulo addit B* 920 Atridas duos *B*, · trides duo *C* clauent *C* 921 menitum *C* 923 mille cum 924 tormento ruit *C* 926 Coepi *B* 929 mulcabere quadragentis *C* 932 sinon est 933 illum *C* sed lecto *C* 935 Hunc hanc *C* geruntur *B* 936 tot *om.* in i quo *B*, in aequo *C* 937 meliusque 938 in arcum faciet *C* 939 Excidium exitium *BC* 941 agamemnon *B*, agamenno *C* sum *om.* lercius *B*, lertius *C*

Mnesilochust Alexander, qui erit exitio rei patriae suae;
Is Helenam auexit, quoia causa nunc facio obsidium Ilio.
Nam illi itidem Ulixem audiui, ut ego sum, fuisse et audacem et malum.
† Dolis ego prensus sum; ille mendicans paene inuentus interiit,
Dum ibi exquirit fata illorum. Adsimiliter mihi hodie optigit:
Uinctus sum, sed dolis me exemi; item se ille seruauit dolis.
Ilio tria fuisse audiui fata, quae illi forent exitio:
Signum ex arce si perisset, alterum fuit Troili mors,
Tertium, quom portae Phrygiae limen superum scinderetur.
Paria item tria eis tribus sunt fata nostro huic Ilio.
Nam dudum primo ut dixeram nostro seni mendacium
Et de hospite et de auro et de lembo, ibi signum ex arce iam abstuli.
Iam duo restabant fata tunc, nec magis id ceperam oppidum.
Post ubi tabellas ad senem detuli, ibi occidi Troilum,
Quom censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis.
Ibi uix me exsolui; atque id periclum adsimulo, Ulixem ut praedicant
Cognitum ab Helena esse proditum Hecubae. Sed ut olim ille se
Blanditiis exemit et persuasit, se ut amitteret,
Item ego dolis me illo extuli e periclo et decepi senem.
Post cum magnifico milite, urbis uerbis qui inermus capit,
Conflixi atque hominem reppuli; dein pugnam conserui seni.
Eum ego adeo uno mendacio deuici, uno ictu extempulo
Cepi spolia. Is nunc ducentos nummos Philippos militi.

---

942 exitium *BC* 943 Si *A* abduxit *BC* 944 illic eidem *BC* audi ulixem *B*, audiui ulixem *C* fuise *B* 945 deprehensus *BC* 946 facta *B* ac similiter *B*, autsimiliter *C* 947 me *om. BC* 948 Illi *A* facta *B* illo C fuere *A* 949 periisset alterum etiam st Troili 950 forte lumen *A* 951 facta *B* nostra 953 signum *om. B* 954 facta *B* tum *BC* coeperam *B* 960 ilio expuli periculo *B*, ilio expuli e periculo *C* 961 Postea *B*, Poste *C* 962 Confixit 963 Cum *C* 964 Coepi

Quos dare se promisit, dabit.
Nunc alteris etiam ducentis usus est, qui dispensentur
Ilio capto, ut sit mulsum, qui triumphent milites.
Sed Priamus hic multo illi praestat; non quinquaginta modo,
Quadringentos filios habet atque equidem omnis lectos sine probro;
Eos ego hodie omnis contruncabo duobus solis ictibus.
Nunc Priamo nostro si est quis emptor, coemptionalem senem
Uendam ego, uenalem quem habeo, extemplo ubi oppidum expugnauero.
Sed Priamum adstantem eccum ante portam uideo; adibo atque adloquar.

NICOBULUS. CHRYSALUS.

Nicobulus

Quoianam uox prope me sonat?

Chrysalus

O Nicobule, quid fit?

Nicobulus

Quid, quod te misi? ecquid egisti?

Chrysalus

Rogas? Congredere.

Nicobulus

Gradior.

Chrysalus

Optumus sum orator; ad lacrumas coegi hominem castigando
Maleque dictis, quae quidem quiui conminisci.

Nicobulus

Quid ait?

966 dispensetur *C* 971 comptionalem *B*, comptialem *C* 972 habebo *C* 973 adstante mecum *C* uidebo *C* *Titulus ante* 974 *om.* 974 *sq.* NI. Quid fit? Quid 975 haec quid *C* congredior *B*

Chrysalus

Uerbum
Nullum fecit; lacrumans tacitus auscultabat, quae ego
loquebar;
Tacitus conscripsit tabellas; obsignatas mihi has dedit;
Tibi me iussit dare; sed metuo, ne idem cantent, quod priores.

Nosce signum; estne eius?

Nicobulus

Noui. Lubet perlegere has.

Chrysalus

Perlege.
Nunc superum limen scinditur, nunc adest exitium Ilio;
Turbat equos lepide ligneus.

Nicobulus

Chrysale, ades, dum ego has perlego.

Chrysalus

Quid me tibi adesse opus est?

Nicobulus

Uolo,
Ut scias, quae hic scripta sient.

Chrysalus

Nihil moror neque scire uolo.

Nicobulus

Tamen ades.

Chrysalus

Quid opust?

Nicobulus

Taceas; quod iubeo, id facias.

Chrysalus

Adero.

---

982 *om. B* 984 uolo ut quod iubeo facias *uterque, nisi quod B:* iubebo 986—88 *duobus uersibus, quorum prior in* Taceas *terminatur.*

Nicobulus

Eu, litteras minutas.

Chrysalus

Qui quidem uideat parum,
Uerum qui satis uideat, grandes satis sunt.

Nicobulus

Animum aduortito igitur.

Chrysalus

Nolo, inquam.

Nicobulus

At uolo, inquam.

Chrysalus

Quid opust?

Nicobulus

At enim, quod te iubeo, facias.

Chrysalus

Iustumst, tuus tibi seruos tuo arbitratu seruiat.

Nicobulus

Hoc age sis nunc iam.

Chrysalus

Ubi lubet, recita; aurium operam tibi dico.

Nicobulus

Cerae equidem haud parsit neque stilo; sed quidquid est,
perlegere certumst.
„Pater, ducentos Philippos, quaeso, Chrysalo
Da, si esse saluom uis me aut uitalem tibi.“
Malum quidem hercle magnum.

Chrysalus

Tibi dico.

Nicobulus

Quid est?

---

988 Euge *B* 992 iam nunc *C* 993 quidem 996 magnum tibi dico. CRI. Quid est? *B*

Chrysalus

Non prius salutem scripsit?

Nicobulus

Nusquam sentio.

Chrysalus

Inde a principio iam inpudens epistulast.
Non dabis, si sapies. Uerum si das maxume,
Ne ille alium gerulum quaerat, si sapiet, sibi;
Nam ego non laturus sum, si iubeas maxume.
Sat sic suspectus sum, quom careo noxia.

Nicobulus

Ausculta porro, dum hoc, quod scriptumst, perlego.
„Pudet prodire me ad te in conspectum, pater;
Tantum flagitium te scire audiui meum,
Quod cum peregrini cubui uxore militis."
Pol haud derides; nam ducentis aureis
Philippis redemi uitam ex flagitio tuam.

Chrysalus

Nihil est illorum, quin ego illi dixerim.

Nicobulus

„Stulte fecisse fateor; sed quaeso, pater,
Ne me in stultitia, si deliqui, deseras.
Ego animo cupido atque oculis indomitis fui;
Persuasumst facere, quoius me nunc facti pudet."
Prius te cauisse ergo quam pudere aequom fuit.

Chrysalus

Eadem istaec uerba dudum illi dixi omnia.

Nicobulus

„Quaeso, ut sat habeas id, pater, quod Chrysalus
Me obiurgauit plurumis uerbis malis

997 CHR. *om. B* 998 *legitur post 1003.* 999 sapis *C* 1000 gerurulum *C* 1004 conspectu *B* 1005 sciuire audiuire *C* 1006 multis *C* 1011 stultia *C*

Et me meliorem fecit praeceptis suis,
Ut te ei habere gratiam aequom sit bonam".

Chrysalus

Estne istuc istic scriptum?

Nicobulus

Em specta, tum scies.

Chrysalus

Ut, qui deliquit, supplex est ultro omnibus!

Nicobulus

„Nunc si me fas est obsecrare abs te, pater,
Da mihi ducentos nummos Philippos, te obsecro."

Chrysalus

Ne unum quidem hercle, si sapis.

Nicobulus

Sine, perlegam.
„Ego ius iurandum uerbis conceptis dedi,
Daturum id me hodie mulieri ante uesperum,
Prius quam a me abiret. Nunc, pater, ne perierem,
Cura atque abduce me hinc ab hac, quantum potest,
Quam propter tantum damni feci et flagiti.
Caue tibi ducenti nummi diuidiae fuant;
Sescenta tanta reddam, si uiuo, tibi.
Uale atque haec cura." Quid nunc censes, Chrysale?

Chrysalus

Nihil ego tibi hodie consili quidquam dabo
Neque ego haud conmittam ut, si quid peccatum siet,
Fecisse dicas de mea sententia;
Uerum, ut ego opinor, si ego in istoc sim loco,
Dem potius aurum, quam illum conrumpi sinam.

1023 numbos *B* 1027 periurem 128 adduce *C* 1030 diuitiae *B*, diuiciae *C* 1035 de me mea *B*, de mea me *C* 1036 NIC. *præfigit B*

Duae condiciones sunt; tu utram accipias, uide,
Uel ut aurum perdas, uel ut amator perieret.
Ego neque te iubeo neque uoto neque suadeo.
Nicobulus
Miseret me illius.
Chrysalus
Tuus est; non mirum facis.
Nicobulus
Ne ille edepol Ephesi multo mauellem foret,
Dum saluos esset, quam reuenisset domum.
Chrysalus
Si plus perdundum sit, perisse satius est,
Quam illud flagitium uolgo dispalescere.
Nicobulus
Quid ergo istic? Quod perdundumst, properem perdere.
Binos ducentos Philippos iam intus ecferam,
Et militi quos dudum promisi miser
Et istos. Mane istic; iam exeo ad te, Chrysale.
Chrysalus
Fit uasta Troia; scindunt proceres Pergamum;
Sciui ego iam dudum fore me exitium Pergamo.
Edepol qui me esse dicat cruciatu malo
Dignum, ne ego cum illo pignus haud ausim dare;
Tantas turbellas facio. Sed crepuit foris;
Ecfertur praeda ex Troia; taceam nunc iam.
Nicobulus
Cape hoc tibi aurum, Chrysale. I, fer filio.
Ego ad forum autem hinc ibo, ut soluam militi.
Chrysalus
Non equidem accipiam; proin tu quaeras, qui ferat.
Nolo mihi credi.

1038 utram tu 1039 periuret 1040 ueto 1042—43 *om. B, post 1045 collocat C* 1044 periisse suauius est 1045 illum *B* 1046 ego *B* perdundu st *B* propere *C* 1048 *sq.* promisimus eret istos *C* 1057 militem

Nicobulus
Cape uero; odiose facis.
Chrysalus
Non equidem capiam.
Nicobulus
At quaeso.
Chrysalus
Dico, ut res se habet.
Nicobulus
Morare.
Chrysalus
Nolo, inquam, aurum concredi mihi.
Uel da aliquem, qui seruet me.
Nicobulus
Ohe, odiose facis.
Chrysalus
Cedo, si necessest.
Nicobulus
Cura hoc; iam ego huc reuenero. —
Chrysalus
Curatumst esse te senem miserrumum.
Hoc est incepta ecficere pulcre: uel uti mihi
Euenit, ut ouans praeda onustus incederem.
Salute nostra atque urbe capta per dolum
Domum reduco integrum omnem exercitum.
Sed, spectatores, uos nunc ne miremini,
Quod non triumpho; peruolgatumst, nihil moror;
Uerum tamen accipientur mulso milites.
Nunc hanc praedam omnem iam ad quaestorem deferam.

1062 Uel da aliquem qui me seruet *B*; *C om.*

PHILOXENUS SENEX.

Quam magis in pectore meo foueo, quas meus filius turbas turbet,
Quam se ad uitam et quos ad mores praecipitem inscitus capessat,
Magis curaest magisque adformido, ne is pereat neu conrumpatur.
Scio, fui ego illa aetate et feci illa omnia, sed more modesto,
Neque placitant mores, quibus uideo uolgo gnatis esse parentes.
[Duxi, habui scortum, potaui, dedi, donaui, et enim id raro.]
Ego dare me ludum meo gnato institui, ut animo obsequium sumere possit;
Aequom esse puto; sed nimis nolo desidiae ei dare ludum.
Nunc Mnesilochum, quod mandaui, uiso, ecquid eum ad uirtutem
Aut ad frugem opera sua conpulerit,
Sic ut eum, si conuenit, scio fecisse; eost ingenio natus.

NICOBULUS SENEX. PHILOXENUS SENEX.

Nicobulus

Quiquomque ubique sunt, qui fuerunt quique futuri sunt posthac
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnis longe antideo stultitia et moribus indoctis.
Perii, pudet; hocine me aetatis ludos bis factum esse indigne?
Quam magis id reputo, tam magis uror, quae meus filius turbauit.

1074 capescat *C* 1076 ego fui *B* illa *om. C* 1077 gnatos 1079 animum *C* 1084 ubi sunt *C* 1086 antedeo 1088 quem meus tubauit *B*

Perditus sum atque etiam eradicatus sum; omnibus exemplis crucior.
Omnia me mala consectantur, omnibus exitiis interii.
Chrysalus me hodie *de*lacerauit, Chrysalus me miserum spoliauit;
Is me, scelus, auro usque adtondit dolis doctis indoctum, ut lubitumst.
Ita miles memorat, meretricem esse eam, quam ille uxorem esse aiebat.
Omniaque, ut quidque actumst, memorauit: eam sibi hunc annum conductam;
Relicuum id auri factum, quod ego ei stultissumus homo promisissem.
Hoc, hoc est, quod *cor* peracescit, hoc est demum, quod percrucior,
Me hoc aetatis ludificari, immo edepol sic ludos factum,
Cano capite atque alba barba miserum me auro esse emunctum.
Perii; hoc seruom meum non nauci facere esse ausum! atque ego, si alibi
Plus perdiderim, minus aegre habeam minusque id mihi damno ducam.

Philoxenus

Certo hic prope me mihi nescio quis loqui uisust. Sed quem uideo?
Hic quidem pater Mnesilochi.

Nicobulus

Euge, socium aerumnae et mei mali uideo. Philoxene, salue.

1089 exemblis *C* excrucior *B* 1091 lacerauit 1095 Rel icum *B* Reliquum *C* *Uersum in* stultissumus *terminat B. proximum in* peraccescit, *tertium in* ludificari, *quartum in* factum 1096 cor *om.* peraccescit *B*, peraccessit *C* 1097 ludus *C* 1098 Cono *B* 1099 non *om. B* 1100 habebam *B*

Philoxenus

Et tu. Unde agis?

Nicobulus

Unde homo miser atque infortunatus.

Philoxenus

At pol ego ibi sum, esse ubi miserum hominem decet atque infortunatum.

Nicobulus

Igitur pari fortuna, aetate ut sumus, utimur.

Philoxenus

Sic est. Sed tu,

Quid tibist?

Nicobulus

Pol mihi cordi idem est, quod tibi.

Philoxenus

Num quid nam ad filium haec aegritudo adtinet?

Nicobulus

Admodum.

Philoxenus

Idem mihi morbus in pectorest.

Nicobulus

At mihi Chrysalus optumus homo
Perdidit filium, me atque rem omnem meam.

Philoxenus

Quid tibi ex filio nam, obsecro, aegrest?

Nicobulus

Scies:
Is perit cum tuo; aeque ambo amicas habent.

Philoxenus

Qui scis?

1106 mihi par idem est 1108 *B iungit cum antecedenti.* 1112 Id. periit atque ambo aeque

Nicobulus

Uidi.

Philoxenus

Ei mihi, disperii.

Nicobulus

Quid dubitamus pultare atque huc euocare ambos foras?

Philoxenus

Haud moror.

Nicobulus

Heus Bacchis, iube sis actutum aperiri foris,
Nisi mauoltis foris et postis conminui securibus.

BACCHIDES DUAE. SENES DUO.

Bacchis A.

Quis sonitu ac tumultu tanto nominat me atque pultat aedis?

Nicobulus

Ego atque hic.

Bacchis A.

Quid hoc est negoti nam, amabo?
Quis has huc ouis adegit?

Nicobulus

Ouis nos uocant pessumae.

Bacchis S.

Pastor harum
Dormit, quom haec eunt a pecu palitantes.

1115 fores 1116 foras *B*, fores *C* potes *B* 1117 tumulto *C* tanta *B* nomine nominat *Reliqua cum proximo versu iungit B.* 1118 nam amabo *item.* 1119 has hic oues *B* 1120 BACHIS. pessume pastor *C* 1121 hae *B* eunt sic a balitantes

Bacchis A.
At pol nitent; haud sordidae uidentur ambae.
Bacchis S.
Adtonsae quidem ambae usque sunt.
Philoxenus
Ut uidentur
Deridere nos!
Nicobulus
Sine suo usque arbitratu.
Bacchis A.
Rerin ter in anno tu has tonsitari?
Bacchis S.
Pol hodie altera iam bis detonsa certost.
Bacchis A.
Uetulae sunt nimis ambae.
Bacchis S.
At bonas fuisse credo.
Bacchis A.
Uiden limulis, obsecro, ut intuentur?
Bacchis S.
Ecastor sine omni arbitror malitia esse.
Philoxenus
Merito hoc nobis fit, qui quidem huc uenerimus.
Bacchis A.
Cogantur quidem intro.
Bacchis S.
Haud scio, quid eo opus sit;
Quae nec lacte nec lanam habent; sic sine adstent.
Exsoluere, quanti fuere; omnis fructus
Iam illis decidit. Non uides, ut palantes

1123 Attonsae hae quidem 1125 *antecedenti continuat B* 1127 sunt thimiame *B*, sunt thim, ame *C* 1129 Haec castor *B* 1132 lactem *B*, lactae *C* lanam ullam 1134 balantes

[Solae liberae] Grassentur? Quin aetate credo esse mutas;
Ne balant quidem, quom a pecu cetero absunt;
Stultae atque malae uidentur.

Bacchis A.

Reuortamur intro, soror.

Nicobulus

Ilico ambae
Manete; haec oues uolunt uos.

Bacchis S.

Prodigium hoc quidemst: humana nos uoce appellant oues.

Philoxenus

Haec oues uobis malam rem magnam, quam debent, dabunt.

Bacchis A.

Si quam debes, te condono; tibi habe, numquam abs te petam.
Sed quid est, quapropter nobis uos malum minitamini?

Philoxenus

Quia nostros agnos conclusos istic esse aiunt duos.

Nicobulus

Et praeter eos agnos meus est istic clam mordax canis.
Qui nisi nobis producuntur iam atque emittuntur foras,
Arietes truces nos erimus; iam in uos incursabimus.

Bacchis A.

Soror, est, quod te uolo secreto.

Bacchis S.

Eho, amabo.

Nicobulus

Quo illaec abeunt?

Bacchis A.

Senem illum tibi dedo ulteriorem, lepide ut lenitum reddas;

1135 libere *C* Crassentur 1140 apellant *B* 1141 Hae cum *C* 1144 nostro *B* 1148 illae *B*, ille *C*

Ego ad hunc iratum adgrediar. *si* possumus nos hosce intro
inlicere hoc.

Bacchis S.

Meum pensum ego lepide adcurabo, quam*quam* odiost mortem amplexari.

Bacchis A.

Facito, ut facias.

Bacchis S.

Taceas. Tu tuum facito; ego, quod dixi, haud mutabo.

Nicobulus

Quid illaec illic in consilio duae secreto consultant?

Philoxenus

Quid ais tu, homo?

Nicobulus

Quid me uis?

Philoxenus

Pudet dicere me tibi quiddam;

Nicobulus

Quid est, quod pudeat?

Philoxenus

sed amico homini tibi, quod uolo, credere certumst:
Nihili sum.

Nicobulus

Istuc iam pridem scio; sed qui nihili's, id memora.

Philoxenus

Tactus sum uehementer uisco;
Cor stimulo foditur.

Nicobulus

Pol tibi multo aequius est coxendicem.

1150 si *om.* hos huc *C* 1151 Ensum *C* quam odiosum est 152 tacitas *C* 1156 quid nihili sit memora *B*, quid nihile sit merora *C* 1158 cor stimulo foditur *cum antecedenti iungit B*

Sed quid istuc est? etsi iam ego ipse, quid sit, prope scire
puto me;
Uerum audire etiam ex te studeo.
Philoxenus
Uiden hanc?
Nicobulus
Uideo.
Philoxenus
Haud malast mulier.
Nicobulus
Pol uero ista mala et tu nihili.
Philoxenus
Quid multa? ego amo.
Nicobulus
An amas?
Philoxenus
Naὶ γάϱ.
Nicobulus
Tune, homo putide, amator istac fieri aetate audes?
Philoxenus
Qui non?
Nicobulus
Quia flagitiumst.
Philoxenus
Quid opus uerbist? meo filio non sum iratus,
Neque te tuost aequom esse iratum; si amant, sapienter
faciunt.
Bacchis A.
Sequere hac.
Nicobulus
Eunt eccas tandem, probri perlecebrae et persuastrices.
Quid nunc? Etiam redditis nobis

1160 Haud mala est mulier *proprio uersu B* 1161 necar 1162 ferietate *C*

Filios et seruom? an ego experior tecum uim maiorem?

Philoxenus

Abin hinc?
Non homo tu quidem es, qui istoc pacto tam lepidam inlepide appelles.

Bacchis A.

Senex optume, quantumst in terra, sine hoc exorarier abs te.
Ut istuc delictum desistas tanto opere ire oppugnatum.

Nicobulus

Ni abeas, quamquam tu bella es,
Malum tibi magnum dabo iam.

Bacchis A.

Patiar;
Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias.

Nicobulus

Ut blandiloquast!

Bacchis A.

Ei mihi, metuo.

Bacchis S.

Hic magis tranquillust.

Bacchis A.

I hac mecum intro, atque ibi, si quid uis, filium concastigato.

Nicobulus

Abin a me, scelus?

Bacchis A.

Sine, mea pietas, te exorem.

Nicobulus

Exores tu me?

1167 Filios . . ego *continuantur antecedenti.* maior *C* 1168 tu *om. C* 1169 quantus est inteream *C* exorare 1170 tantopere *C* 1171 Nisi *C* 1174 BA. *om.* 1175 BA. *om.* I i hac *B* c̄gastigato *C*

Bacchis S.

Ego quidem ab hoc certe exorabo.

Philoxenus

Immo ego te oro, ut me intro abducas.

Bacchis S.

Lepidum te!

Philoxenus

At scin, quo pacto me ad te intro abducas?

Bacchis S.

Mecum ut sis.

Philoxenus

Omnia, quae cupio, conmemoras.

Nicobulus

Uidi ego nequam
Homines, uerum te neminem deteriorem.

Philoxenus

Ita sum.

Bacchis A.

I hac mecum intro, ubi tibi sit lepide uictibus, uino atque unguentis.

Nicobulus

Satis, satis iam uostrist conuiui; nil paenitet, ut sim acceptus.
Quadringentis Philippis filius me et Chrysalus circumduxerunt,
Quem quidem ego ut non excruciem,
Alterum tantum auri non meream.

Bacchis A.

Quid tandem, si dimidium auri redditur? isne hac mecum intro,
Atque *induces animum*, *haec* ut eis delicta ignoscas?

1177 BA. *B* 1178 mecum ut sis *antecedentis versus exitus est in C* 1180 Hominem 1181 I i hac *B*, E hac *C* 1182 me nihil *C* 1183 quadrigentis *C* 1184 ergo *C* 1185 Aterum *B* 1186 isne in *B*, in *C* 1187 Atque ut

Philoxenus

Faciet.

Nicobulus

Minume, nolo; nihil moror; sine sic; malo illos ulcisci ambo.

Philoxenus

Etiam? Tu, homo nihili, quod di dant boni, caue culpa tua amissis.
Dimidium auri datur; accipias potesque et scortum adcumbas.

Nicobulus

Egone ubi filius conrumpatur meus, ibi potem?

Philoxenus

Potandumst.
Ego iam id utut est, etsi est dedecori, patiar; facere inducam animum.

Nicobulus

Egon, quom haec cum illo adcubet, inspectem?

Bacchis A.

Immo equidem pol tecum adcumbam;
Te amabo et te amplexabor.

Nicobulus

Caput prurit; perii; uix negito.

Bacchis A.

Non tibi uenit in mentem, amabo, si, dum uiuas, tibi bene facias,
Tam pol id quidem esse haud perlonginquom,
Neque, si hoc hodie amiseris, post in morte euenturum esse umquam?

Nicobulus

Quid ago?

1189 nihil dii dant *B* 1190 scurtum *B* 1191 Ergo nubi *C* potest *C* 1192 NI. Age iam id utut est *B*, Age iam adiutest *C* dedecorum 1193 NI. *om.* accumbet 1196 Iam pol

Philoxenus
Quid agas, rogitas etiam?
Nicobulus
Lubet, sed metuo,
Bacchis A.
Quid metuis?
Nicobulus
Ne obnoxius filio sim et seruo.
Bacchis A.
Mel meum, amabo, istaec fiant.
Tuust; unde illum censes sumere, nisi quod tute illi dederis?
Hanc ueniam illis sine te exorem.
Nicobulus
Ut terebrat! Satin offirmatum
Quod mihi erat, id me exorat?
Tua sum opera et propter te inprobior.
Bacchis A.
Ne eius quam mea mauellem.
Satin ego istuc habeo offirmatum, *quod dixti*?
Nicobulus
Quod semel dixi,
Haud mutabo.
Bacchis A.
It dies; ite intro adcubitum;
Filii uos expectant intus.
Nicobulus
Quam quidem actutum emoriamur.
Bacchis A.
Uesper hic est; sequimini.

1198 libet et metuo 1200 Tuus est 1190 fiunt 1203 ne is quam Meam uellem *C* 1204 *inter* offirmatum *et* quod semel *lacunam habet B*

Philoxenus

Ducite nos, quo lubet, tamquam quidem addictos.

Bacchis A.

Lepide ipsi hi sunt capti, suis qui filiis fecere insidias.

Ω

Hi senes nisi fuissent nihili iam inde ab adulescentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus;
Neque adeo haec faceremus, ni antehac uidissemus fieri,
Ut apud lenones riuales filiis fierent patres.
Spectatores, uos ualere uolumus; clare adplaudite.

1208 ipsi *om.* *C* capiti *C* filis *B* insidias ite Ω *om* 1212 leones *C* 1213 uolumus et clare adplaudere

CAPTIUI.

ARGUMENTUM.

Captust in pugna Hegionis filius;
Alium quadrimum fugiens seruos uendidit.
Pater captiuos conmercatur Aleos
Tantum studens, ut gnatum recuperet *suum*,
Et in ibus emit olim amissum filium.
Is suo cum domino ueste uorsa ac nomine.
Ut amittatur, fecit; ipsus plectitur.
Et is reduxit captum et fugitiuom simul,
Indicio quoius alium agnoscit filium.

Discrepantia scripturæ codicis Palatino-Vaticani 1615 (Ritschelii B)

1 Captus est 4 suum *om.* 5 Et ibi

PERSONAE FABULAE.

Ergasilus parasitus
Hegio senex
Lorarius
Philocrates } *captiui*
Tyndarus }
Aristophontes captiuos
Puer
Philopolemus adulescens
Stalagmus seruos.

PROLOGUS.

Hos quos uidetis stare hic captiuos duos,
(† Illi qui astant; hi stant ambo, non sedent;
Hoc uos mihi testes estis me uerum loqui)
Senex, qui hic habitat, Hegio, est huius pater.
Sed is quo pacto seruiat suo sibi patri,
Id ego hic apud uos proloquar, si operam datis.
Seni huic fuerunt filii nati duo;
Alterum quadrimum puerum seruos surpuit
Eumque hinc profugiens uendidit in Alide
Patri huiusce. Iam hoc tenetis? Optumumst.
Negat hercle ille ultumus. *Tu uero* abscedito.
Si non ubi sedeas locus est, est ubi ambules,
Quando histrionem cogis mendicarier;
Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum.
Uos, qui potestis ope uostra censerier,
Accipite relicuum; alieno uti nihil moror.
Fugitiuos ille, ut dixeram ante, huius patri,
Domo quem profugiens dominum abstulerat, uendidit.
Is postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo
Peculiarem, quia quasi una aetas erat.
Hic nunc domi seruit suo patri, nec scit pater;
Enimuero di nos quasi pilas homines habent.

---

3 Hos testis 8 surrupuit 11 ultimus accedito 16 reliquom 22 Est uero dinos

Rationem habetis, quo modo unum amiserit.
Post quom belligerant Aetoli cum Aleis,
Ut fit in bello, capitur alter filius;
Medicus Menarchus emit ibidem in Alide.
Coepit captiuos conmercari hic Aleos,
Si quem reperire posset, quo mutet suum,
Illum captiuom; hunc suum esse nescit, qui domist.
Et quoniam heri indaudiuit, de summo loco
Summoque genere captum esse equitem Aleum,
Nihil pretio parsit, filio dum parceret.
Reconciliare ut facilius posset domum,
Emit hosce e praeda ambos de quaestoribus.
Hisce autem inter sese hunc confinxerunt dolum,
Quo pacto is seruos suum erum hinc amittat domum.
Itaque inter se conmutant uestem et nomina;
Illic uocatur Philocrates, hic Tyndarus;
Huius ille, hic illius hodie fert imaginem.
Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam
Et suum erum faciet libertatis compotem,
Eodemque pacto fratrem seruabit suum
Reducemque faciet liberum in patriam ad patrem
Inprudens, itidem ut saepe iam in multis locis
Plus insciens quis fecit quam prudens boni.
Sed inscientes sua sibi fallacia
Ita conpararunt et confinxerunt dolum,
Itaque hi conmenti de sua sententia,
Ut in seruitute hic ad suum maneat patrem.
Ita nunc ignorans suo sibi seruit patri.
Homunculi quanti sunt, quom recogito!
Haec res agetur nobis, uobis fabula.
Sed etiamst paucis uos quod monitos uoluerim.

---

24 Postquam cumalidis 27 Cepit comercari alios 28 posset cum quo 30 inde audivit 34 hosce de 36 his seruus 38 philocrathes hictindarus 39 Huius illic hic 42 seruauit

Profecto expediet fabulae huic operam dare;
Non pertractate factast neque item ut ceterae,
Neque spurcidici insunt uersus inmemorabiles.
Hic neque periurus lenost nec meretrix mala
Neque miles gloriosus. Ne uereamini,
Quia bellum Aetolis esse dixi cum Aleis;
Foris illic extra scenam fient proelia.
Nam hoc paene iniquomst, comico choragio
Conari desubito agere nos tragoediam.
Proin si quis pugnam expectat, litis contrahat;
Ualentiorem nanctus aduorsarium
Si erit, ego faciam, ut pugnam inspectet non bonam,
Adeo ut spectare postea omnis oderit.
Abeo. Ualete, iudices iustissumi
Domi duellique duellatores optumi.

---

58 gloriosus esse neuereamini 59 aetolis dix cumalidis 60 fiant 68 bellique

PARASITUS.

Iuuentus nomen indidit Scorto mihi
Eo, quia inuocatus soleo esse in conuiuio.
Scio absurde dictum hoc derisores dicere,
At ego aio recte. Nam scortum in conuiuio
Sibi amator, talos quom iacit, *suum* inuocat.
Estne inuocatum an non? *Est* planissume.
Uerum hercle uero nos parasiti planius,
Quos numquam quisquam neque uocat neque inuocat;
Quasi mures semper edimus alienum cibum.
Ubi res prolatae sunt, quom rus homines eunt,
Simul prolatae res sunt nostris dentibus.
Quasi, quom caletur, cochleae in occulto latent,
Suo sibi suco uiuont, ros si non cadit,
Item parasiti rebus prolatis latent
In occulto miseri, uictitant suco suo,
Dum ruri rurant homines, quos ligurriant.
Prolatis rebus parasiti uenatici
Sumus; quando res redierunt, Molossici
Odiosicique et multum incommodestici.
Et hic quidem hercle, nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus frangique aulas in caput,
Uel ire extra portam trigeminam ad saccum licet.
Quod mihi ne eueniat, non nullum periculumst,

---

72 ego clio 73 iacit scortum inuocat 74 an non planussume 75 Uerum hercle uerum 78 qum 80 cocclese 83 suo suco 85 uenatici canes 89 Potes 90 ire tra poram

Postquam meus rex est potitus hostium;
Ita nunc belligerant Aetoli cum Aleis.
Nam Aetolia haec est; illic est [captus] in Alide,
Philopolemus, huius Hegionis filius
Senis, qui hic habitat, quae aedes lamentariae
Mihi sunt, quas quotienscumque conspicio, fleo.
Nunc hic occepit quaestum hunc fili gratia
Inhonestum, maxume alienum ingenio suo:
Homines captiuos conmercatur, si queat
Aliquem inuenire, suum qui mutet filium.
Quod quidem ego nimis quam *cupide* cupio ut inpetret;
Nam ni illum recipit, nihil est quo me recipiam.
Nullast spes *iam* iuuentutis, sese omnes amant.
Ille demum antiquis est adulescens moribus,
Quoius numquam uoltum tranquillaui gratiis.
Condigne pater est eius moratus moribus.
Nunc ad eum pergam. Sed aperitur ostium,
Unde saturitate saepe ego exii ebrius.

SENEX. LORARIUS. PARASITUS.

Hegio

Aduorte animum sis tu: istos captiuos duos
Heri quos emi e praeda de quaestoribus,
Is indito catenas singularias;
Istas maiores, quibus sunt uincti, demito.
Sinito ambulare, si foris, si intus uolent,
Sed uti adseruentur magna diligentia.
Liber captiuos auis ferae consimilis est:

---

92 Nam postquam 93 Alidis 95 Philopolomeus egionis 101 qui cum mutet 102—107 *leguntur post v. 125.* 102 cupide *om.* 104 iam *om.* 108 hostium 111 de praeda 112 His 116 fere

Semel fugiundi si datast occasio,
Satis est; numquam post illam possis prendere.
Lorarius
Omnes profecto liberi lubentius
Sumus quam seruimus.
Hegio
Non uidere ita tu quidem.
Lorarius
Si non est quod dem, mene uis dem ipse in pedes?
Hegio
Si dederis, erit extemplo mihi quod dem tibi.
[Lorarius
Auis me ferae consimilem faciam, ut praedixisti.
Hegio
Ita ut dicis; nam si faxis, te in caueam dabo.]
Sed satis uerborumst; cura, quae iussi, atque abi.
Ego ibo ad fratrem ad alios captiuos meos;
Uisam, ne nocte hac quidpiam turbauerint.
Inde me continuo recipiam rursum domum.
Ergasilus
Aegrest mihi hunc facere quaestum carcerarium
Propter sui gnati miseriam miserum senem.
Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest,
Uel carnificinam hunc facere possum perpeti.
Hegio
Quis hic loquitur?
Ergasilus
Ego, qui tuo maerore maceror,
Macesco, consenesco et tabesco miser.
Ossa atque pellis sum miser macritudine,
Neque umquam quidquam me iuuat, quod edo domi;
Foris aliquantillum etiam quod gusto id beat.

---

119 Omnis 120 Noui de re 123 fere prædicisti *Post* 125 *leguntur vv. 102—7.* 127 quipiam 135 miser a

Hegio

Ergasile, salue.

Ergasilus

Di te bene ament, Hegio.

Hegio

Ne fle.

Ergasilus

Egone illum non fleam? ego non defleam
Talem adulescentem?

Hegio

Semper sensi filio
Meo te esse amicum et illum intellexi tibi.

Ergasilus

Tum denique homines nostra intellegimus bona,
Quom, quae in potestate habuimus, ea amisimus.
Ego, postquam gnatus tuus potitust hostium,
Expertus, quanti fuerit, nunc desidero.

Hegio

Alienus quom eius incommodum tam aegre feras,
Quid me patrem par facerest, quoi illest unicus?

Ergasilus

Alienus ego? alienus illi? ah, Hegio,
Numquam istuc dixis neque animum induxis tuum.
Tibi ille unicust, mihi etiam unico magis unicus.

Hegio

Laudo, malum quom amici tuum ducis malum.
Nunc habe bonum animum.

Ergasilus

Eheu!

Hegio

Huic illud dolet,
Quia nunc remissus est edundi exercitus.

---

138 Ergo sile 139 Egon ne illum non fleam? egone non 143 Cumque 144 ostium 145 fuerint 148 ille

Nullumne interea nanctus's, qui posset tibi
Remissum quem dixi inperare exercitum?
Ergasilus
Quid credis? Postquam captust Philopolemus tuus,
Quoi optigerat, fugitant omnes hanc prouinciam.
Hegio
Non pol mirandumst fugitare hanc prouinciam.
Multis et multigeneribus opus est tibi
Militibus. Primumdum opust Pistorensibus;
Eorum sunt aliquot genera Pistorensium;
Opus Paniceis est, opus Placentinis quoque;
Opus Turdetanis, opus est Ficedulensibus;
Iam maritumi omnes milites opus sunt tibi.
Ergasilus
Ut saepe summa ingenia in occulto latent!
Hic qualis inperator nunc priuatus est!
Hegio
Habe modo bonum animum; nam illum confido domum
In his diebus me reconciliassere.
Nam eccum hic captiuom adulescentem Aleum
Prognatum genere summo et summis diuitiis;
Hoc illum me mutare confido pote.
Ergasilus
Ita di deaeque faxint.
Hegio
Sed num quo foras
Uocatus *es* ad cenam?
Ergasilus
Nusquam, quod sciam.
Sed quid tu id quaeris?

---

154 nactus 155 dixit
156—57 Quid credis? Fugitant omnes hanc prouinciam,
Quod obtigerat. postquam captus ē Philopolemus tuus.
169 adhulescentem alium 171 confido fore 172 dideque 173 es *om.*

Hegio

Quia mihist natalis dies;
Propterea te uocari ad cenam uolo.

Ergasilus

Facete dictum.

Hegio

Sed si pauxillum potes
Contentus esse.

Ergasilus

Ne perpauxillum modo;
Nam istoc me adsiduo uictu delecto domi.
Age sis, roga emptum. Nisi qui meliorem adferet,
Quae mi atque amicis placeat condicio magis,
Quasi fundum uendam, meis me addicam legibus.

Hegio

Profundum uendis tu quidem, haud fundum mihi.
Sed si uenturus's, temperi.

Ergasilus

Em, uel iam otiumst.

Hegio

I modo, uenare leporem; nunc ictim tenes;
Nam meus scruposam uictus conmetat uiam.

Ergasilus

Numquam istoc uinces me, Hegio; ne postules.
Cum calceatis dentibus ueniam tamen.

Hegio

Asper meus uictus sanest.

Ergasilus

Sentisne esitas?

---

175 uocari ad te ad nam 177 Contemptus 178 istoc meas si duo 179 Aie 183 uenturus tempori 184 irim 185 Non 186 heio 188 Sentisne? essitas

Hegio

Terrestris cenast.

Ergasilus

Sus terrestris bestiast.

Hegio

Multis holeribus.

Ergasilus

Curato aegrotos domi.

Num quid uis?

Hegio

Uenias temperi.

Ergasilus

Memorem mones.

Hegio

Ibo intro atque intus subducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet.
Ad fratrem, quo ire dixeram, mox iuero.

LORARIUS. CAPTIUI (PHILOCRATES TYNDARUS).

Lorarius

Si di inmortales id uoluere, uos hanc aerumnam exequi,
Decet id pati animo aequo; si id facietis, leuior labos erit.
Domi fuistis, credo, liberi;
Nunc seruitus si euenit, ei uos morigerari mos bonust
Eamque † et erili inperio ingeniis uostris lenem reddere.
Indigna digna habenda sunt, erus quae facit.

Captiui

Oh oh oh!

193 trapetzitam 194 iero LORARII PHILOCRATES. CAPTIUI TYNDARUS

Lorarius

Eiulatione haud opus est; oculis multam miram dicitis;
In re mala animo si bono utare, adiuuat.

Captiui

At nos pudet, quia cum catenis sumus.

Lorarius

At pigeat postea
Nostrum erum, si uos eximat uinculis
Aut solutos sinat, quos argento emerit.

Captiui

Quid a nobis metuit? Scimus nos,
Nostrum officium quod est, si solutos sinat.

Lorarius

At fugam fingitis; sentio, quam rem agitis.

Captiui

Nos fugiamus? Quo fugiamus?

Lorarius

In patriam.

Captiui

Apage, haud nos id deceat,
Fugitiuos imitari.

Lorarius

Immo edepol, si erit occasio, haud dehortor.

Philocrates

Unum exorare uos sinite nos.

Lorarius

Quidnam id est?

Philocrates

Ut sine hisce arbitris
Atque uobis nobis detis locum loquendi.

---

201 multa oculis multa miraclitis 203 catenatis adpigeat
205 sinatque quos

Lorarius

Fiat. Abscedite hinc; nos concedamus huc.
Sed breuem orationem incipisse.

Philocrates

Em, istuc mihi certum erat. Concede huc.

Lorarius

Abite ab istis.

Tyndarus

Obnoxii ambo
Uobis sumus propter hanc rem, quom, quae uolumus nos,
Copiast † ea facitis nos conpotes.

Philocrates

Secede huc nunc iam, si uidetur, procul,
Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant,
Neu permanet palam haec nostra fallacia.
Nam doli non doli sunt, etsi astu colas,
Sed malum maxumum, si id palam prouenit.
Nam si erus mihi es tu atque ego me tuum esse seruom adsimulo,
Tamen uiso opust, cautost opus, ut hoc sobrie sineque arbitris
Adcurate agatur, docte et diligenter.
Tanta incepta res est; haud somniculose hoc Agundumst.

Tyndarus

Ero, ut me uoles esse.

Philocrates

Spero.

Tyndarus

Nam tu nunc uides pro tuo caro capite
Carum offerre *me* meum caput uilitati.

---

214 incipesse 216 *superiori uersui additur.* 217 cumque 221 Neue 222 sunt ni astu 226 Accurate hoc agatur 227 incoeptares 230 me *om.*

Philocrates

Scio.

Tyndarus

At scire memento, quando id quod uoles habebis;
Nam fere maxuma pars morem hunc [homines] habent: quod sibi uolunt,
Dum id inpetrant, boni sunt; sed id ubi iam penes sese habent,
Ex bonis pessumi et fraudulentissumi
Fiunt. Nunc ut mihi te uolo esse autumo.
Quod tibi suadeo, suadeam meo patri.

Philocrates

Pol ego te, si audeam, meum patrem nominem;
Nam secundum patrem tu es pater proxumus.

Tyndarus

Audio.

Philocrates

Et propterea saepius te ut memineris moneo:
Non ego erus tibi, sed *con*seruos sum. Nunc obsecro te hoc unum:
Quoniam nobis di inmortales animum ostenderunt suum,
Ut qui erum me tibi fuisse atque esse nunc conseruom uelint,
Qui antehac pro iure inperitabam meo, nunc te oro per precem,
Per fortunam incertam et per mei te erga bonitatem patris
Per conseruitium commune, quod hostica euenit manu,
Ne me secus honore honestes, quam quom seruibas mihi,
Atque ut, qui fueris et qui nunc sis, meminisse ut memineris.

Tyndarus

Scio quidem me te esse nunc et te esse me.

---

231 TY. Scio. PHI. At 235 Sunt 236 suadeam sua deam 327 ego si te audeam 240 seruus 242 erunt 243 Quod 245 Perque 246 seruiebas

Philocrates

Em, istuc si potes
Memoriter meminisse, inest spes nobis in hac astutia.

SENEX (HEGIO). EIDEM (PHILOCRATES TYNDARUS).

Hegio

Iam ego reuortar intro, si ex his quae uolo exquisiuero.
Ubi sunt isti, quos ante aedis iussi huc produci foras?

Philocrates

Edepol tibi ne *in* quaestione essemus cautum intellego:
Ita uinclis custodiisque circummoeniti sumus.

Hegio

Qui cauet, ne decipiatur, uix cauet, quom etiam cauet.
Etiam quom cauisse ratust, saepe is cautor captus est.
An uero non iusta causast, ut uos seruem sedulo,
Quos tam grandi sim mercatus praesenti pecunia?

Philocrates

Neque pol tibi nos, quia nos seruas, aequomst uitio uortere.
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat occasio.

Hegio

Ut uos hic, itidem illic apud uos meus seruatur filius.

Philocrates

Captus est?

Hegio

Ita.

Philocrates

Non igitur nos soli ignaui fuimus.

---

248 potest *Titulus*: SENEX HEGIO PHILOCR̄ EIDEM TYNDARUS 251 foras *proximi uersus initium facit.* 252 in *om. m. pr.* 253 uinculis 255 ratus est 261 ignari

Hegio

Secede huc; nam sunt quae ex te solo scitari uolo,
Quarum rerum te falsilocum mihi esse nolo.

Philocrates

Non ero,
Quod sciam; si quid nescibo, id nescium tradam tibi.

Tyndarus

Nunc senex est in tonstrina; hic iam cultros adtinet.
Ne id quidem inuolucri inicere uoluit, uestem ut ne inquinet.
Sed utrum strictimne adtonsurum dicam esse an per pectinem,
Nescio; uerum si frugist, usque admutilabit probe.

Hegio

Quid tu? seruosne esse an liber mauelis, memora mihi.

Philocrates

Proxumum quod sit bono quodque a malo longissume,
Id uolo, quamquam non multum fuit molesta seruitus
Nec mihi secus erat, quam si essem familiaris filius.

Tyndarus

Eugepae! Thalem talento non emam Milesium;
Nam ad sapientiam huius *ille* nimius nugator fuit.
Ut facete orationem ad seruitutem contulit!

Hegio

Quo de genere natust illic Philocrates?

Philocrates

Polyplusio,
Quod genus illist unum pollens atque honoratissumum.

Hegio

Quid ipsus hic? quo honorest illic?

Philocrates

Summo atque ab summis uiris.

---

265 tostrina nunc iam 266 inuolucre 268 admutila labit
273 Euge petale tanlento 274 ille *om.* 277 illic est

Hegio

[Tum igitur ei quom in Aleis tanta gratia est, ut praedicas,]
Quid diuitiae, suntne opimae?

Philocrates

Unde excoquat sebum senex.

Hegio

Quid pater? uiuitne?

Philocrates

Uiuom, quom inde abimus, liquimus;
Nunc uiuat*ne* necne, id Orcum scire oportet scilicet.

Tyndarus

Salua res est; philosophatur quoque iam, non mendax modost.

Hegio

Quid erat ei nomen?

Philocrates

Thensaurochrysonicochrysides.

Hegio

Uidelicet propter diuitias inditum id nomen quasist?

Philocrates

Immo edepol propter auaritiam ipsius atque audaciam;
Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.

Hegio

Quid tu ais? tenaxne pater est eius?

Philocrates

Immo edepol pertinax;
Quin etiam ut magis noscas, genio suo ubi quando sacrificat,
Ad rem diuinam quibus est opus, Samiis uasis utitur,
Ne ipse genius subripiat; proinde aliis ut credat uide.

Hegio

Sequere hac me igitur. Eadem ego ex hoc, quae uolo, ex-
quaesiuero. —

280 suntne optume 281 abiimus 282 uiuat necne 284 Thensauro chrysonico chrusides 287 illic

Philocrates, hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit.
Nam ego ex hoc, quo genere gnatus sis, scio; hic fassust mihi.
Haec tu eadem si confiteri uis, tua *e* re feceris,
Quae tamen scis scire me ex hoc.

Tyndarus

Fecit officium hic suum,
Quom tibist confessus uerum, quam*quam* uolui sedulo
Meam nobilitatem occultare et genus et diuitias meas.
Hegio, nunc quando patriam et libertatem perdidi,
Non ego istunc me potius quam te metuere aequom censeo.
Uis hostilis cum istoc fecit meas opes aequabilis.
Memini, quom dicto haud audebat, facto nunc laedat licet.
Sed, uiden? fortuna humana fingit artatque, ut lubet.
Me, qui liber fueram, seruom fecit, e summo infimum;
Qui inperare insueram, nunc alterius inperio obsequor.
Et quidem si proinde, ut ipse fui inperator familiae,
Habeam dominum, non uerear, ne iniuste aut grauiter mihi inperet.
Hegio, hoc te monitum, nisi forte ipse non uis, uoluerim.

Hegio

Loquere audacter.

Tyndarus

Tam ego fui ante liber quam gnatus tuus;
Tam mihi quam illi libertatem hostilis eripuit manus;
Tam ille apud nos seruit, quam ego nunc hic apud te seruio.
Est profecto deus, qui, quae nos gerimus, auditque et uidet;
Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illic curauerit:
Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit.
Quam tu filium tuum, tam pater me meus desiderat.

Hegio

Memini ego istuc. Sed faterin eadem, quae hic fassust mihi?

---

295 e *om.* 296 scio scire 297 quam 308 Heio uolueram 312 quique nos 316 istoc

Tyndarus

Ego patri meo esse fateor summas diuitias domi
Meque summo genere gnatum. Sed te optestor, Hegio,
Ne tuum animum auariorem faxint diuitiae meae,
Ne patri, tametsi unicus sum, decere uideatur magis,
Me saturum seruire apud te sumptu et uestitu tuo
Potius quam illi, ubi minume honestumst, mendicantem uiuere.

Hegio

[Ego uirtute deum et maiorum nostrum diues sum satis.]
Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existumo;
Scio ego, multos iam lucrum lutulentos homines reddidit;
Est etiam ubi profecto damnum praestet facere quam lucrum.
Odi ego aurum; multa multis saepe suasit perperam.
Nunc hoc animum aduorte, ut ea, quae sentio, pariter scias.
Filius meus illic apud uos seruit captus Alide;
Eum si reddis mihi, praeterea unum nummum ne duis;
Et te et hunc amittam hinc. Alio pacto abire non potes.

Tyndarus

Optumum atque aequissumum oras, optumusque hominum es homo.
Sed is priuatam seruitutem seruit illi an publicam?

Hegio

Priuatam medici Menarchi.

Tyndarus

Pol hic quidem huius est cluens.
Tam hoc quidem tibi in procliui, quam imber est, quando pluit.

Hegio

Fac, is homo ut redimatur.

Tyndarus

Faciam. Sed ted oro, Hegio —

Hegio

Quid uis? Dum ab re ne quid ores, faciam.

---

322 honestu est 328 aduortite 332 homo es 335 inprocliue 336 te id oro

Tyndarus

Ausculta, tum scies.
Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non postulo;
Uerum, te quaeso, aestumatum hunc mihi des, quem mittam ad patrem,
Ut is homo redimatur illi.

Hegio

Immo alium potius misero
Hinc, ubi erunt indutiae, illuc, tuum qui conueniat patrem,
Qui tua, quae tu iusseris, mandata ita ut uelis perferat.

Tyndarus

At nihil est ignotum ad illum mittere; operam luseris.
Hunc mitte, hic transactum reddet omne, si illuc uenerit.
Nec quemquam fideliorem neque quoi plus credat potes
Mittere ad eum, nec qui magis sit seruos ex sententia,
Neque adeo quoi tuum concredat filium hodie audacius.
Ne uereare; meo periclo huius ego experiar fidem
Fretus ingenio eius, quod me esse scit erga se beneuolum.

Hegio

Mittam equidem istunc aestumatum tua fide, si uis.

Tyndarus

Uolo.
Quam citissume potest, tam hoc cedere ad factum uolo.

Hegio

Num quae causast, quin, si ille huc non redeat, uiginti minas
Mihi des pro illo?

Tyndarus

Optume immo.

Hegio

Soluite istum nunc iam,
Atque utrumque.

---

337 scias 338 donec cum 339 queso ut æstumatum 341 conuenit 344 omne transactum reddet 348 periculo uice fidem 349 beniuolum 350 istum æstymatum 353 optima

Tyndarus

Di tibi omnes omnia optata *of*ferant,
Quom me tanto honore honestas quomque ex uinclis eximis.
Hoc quidem haud molestumst, iam quod collus collari caret.

Hegio

Quod bonis benefit beneficium, gratia ea grauidast bonis.
Nunc tu illum si illo es missurus, dice, monstra, praecipe,
Quae ad patrem uis nuntiari. Uin uocem huc ad te?

Tyndarus

Uoca. —

Hegio

Quae res bene uortat mihi meoque filio
Uobisque, uolt te nouos erus operam dare
Tuo ueteri domino, quod is uelit, fideliter.
Nam ego te aestumatum huic dedi uiginti minis,
Hic autem te ait mittere hinc uelle ad patrem,
Meum ut illic redimat filium, mutatio
Inter me atque illum ut nostris fiat filiis.

Philocrates

Utroqueuorsum rectumst ingenium meum,
Ad te atque *ad* illum; pro rota me uti licet;
Uel ego huc uel illuc uortar, quo inperabitis.

Hegio

Tute tibi ea tuopte ingenio prodes plurumum,
Quom seruitutem ita fers, uti ferri decet.
Sequere. — Em tibi hominem.

Tyndarus

Gratiam habeo tibi,
Quom copiam istam mihi et potestatem facis,

---

354 ferant 356 collaria 358 Hunc tu illim dice demonstra 360 *suprascribitur* HEGIO SENEX. PHILOCRATES ADOLESCENS TYNDARUS SERUUS 368 atque illum

Ut ego ad parentis hunc remittam nuntium,
Qui me quid rerum hic agitem et quid fieri uelim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ita conuenit inter me atque hunc, Tyndare,
Ut te aestumatum in Alidem mittam ad patrem;
Si non rebitas huc, ut uiginti minas
Dem pro te.

Philocrates

Recte conuenisse sentio;
Nam pater expectat aut me aut aliquem nuntium,
Qui hinc ad se ueniat.

Tyndarus

Ergo animum aduortas uolo,
Quae nuntiare hinc te uolo in patriam ad patrem.

Philocrates

Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam sedulo,
Ut potissumum, quod in rem recte conducat tuam,
Id petam semper sequarque corde et animo ac uiribus.

Tyndarus

Facis ita, ut te facere oportet. Nunc animum aduortas uolo.
Omnium primum salutem dicito matri et patri
Et cognatis et, si quem alium beneuolentem uideris:
Me hic ualere et seruitutem seruire huic homini optumo,
Qui me honore honestiorem semper fecit et facit.

Philocrates

Istuc ne praecipias; facile memoria memini tamen.

Tyndarus

Nam equidem, nisi quod custodem habeo, liberum me esse arbitror.
Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc conuenerit
De huius filio.

---

374 parentes meos 376 rem *in margine additur.* 378 alide 384 philocrates. PHI. ut 386 petam id persequarque atque auribus 392 precias 393 quidem

Philocrates

Quae memini, mora merast monerier.

Tyndarus

Ut eum redimat et remittat nostrum huc amborum uicem.

Philocrates

Meminero.

Hegio

At quam primum poterit; [istuc] in rem utriquest maxume.

Philocrates

Non tuum tu magis uidere quam ille suum gnatum cupit.

Hegio

Meus mihi, suus quoiquest carus.

Philocrates

Num quid aliud uis patri Nuntiari?

Tyndarus

Me † hic ualere, et tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili,
Neque te conmeruisse culpam neque te aduorsatum mihi,
Beneque ero gessisse morem in tantis aerumnis tamen,
Neque med umquam deseruisse te neque factis neque fide
Rebus in dubiis, egenis. Haec pater quando sciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga suum gnatum atque se,
Numquam erit tam auarus, quin te gratiis emittat manu.
Et mea opera, si hinc rebito, faciam, ut faciat facilius;
Nam tua opera et comitate et uirtute et sapientia
Fecisti, ut redire liceat ad parentis denuo,
Quom apud hunc confessus es et genus et diuitias meas;
Quo pacto emisisti e uinclis tuum erum tua sapientia.

Philocrates

Feci ego ita, ut conmemoras, et te meminisse id gratumst mihi.
Merito tibi ea euenerunt a me; nam nunc, Philocrates,

---

397 poteris 399—405 *sex, non septem versibus.* 402 me aduersatum tibi 412 uinculis 413 ista

Si ego item mèmorem, quae me erga multa fecisti bene,
Nox diem adimat; nam *quasi* seruos meus sis, nihilo secius
Mihi obsequiosus semper fuisti.

Hegio

Di uostram fidem,
Hominum ingenium liberale! Ut lacrumas excutiunt mihi!
Uideas corde amare inter se, *quibus et* quantis laudibus
Suum erum seruos conlaudauit.

Tyndarus

Pol istic me haud centesimam
Partem laudat, quam ipse meritust, ut laudetur laudibus.

Hegio

Ergo quom optume fecisti, nunc adest occasio
Benefacta cumulare, ut erga hunc rem geras fideliter.

Philocrates

Magis non factum possum uelle quam opera experiar persequi.
Id ut scias, Iouem supremum testem laudo, Hegio,
Me infidelem non futurum Philocrati.

Hegio

Probus es homo.

Philocrates

Nec me secus umquam ei facturum quidquam quam memet mihi.

Tyndarus

Istaec dicta te expedire et operis et factis uolo,
Et quo minus dixi quam uolui, recte animum aduortas uolo,
Atque horunc uerborum causa caue tu mihi iratus fuas.
Sic, te quaeso, cogitato hinc mea fide mitti domum
Te aestumatum et meam esse uitam hic pro te positam pignori,

---

416 nam si seruus meus esses 418 Hominum ingenium *antecedenti uersui adduntur. Item principia trium proximorum uersuum.* 419 quibus et *om.* 425 uti suppremum testem do 428 experire 429 uolui de te animum 430 caueto mihi . 431 Sed hinc te mea

Ne tu me ignores, quom extemplo meo e conspectu abscesseris,
Quom me seruom in seruitute pro te hic reliqueris,
Tuque te pro libero esse ducas, pignus deseras
Neque des operam, pro me ut huius reducem faciás filium.
Scito te hinc minis uiginti aestumatum mittier.
Fac fidelis sis fideli, caue fidem fluxam geras;
Nam pater, scio, faciet, quae illum facere oportet omnia.
Serua tibi in perpetuum amicum me atque hunc inuentum inueni.
Haec per dexteram tuam te dextera retinens manu
Obsecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi.
Tu hoc age; tu mihi erus nunc es, tu patronus, tu pater;
Tibi conmendo spes opesque meas.

Philocrates

Mandauisti satis.
Satin habes, mandata quae sunt, facta si refero?

Tyndarus

Satis.

Philocrates

Et tua et tua huc ornatus reueniam ex sententia.
Num quid aliud?

Tyndarus

Ut quam primum possis redeas.

Philocrates

Res monet.

Hegio

Sequere me, uiaticum ut dem a trapezita tibi.
Eadem opera a praetore sumam syngraphum.

Tyndarus

Quem syngraphum?

---

435 desideras

Hegio

Quem hic ferat secum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum.

Tu intro abi.

Tyndarus

Bene ambulato.

Philocrates

Bene uale.

Hegio

Edepol rem meam
Constabiliui, quom illos emi de praeda a quaestoribus.
Expediui ex seruitute filium, si dis placet.
At etiam dubitaui, hosce homines emerem an non emerem, diu.
Seruate istum sultis intus, serui, ne quoquam pedem
Ecferat sine custodela. *Iam* ego apparebo domi.
Ad fratrem ibo; dum captiuos alios inuiso meos,
Eadem percontabor, ecqui hunc adulescentem nouerit.
Sequere tu. Te ut amittam, ei rei primum praeuorti uolo.

PARASITUS. DV

Miser homost, qui ipse sibi, quod edit, quaerit et id aegre inuenit;
Sed illest miserior, qui et aegre quaerit et nihil inuenit.
[Ille miserrumus est, qui, quom esse cupit, quod edit, non habet].
Nam hercle ego huic diei, si liceat, oculos ecfodiam lubens;
Ita malignitate onerauit omnis mortalis mihi.
Neque ieiuniosiorem nec magis ecfertum fame
Uidi nec qui minus procedat, quidquid facere occeperis;

---

454 hos 455 stultis 456 custode ego 457 fratrem modo captiuos 458 ecquis 466 occeperit

Ita uenter gutturque resident esurialis ferias.
Ilicet parasiticae arti maxumam malam crucem;
Ita iuuentus iam ridiculos inopes ab se segregat.
Nihil morantur iam Lacones uni subselli uiros,
Plagipatidas, quibus sunt uerba sine penu et pecunia;
Eos requirunt, qui, lubenter quom ederint, reddant domi.
Ipsi opsonant, quae parasitorum ante erat prouincia;
Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
Quam in tribu aperto capite sontis condemnant reos,
Neque ridiculos iam terunci faciunt; sese omnes amant.
Nam *ego* ut dudum hinc abii, adcessi ad adulescentis in foro.
„Saluete“ inquam; „quo imus una ad prandium?“ atque illi tacent.
„Quis agit hoc, aut quis profitetur?“ inquam; quasi muti silent
Neque me rident. „Ubi cenamus?“ inquam, atque illi abnuunt.
Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus,
Quibus solebam menstrualis epulas ante adipiscier;
Nemo ridet. Sciui extemplo rem de conpecto geri.
Ne canem quidem irritatam uoluit quisquam imitarier,
Saltem, si non arriderent, dentis ut restringerent.
Abeo ab illis, postquam uideo me sic ludificarier;
Pergo ad alios, uenio ad alios, deinde ad alios; una res.
Omnes *de* conpecto rem agunt, quasi in Uelabro olearii.
[Nunc redeo inde, quoniam me ibi uideo ludificarier.]
Item alii parasiti frustra obambulabant in foro.
Nunc barbarica lege certumst ius meum omne persequi.
Qui consilium iniere, quo nos uictu et uita prohibeant,
Is diem dicam, inrogabo multam, ut mihi cenas decem

---

467 Itaque 469 inopesque ab sese segregat 472 libenter comederint 475 contempnant 476 tam terrunci 477 ego *om.* 478 una inquam ad 483 compacto 488 Omnes compacto 492 conciliu¬ 493 His

Meo arbitratu dent, quom cara annona sit; sic egero.
Nunc ibo ad portum hinc; est illic mihi una spes cenatica;
Si ea decolabit, redibo huc ad senem ad cenam asperam.

HEGIO.

Quid est suauius quam bene rem gerere bono publico, sicut ego feci heri,
Quom emi hosce homines. Ubi quisque uident, eunt obuiam,
Gratulanturque eam rem. Ita me miserum restitando
Retinendoque lassum reddiderunt;
Uix ex gratulando miser iam eminebam.
Tandem abii ad praetorem; ibi uix requieui.
Rogo syngraphum; datur mihi ilico; dedi Tyndaro; ille abiit domum.
Postquam id actumst,
Eo protinus ad fratrem, mei ubi alii sunt captiui.
Rogo, Philocratem ex Alide ecquis omnium
Nouerit; tandem hic exclamat, eum sibi esse sodalem.
Dico, esse eum apud me; hic extemplo orat obsecratque,
Eum sibi ut liceat uidere; iussi ilico hunc exsolui. Nunc tu sequere me,
Ut quod me orauisti inpetres, eum hominem ut conuenias.

TYNDARUS.

Nunc illud est, quom me fuisse quam esse nimio mauelim;
Nunc spes, opes auxiliaque a me segregant spernuntque se.
Hic illest dies, quom nulla uitae meae salus sperabilist;
Neque exitiost neque adeo spes, quae hunc mihi aspellat metum,

496 decollabit 504 Inde ilico reuortor domum postquam 505 fratrem inde abii mei 512 spernuntque me 514 exilium exitio est

[Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellumst meis,]
Nec sycophantiis nec fucis ullum mantellum obuiamst.
Neque deprecatio perfidiis meis nec malefactis fugast,
Nec confidentiae usquam hospitiumst nec diuorticulum dolis;
Operta quae fuere, aperta sunt, patent praestigiae.
[Omnis res palam est, neque de hac re negotium est,
Quin male occidam oppetamque pestem heri uicem meamque.
Perdidit me Aristophontes hic, qui uenit modo intro;
Is me nouit, is sodalis Philocrati et cognatus est.]
Neque iam Salus seruare, si uolt, me potest, nec copiast,
Nisi si aliquam corde machinor astutiam.
Qua malum quid machiner. Quid comminiscar? Maximas
Nugas! Ineptias incipisso; hæreo.]

HEGIO. TYNDARUS. ARISTOPHONTES.

Hegio

Quo illum nunc hominem proripuisse foras se dicam ex aedibus?

Tyndarus

Nunc enimuero ego occidi; eunt ad te hostes, Tyndare.
Quid loquar? quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? [mihi
Res omnis in incerto sitast, quid rebus confidam meis.]
Utinam te di prius perderent, quam periisti e patria tua,
Aristophontes, qui ex parata re inparatam omnem facis.
Occisast haec res, nisi reperio atrocem mihi aliquam astutiam.

Hegio

Sequere. Em tibi hominem, adi atque adloquere.

Tyndarus

Quis homost me hominum miserior?

---

516 Ne 522 Aristophontis 527 incipisse 532 peristi 533 imperatam

Aristophontes

Quid istuc est, quod meos te dicam fugitare oculos, Tyndare,
Proque ignoto me aspernari, quasi me numquam noueris?
Equidem tam sum seruos quam tu, etsi ego domi liber fui,
Tu usque a puero seruitutem seruiuisti in Alide.

Hegio

Edepol minume miror, si te fugitat aut oculos tuos,
Aut si te odit, qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate.

Tyndarus

Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide,
Ne tu, quod istic fabuletur, auris inmittas tuas;
Nam istic hastis insectatus est domi matrem et patrem,
Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum uenit;
Proin tu ab istoc procul recedas.

Hegio

Ultro istum a me.

Aristophontes

Ain, uerbero,
Me rabiosum atque insectatum esse hastis meum memoras patrem,
Et eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier?

Hegio

Ne uerere, multos iste morbus homines macerat,
Quibus insputari saluti fuit atque is profuit.

Aristophontes

Quid, tu autem etiam huic credis?

Hegio

Quid ego credam huic?

Aristophontes

Insanum esse me.

---

550 his

Tyndarus

Uiden tu hunc, quam inimico uoltu intuitur? Concedi optumumst,
Hegio; fit, quod tibi dixi; gliscit rabies; caue tibi.

Hegio

Credidi esse insanum extemplo, ubi te appellauit Tyndarum.

Tyndarus

Quin suum ipse interdum ignorat nomen neque scit, qui siet.

Hegio

At etiam te suum sodalem esse aibat.

Tyndarus

Haud uidi magis.
Et quidem Alcmeus atque Orestes et Lycurgus postea
Una opera mihi sunt sodales, qua iste.

Aristophontes

At etiam, furcifer,
Male loqui mihi audes? Non ego te noui?

Hegio

Pol planum id quidemst,
Non nouisse, qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate.
Quem uides, eum ignoras; illum nominas, quem non uides.

Aristophontes

Immo iste eum sese ait, qui non est, esse et, qui uerost, negat.

Tyndarus

Tu enim repertus's, Philocratem qui superes ueriuerbio.

Aristophontes

Pol, ego ut rem uideo, tu inuentus's, uera uanitudine
Qui conuincas. Sed, quaeso hercle, agedum adspice ad me.

---

552 intuetur 553 tibi ego dixi 555 Quia 557 ligurgus 559 mihi loqui mihi 563 repertus 564 inuentus

Tyndarus

Em.

Aristophontes

Dic modo,

Te negas *tu* Tyndarum esse?

Tyndarus

Nego inquam.

Aristophontes

Tun te Philocratem

Esse ais?

Tyndarus

Ego inquam.

Aristophontes

Tune huic credis?

Hegio

Plus quidem quam tibi aut mihi;
Nam ille quidem, quem hunc memoras esse, hodie hinc abiit Alidem
Ad patrem huius.

Aristophontes

Quem patrem? qui seruos est.

Tyndarus

Et tu quidem
Seruos es, liber fuisti, et ego me confido fore,
Si huius huc reconciliasso in libertatem filium.

Aristophontes

Quid ais, furcifer? Tun te *esse* gnatum memoras liberum?

Tyndarus

Non equidem me Liberum, sed Philocratem esse aio.

---

566 tu *om.* 568 quem tu hunc 570 Seruus et liber 572 esse *om*

Aristophontes

Quid est?
Ut scelestus, Hegio, nunc iste *te* ludos facit!
Nam is est seruos ipse, neque praeter se umquam ei seruos fuit.

Tyndarus

Quia tute ipse eges in patria nec tibi, qui uiuas, domist,
Omnis inueniri similis tibi uis. Non mirum facis;
Est miserorum, ut maleuolentes sint atque inuideant bonis.

Aristophontes

Hegio, uide sis ne quid tu huic temere insistas credere;
Atque ut perspicio, profecto iam aliquid pugnae edidit.
Filium tuum quod redimere se ait, id neutiquam mihi placet.

Tyndarus

Scio te id nolle fieri; ecficiam tamen ego id, si di adiuuant.
Illum restituam huic, hic autem in Alidem me meo patri.
Propterea ad patrem hinc amisi Tyndarum.

Aristophontes

Quin tute is es,
Neque praeter te in Alide ullus seruos istoc nominest.

Tyndarus

Pergin seruom me exprobrare esse, id quod ui hostili optigit?

Aristophontes

Enim iam nequeo contineri.

Tyndarus

Heus, audin, quid ait? Quin fugis?
Iam illic hic nos insectabit lapidibus, nisi illunc iubes
Conprehendi.

Aristophontes

Crucior.

---

574 te *om.* 575 ei *om.* 577 inuenire 578 indeant 587 Enimuero iam

Tyndarus

Ardent oculi; fune opus, Hegio.
Uiden tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem.

Aristophontes

At pol te, si hic sapiat senex,
Pix agitet apud carnuficem tuoque capiti inluceat.

Tyndarus

Iam deliramenta loquitur, laruae stimulant uirum.

Hegio

Quid *ais?* Quid, si hunc conprehendi iusserim?

Tyndarus

Sapias magis.

Aristophontes

Crucior lapidem non habere me, ut illi mastigiae
Cerebrum excutiam, qui me insanum uerbis concinnat suis.

Tyndarus

Audin lapidem quaeritare?

Aristophontes

Solus te solum uolo,
Hegio.

Hegio

Istinc loquere, si quid uis; procul tamen audiam.

Tyndarus

Namque edepol si adbites propius, os denasabit tibi
Mordicus.

Aristophontes

Neque pol me insanum, Hegio, esse creduis
Neque fuisse umquam neque esse morbum, quem istic autumat.
Uerum si quid metuis a me, iube me uinciri. Uolo,
Dum istic itidem uinciatur.

---

589 oculi fit opus 592 Atra pix 594 ais *om.* 601 quem *om.* 602 uincire

Aristophontes

Non fuit, neque ego istuc nomen umquam audiui ante hunc diem.
Philocrati Theodoromedes fuit pater.

Tyndarus

Pereo probe.
Quin quiescis? *i* dierectum, cor meum, ac suspende te;
Tu subsultas, ego miser uix adsto prae formidine.

Hegio

Satin istuc mihi exquisitumst fuisse hunc seruom in Alide,
Neque esse hunc Philocratem?

Aristophontes

Tam satis, quam numquam hoc inuenies secus.
Sed ubi is nunc est?

Hegio

Ubi ego minume atque ipsus se uolt maxume.
[Tum igitur ego aerumnatus, deartuatus sum miser
Huius scelesti technis, qui me, ut lubitumst, ductauit dolis.]
Sed uide sis.

Aristophontes

Quin exploratum dico et prouisum hoc tibi.

Hegio

Certon?

Aristophontes

Quin nihil, inquam, inuenies magis hoc certo certius.
Philocrates iam inde usque amicus fuit mihi a puero puer.

Hegio

Sed qua faciest tuus sodalis Philocrates?

Aristophontes

Dicam tibi:
Macilento ore, naso acuto, corpore albo, oculis nigris,
Subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus.

628 Non fuit *antecedenti uersui adiunguntur.* 630 i *om.* 631 sussultas 633 phicocratem 636 thechnis 638 Qui nihil 641 et oculis

Hegio

Conuenit.

Tyndarus

Ut quidem hercle in medium ego hodie pessume processerim.
Uae illis uirgis miseris, quae hodie in tergo morientur meo.

Hegio

Uerba mihi data esse uideo.

Tyndarus

Quid cessatis, conpedes,
Currere ad me meaque amplecti crura, ut uos custodiam?

Hegio

Satin me illisce hodie scelesti capti ceperunt dolo?
Illic seruom se adsimulabat, hic sese autem liberum.
Nuculeum amisi, retinui pignori putamina;
Ita mihi stolido sursum uorsum os subleuere offuciis.
Hic quidem me numquam inridebit. Colaphe, Cordalio, Corax,
Ite istinc atque ecferte lora.

Lorarii

Num lignatum mittimur?

HEGIO. LORARII. TYNDARUS. ARISTOPHONTES.

Hegio

Inicite huic manicas *actutum*, mastigiae.

Tyndarus

Quid hoc est negoti? quid ego deliqui?

Hegio

Rogas,
Sator sartorque scelerum et messor maxume?

Tyndarus

Non occatorem dicere audebas prius?
Nam semper occant prius quam sariunt rustici.

---

647 Santin me illi 650 subliuere 653 actutum *om.* 657 sarriunt

Hegio

Attat, ut confidenter mihi contra adstitit.

Tyndarus

Decet innocentem seruom atque innoxium
Confidentem esse, suum apud erum potissumum.

Hegio

Adstringite isti sultis uehementer manus.

Tyndarus

Tuus sum; tu has quidem uel praecidi iube.
Sed quid negotist, quam ob rem suscenses mihi?

Hegio

Quia me meamque rem, quod in te uno fuit,
Tuis scelestis, falsidicis fallaciis
Delacerauisti, deartuauistique opes,
Confecisti omnis res ac rationes meas;
Ita mihi exemisti Philocratem fallaciis.
Illum esse seruom credidi, te liberum;
Ita uosmet aiebatis itaque nomina
Inter uos permutastis.

Tyndarus

Fateor omnia
Facta esse ita, ut *tu* dicis, et fallaciis
Abisse eum abs te mea opera atque astutia.
An, obsecro hercle te, id nunc suscenses mihi?

Hegio

At cum cruciatu maxumo id factumst tuo.

Tyndarus

Dum ne ob malefacta peream, parui aestumo.
Si ego hic peribo, si ille, ut dixit, non redit,
At erit mihi hoc factum mortuo memorabile,
Me meum erum captum ex seruitute atque hostibus
Reducem fecisse liberum in patriam ad patrem,

658 At 672 tu *om.* 677 peribo ast ille 679 Me *om.*

Meumque potius me caput periculo
Praeoptauisse, quam is periret, ponere.
Hegio
Facito ergo, ut Acherunti clueas gloria.
Tyndarus
Qui per uirtutem perit, aiunt, non interit.
Hegio
Quando ego te exemplis pessumis cruciauero
Atque ob sutelas tuas te morti misero,
Uel te interisse uel perisse praedicent.
Dum pereas, nihil interdo; dicant uiuere.
Tyndarus
Pol si istuc faxis, haud sine poena feceris,
Si ille huc rebitet, sic ut confido adfore.
Aristophontes
Pro di inmortales, nunc ego teneo, nunc scio,
Quid hoc sit negoti. Meus sodalis Philocrates
In libertatest ad patrem in patria. Benest,
Nec quisquam est mihi *alius*, aeque melius quoi uelim;
Sed hoc mihi aegrest, me huic dedisse operam malam,
Qui nunc propter me meaque uerba uinctus est.
Hegio
Uotuin te quidquam mihi hodie falsum proloqui?
Tyndarus
Uotuisti.
Hegio
Cur es ausus mentiri mihi?
Tyndarus
Quia uera obessent illi, quoi operam dabam;

ntecedenti. 684 peritat non 685—87 *duobus*
auero 688 interdico 688—90 *duobus uersi-*
afforet 691—94 *tribus uersibus.* 692 sit
696—98 *duobus uersibus.* 698 Uotauisti

Hegio
At tibi oberunt.
Tyndarus
Optumest.
At erum seruaui, quem seruatum gaudeo,
Quoi me custodem addiderat erus maior meus.
Sed malene id factum arbitrare?
Hegio
Pessume.
Tyndarus
At ego aio recte, atque abs te sorsum sentio.
Nam cogitato, si quis hoc gnato tuo
Tuus seruos faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteresne necne eum seruom manu?
Essetne apud te is seruos acceptissumus?
Responde.
Hegio
Opinor.
Tyndarus
Cur ergo iratus mihi es?
Hegio
Quia illi fuisti quam mihi fidelior.
Tyndarus
Quid? tu una nocte postulauisti et die
Recens captum hominem, nuperum et nouicium,
Te perdocere, ut melius consulerem tibi
Quam illi, quicum una *a* puero aetatem exegeram?
Hegio
Ergo ab eo petito gratiam istam. Ducite,
Ubi ponderosas, crassas capiat conpedes.
Inde ibis porro in latomias lapidarias.

703—5 *duobus*. 704 recte qui abs 706—10 *tribus uersibus*. 711—16 *quattuor*. 714 a *om*. 715 istam gratiam

Ibi quom alii octonos lapides ecfodiunt, nisi
Cotidiano sesquiopus confeceris,
Sescentoplago nomen indetur tibi.
Aristophontes
Per deos atque homines ego te optestor, Hegio,
Ne tu istunc hominem perduis.
Hegio
Curabitur.
Nam noctu neruo uinctus custodibitur,
Interdius sub terra lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo, non uno absoluam die.
Aristophontes
Certumnest tibi istuc?
Hegio
Non moriri certiust.
Abducite istum actutum ad Hippolytum fabrum,
Iubete huic crassas conpedes inpingier.
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum
In lapicidinas facite deductus siet,
Atque hunc me uelle dicite ita curarier,
Ne qui deterius huic sit, quam quoi pessumest.
Tyndarus
Cur ego te inuito me esse saluom postulem?
Periculum uitae meae tuo stat periculo;
Post mortem in morte nihil est, quod metuam, mali.
Etsi peruiuo usque ad summam aetatem, tamen
Breue spatiumst perferundi, quae minitas mihi.
Uale atque salue, etsi, aliter ut dicam, meres.
Tu, Aristophontes, de me ut meruisti, ita uale;
Nam mihi propter te hoc optigit.

718—19 *uno uersu.* 719 Cotidianos sesque opus 723—24 *uno uersu.* 725—27 *duobus.* 725 hunc ego 727 Yppolitum 728—30 *duobus uersibus.* 731—33 *item.* 731 hunc ita me uelle dicite 734—36 *duobus uersibus.* 736 superuiuo 738—39 *uno uersu.*

Hegio

Abducite.

Tyndarus

At unum hoc quaeso, si huc rebitet Philocrates,
Ut mihi eius facias conueniundi copiam.

Hegio

Peristis, nisi hunc iam e conspectu abducitis.

Tyndarus

Uis haec quidem herclest, et trahi et trudi simul.

Hegio

Illic est abductus recta in phylacam, ut dignus est.
Ego illis captiuis aliis documentum dabo,
Ne tale quisquam facinus incipere audeat.
Quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam,
Usque offrenatum suis me ductarent dolis.
Nunc certumst nulli posthac quidquam credere;
Satis sum semel deceptus. Speraui miser,
Ex seruitute me exemisse filium;
Ea spes elapsast. Perdidi unum filium,
Puerum quadrimum quem mihi seruos surpuit,
Neque eum seruom umquam repperi neque filium;
Maior potitus hostiumst; quod hoc est scelus?
Quasi in orbitatem liberos produxerim.
Sequere hac; re*d*ducam te, ubi fuisti. Neminis
Misereri certumst, quia mei miseret neminem.

Aristophontes

Exauspicaui ex uinclis; nunc intellego
Redauspicandum esse in catenas denuo.

---

749 ofere natum 750 post hæc 752 seruite 754 surripuit 758 reducam 759 mei *om.* 760 Exauspicaui ex uinclis *om.*

PARASITUS ERGASILUS.

Iuppiter supreme, seruas me measque auges opes;
Maxumas opimitates opiparasque offers mihi,
Laudem, lucrum, ludum, iocum, festiuitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium,
Nec quoiquam homini supplicare nunc *iam* certumst mihi;
Nam uel prodesse amico possum uel inimicum perdere;
Ita hic me amoenitate amoena amoenus onerauit dies.
Sine sacris hereditatem sum aptus ecfertissumam.
Nunc ad senem cursum capessam hunc Hegionem, quoi boni
Tantum adfero, quantum ipsus a dis optat, atque etiam amplius.
Nunc certa res est, eodem pacto ut comici serui solent.
Coniciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat;
Speroque me ob hunc nuntium aeternum adepturum cibum.

SENEX. PARASITUS.

Hegio

Quanto in pectore hanc rem meo magis uoluto.
Tanto mihi aegritudo auctior est in animo,
Ad illum modum sublitum os esse hodie mihi,
Neque id perspicere quiui.
Quod quom scibitur, *tum* per urbem inridebor.
Quom extemplo ad forum aduenero, omnes loquentur:
„Hic illest senex doctus, quoi uerba data sunt".
Sed Ergasilus estne hic, procul quem uideo?
Conlecto quidemst pallio; quidnam acturust?

766 iam *om.* 768 onerauit mihi. 771 ipse 777—78 *uno uersu.* 777 subitum 779 Quod comscibitur per 781 ductus quo

Ergasilus

Moue abs te moram atque, Ergasile, age hanc rem.
Minor interminorque, ne quis mi hic obstiterit obuiam,
Nisi qui satis diu uixisse sese homo arbitrabitur;
Nam qui obstiterit, ore sistet.

Hegio

Hic homo pugilatum incipit.

Ergasilus

Facere certumst. Proinde ita omnes itinera insistant sua,
Ne quis in hanc plateam negoti conferat quidquam sui.
Nam meus est ballista pugnus, cubitus catapultast mihi,
Humerus aries; tum genu ut quemque icero, ad terram dabo;
Dentilegos omnis mortalis faciam, quemque offendero.

Hegio

Quae illaec est minatio? nam nequeo mirari satis.

Ergasilus

Faciam, ut huius diei locique meique semper meminerit.
Qui mihi in cursu obstiterit, faxo uitae is obstiterit suae.

Hegio

Quid hic homo tantum incipissit facere cum tantis minis?

Ergasilus

Prius edico, ne quis propter culpam capiatur suam:
Continete uos domi, prohibete a uobis uim meam.

Hegio

Mira edepol sunt, ni hic in uentrem sumpsit confidentiam.
Uae misero illi, quoius cibo iste factust inperiosior.

Ergasilus

Tum pistores scrofipasci, qui alunt furfuri sues,
Quarum odore praeterire nemo pistrinum potest,
Eorum si quoiusquam scrofam in publico conspexero,
Ex ipsis dominis meis pugnis exculcabo furfures.

---

785 Eminor mihi obstiterit 786 quis 788 proinde ut omnes 789 hac platea 791 ad quemque iecero 793 eminatiost 794 eius 795 is extemplo obstiterit 801 furfure

Hegio

Basilicas edictiones atque inperiosas habet.
Satur homost, habet profecto in uentre confidentiam.

Ergasilus

Tum piscatores, qui praebent populo piscis foetidos,
Qui aduehuntur quadrupedanti crucianti cantherio,
Quorum odos subbasilicanos omnis abigit in forum,
Eis ego ora uerberabo surpiculis piscariis,
Ut sciant, alieno naso quam exhibeant molestiam.
Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas ouis,
Qui locant caedundos agnos et dubiam agninam danunt,
Qui petroni nomen indunt uerueci sectario,
Eum ego si in uia petronem publica conspexero,
Et petronem et dominum reddam mortalis miserrumos.

Hegio

Eugepae; edictiones hic quidem aedilicias habet;
Mirumque adeost, ni hunc fecere sibi Aetoli agoranomum.

Ergasilus

Non ego nunc parasitus sum, sed regum rex regalior;
Tantus uentri conmeatus meo adest in portu cibus.
Sed ego cesso hunc Hegionem onerare laetitia senem.
Qui homine *hominum* adaeque nemo uiuit fortunatior.

Hegio

Quae illaec est laetitia, quam illic laetus largitur mihi?

Ergasilus

Heus, ubi estis? ecquis *hic est? ecquis* hoc aperit ostium?

Hegio

Hic homo ad cenam recipit se ad me.

Ergasilus

Aperite hasce ambas foris,
Prius quam pultando assulatim foribus exitium adfero.

---

809 abegit 813 cedundos an gnos et duplam 817 aedilicias hic quidem 822 hominum *om.* 824 hic est? ecquis *om.* 826 pultando uel assultatim

Hegio

Perlubet hunc conloqui hominem. Ergasile.

Ergasilus

Ergasilum qui uocat?

[Hegio

Respice.

Ergasilus

Fortuna quod tibi nec facit nec faciet, hoc me iubes.
Sed qui est?]

Hegio

Respice ad me. [Hegio sum.]

Ergasilus

[Oh mihi!] Quantum est,
Hominum optumorum optume, [in tempore aduenis.

Hegio

Nescio quem ad portum nactus es, ubi cenes; eo fastidis.

Ergasilus]

Cedo manum.

Hegio

Manum?

Ergasilus

Manum, inquam, cedo tuam actutum.

Hegio

Tene.

Ergasilus

Gaude.

Hegio

Quid ego gaudeam?

Ergasilus

Quia ego inpero. Age gaude modo.

827 hominem conloqui 832 Tene *proximi uersus principium est.*

Hegio

Pol maerores mihi anteuortunt gaudiis.

Ergasilus

Gaude modo;

Iam ego ex corpore exigam omnis maculas maerorum tibi;
Gaude audacter.

Hegio

Gaudeo, etsi nihil scio, quod gaudeam.

Ergasilus

Bene facis; iube

Hegio

Quid iubeam?

Ergasilus

Ignem ingentem fieri.

Hegio

Ignem ingentem?

Ergasilus

Ita dico, magnus ut sit.

Hegio

Quid? me, uolturi,
Tuan causa aedis incensurum censes?

Ergasilus

Noli irascier.
Iuben an non iubes adstitui aulas, patinas elui,
Laridum atque epulas foueri foculis feruentibus,
Alium piscis praestinatum abire,

Hegio

Hic uigilans somniat.

Ergasilus

Alium porcinam atque agninam et pullos gallinaceos,

Hegio

Scis bene esse, si sit unde.

---

834 gaudiis ERG. Noli irascier 838 Quid me uolt uri?

Ergasilus

Percam atque ophthalmiam,
Horaeum scombrum et trygonem et cetum et mollem caseum?

Hegio

Nominandi istorum tibi erit magis quam edundi copia
Hic apud me, Ergasile.

Ergasilus

Mean me causa hoc censes dicere?

Hegio

Nec nihil hodie nec multo plus tu hic edes, ne frustra sis;
Proin tu tui cottidiani uicti uentrem ad me adferas.

Ergasilus

Quin ita faciam, ut *tu*te cupias facere sumptum, etsi ego uotem.

Hegio

Egone?

Ergasilus

Tu ne.

Hegio

Tum tu mi igitur erus es.

Ergasilus

Immo beneuolens.
Uin te faciam fortunatum?

Hegio

Malim quam miserum quidem.

Ergasilus

Cedo manum.

Hegio

Em manum.

---

844 Pernam atque opthalmia 845 trigonum 849 coctidiani 850 te uetem

Ergasilus
Di te omnes adiuuant.
Hegio
Nihil sentio.
Ergasilus
Non enim es in senticeto; eo non sentis. Sed iube
Uasa tibi pura adparari ad rem diuinam cito
Atque agnum *huc* adferri propere pinguem.
Hegio
Cur?
Ergasilus
Ut sacrifices.
Hegio
Quoi deorum?
Ergasilus
Mihi hercle; nam ego nunc tibi sum summus Iuppiter;
Idem ego sum Salus, Fortuna, Lux, Laetitia, Gaudium.
Proin deum tu hunc saturitate facias tranquillum tibi.
Hegio
Esurire mihi uidere.
Ergasilus
Mihi quidem esurio, non tibi.
Hegio
Tuo arbitratu; facile patior.
Ergasilus
Credo; consuetus's puer.
Hegio
Iuppiter te dique perdant!
Ergasilus
Te hercle mi aequomst gratias

853 Nihil sentio *proximi uersus principium est.* 856 agnum afferri proprium 859 tu deum 861 consuetus

Agere ob nuntium; tantum ego nunc porto a portu tibi boni.
Nunc tu mihi places.

Hegio

Abi stultus, sero post tempus uenis.

Ergasilus

Igitur, olim si aduenissem, magis tu tum istuc diceres.
Nunc hanc laetitiam accipe a me, quam fero; nam filium
Tuum modo in portu Philopolemum uiuom, saluom et sospitem
Uidi in publica celoce ibidemque illum adulescentulum
Aleum una et tuum Stalagmum seruom, qui aufugit domo,
Qui tibi subripuit quadrimum puerum filiolum tuum.

Hegio

Abi in malam rem, ludis me.

Ergasilus

Ita me amabit sancta Saturitas,
Hegio, itaque suo me semper condecoret cognomine,
Ut ego uidi.

Hegio

Meum gnatum?

Ergasilus

Tuum gnatum et genium meum.

Hegio

Et captiuom illum Alidensem?

Ergasilus

Μὰ τὸν Ἀπόλλω.

Hegio

Et seruolum
Meum Stalagmum, meum qui gnatum subripuit?

Ergasilus

Νὴ τὰν Κόραν.

Hegio

Iam † diu.

---

869 alium 871 saturnitas 875 netan cora

Ergasilus

Νὴ τὰν Πραινέστην.

Hegio

Uenit?

Ergasilus

Νὴ ταν Σιγνιαν.

Hegio

Certon?

Ergasilus

Νὴ τὰν Φρουσινῶνα.

Hegio

Uide sis.

Ergasilus

Νὴ τὰν Ἀλάτριον.

Hegio

Quid tu per barbaricas urbis iuras?

Ergasilus

Quia enim item asperae
Sunt, ut tuum uictum autumabas esse.

Hegio

Uae aetati tuae!

Ergasilus

Quippe, quando mihi nihil credis, quod ego dico sedulo.
Sed Stalagmus quoius erat tunc nationis, quom hinc abit?

Hegio

Siculus.

Ergasilus

At nunc Siculus non est; Boius est; boiam terit;
Liberorum quaerundorum causa ei, credo, uxor datast.

---

876 netam prenestem netan signeam 877 netam frusinenem netam alatrium 881 quo uis cum hic abiit 882 Si cuius. E. Et nunc si cuius

Hegio

Dic, bonan fide tu mihi istaec uerba dixisti?

Ergasilus

Bona.

Hegio

Di inmortales, iterum natus uideor, si uera autumas.

Ergasilus

Ain tu? dubium habebis etiam, sancte quom ego iurem tibi?
Postremo, Hegio, si parua iuri iurandost fides,
Uise ad portum.

Hegio

Facere certumst. Tu intus cura, quod opus est;
Sume, posce, prome quiduis; te facio cellarium.

Ergasilus

Nam hercle, nisi mantiscinatus probe ero, fusti pectito.

Hegio

Aeternum tibi dapinabo uictum, si uera autumas.

Ergasilus

Unde id?

Hegio

A me meoque gnato.

Ergasilus

Sponden tu istud?

Hegio

Spondeo.

Ergasilus

At ego tuum tibi aduenisse filium respondeo.

Hegio

Cura, quam optume potes.

Ergasilus

Bene ambula et redambula. —
Illic hinc abiit; mihi rem summam credidit cibariam.

885 siuara 892 Sponde tu 895 PARASITUS *præscribitur*.

Di inmortales, iam ut ego collos praetruncabo tegoribus!
Quanta pernis pestis ueniet, quanta labes larido,
Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas,
Quanta laniis lassitudo, quanta porcinariis!
Nam si alia memorem, quae ad uentris uictum conducunt,
morast.
Nunc ibo ut properem *in* praefecturam, ut ius dicam larido,
Et quae pendent indemnatae pernae, eis auxilium ut feram.

PUER.

Diespiter te dique, Ergasile, perdant et uentrem tuum
Parasitosque omnis et qui posthac cenam parasitis dabit.
Clades calamitasque, intemperies modo in nostram aduenit
domum.
Quasi lupus esuriens, metui, ne in me faceret inpetum.
Ubi nol*ui illi morem gerere, ibi os pandebat inprob*um,
Nimisque hercle ego illum male formidabam; ita frendebat
dentibus.
Aduenions deturbauit totum cum carni carnarium;
Arripuit gladium, praetruncauit tribus tegoribus glandia.
Aulas calicesque omnis confregit, nisi quae modiales erant;
Cocum percontabatur, possentne seriae feruescere.
Cellas refregit omnis intus reclusitque armarium.
Adseruate istunc sultis, serui; ego ibo, ut conueniam senem;
Dicam ut sibi penum aliud ornet, si quidem sese uti uolet;
Nam *hoc*, hic quidem ut adornat, aut iam nihil est aut
iam nihil erit.

---

896 tergoribus 898 absumendo collo 899 portinariis 901 ibo ut prefecturam et ius *B* 902 inde nate 904 post hanc 905 Cladis 907 *abest a B* 909 carne 910 tergoribus *B* 911 confringit 916 hoc *om.*

HEGIO. PHILOPOLEMUS. PHILOCRATES. STALAGMUS.

Hegio

Ioui disque ago gratias merito magnas,
Quom te redducem tuo patri reddiderunt
Quomque ex miseriis plurumis me exemerunt.
Quas, dum te carendum hic fuit, sustentabam,
[Quomque hunc conspicio in potestate nostra]
Quomque huius repertast fides firma nobis.

Philopolemus

Satis iam dolui ex animo et cura me satis et lacrumis maceraui;
Satis iam audiui tuas aerumnas, ad portum mihi quas memorasti;
Hoc agamus.

Philocrates

Quid nunc, quoniam tecum seruaui fidem
Tibique hunc reducem in libertatem feci?

Hegio

Fecisti ut tibi,
Philocrates, numquam referre gratiam possim satis,
Proinde ut tu promeritus's de me et filio.

Philopolemus

Immo potes,
Pater. Et poteris et ego potero et di eam potestatem dabunt,
Ut beneficium bene merenti nostro merito munerer,
Sic ut tu huic potes, pater mi, facere merito maxume.

Hegio

Quid opust uerbis? lingua nullast, qua negem, quidquid roges.

---

918 reducem 920 Quae ad huc te carens dum hic fui 922 Quomq. hæc reperta est 923 maceraui hoc 928 promeritus 930 muneres

Philocrates

Postulo abs te, ut mihi illum reddas seruom, quem hic reliqueram
Pignus pro me, qui mihi melior quam sibi semper fuit,
Pro benefactis eius ut *ei* pretium possim reddere.

Hegio

Quod bene fecisti, referetur gratia id quod postulas.
Et id et aliud, quod me orabis, inpetrabis; atque te
Nolim suscensere, quod ego iratus ei feci male.

Philocrates

Quid fecisti?

Hegio

In lapicidinas conpeditum condidi,
Ubi resciui mihi data esse uerba.

Philocrates

Uae misero mihi;
Propter meum caput labores homini euenisse optumo.

Hegio

At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis;
Gratiis a me, ut sit liber, ducito.

Philocrates

Edepol, Hegio,
Facis benigne; sed quaeso, hominem ut iubeas arcessi.

Hegio

Licet.
Ubi estis uos? ite actutum, Tyndarum huc arcessite.
Uos ite intro; interibi ego ex hac statua uerberea uolo
Erogitare, meo minore quid sit factum filio.
Uos lauate interibi.

---

935 uti precium 936 *ponitur ante 934.* 937 imperabis 943 gratis aducito 946 inter ibo ueruere auolo

Philopolemus
Sequere hac, Philocrates, me intro.
Philocrates
Sequor.

SENEX. SERUOS FUGITIUOS.

Hegio
Age tu illuc procede, bone uir, lepidum mancupium meum.
Stalagmus
Quid me oportet facere, ubi tu talis uir falsum autumas?
Fui ego bellus, lepidus, bonus uir numquam neque frugi bonae
Neque ero umquam, ne ... spem ponas me bonae frugi fore.
Hegio
Prope modum ubi loci fortunae tuae sint, facile intellegis.
[Si eris uerax, tua ex re facies, ex mala meliusculam.]
Recta et uera loquere; sed neque uere *tu* neque recte adhuc
Fecisti umquam.
Stalagmus
Quod ego fatear, credin † pudeat, quom autumes.
Hegio
At ego faciam, ut pudeat; nam in ruborem te totum dabo.
Stalagmus
Eia, credo ego, inperito plagas minitaris mihi.
Tandem istaec aufer; dic quid fers, ut feras hinc quod petis.
Hegio
Satis facundus's; sed iam fieri dicta conpendi uolo.
Stalagmus
Ut uis, fiat.
Hegio
Bene morigerus fuit puer; nunc non decet.

---

952 *sine lacuna.* 955 tu *om.* 957 rumorem 959 ista 960 facundus es dictis compendium

Hoc agamus; iam animum aduorte ac mihi, quae dicam, edissere.
Si eris uerax, *ex* tuis rebus feceris meliusculas.

Stalagmus

Nugae istaec sunt; non me censes scire, quid dignus siem?

Hegio

At ea supterfugere potis es pauca, si non omnia.

Stalagmus

Pauca ecfugiam, scio; nam multa euenient, et merito meo,
Quia *ego* et fugi et tibi subripui filium et eum uendidi.

Hegio

Quoi homini?

Stalagmus

Theodoromedi in Alide Polyplusio
Sex minis.

Hegio

Pro di inmortales; is quidem huius est pater Philocratis.

Stalagmus

Quin melius noui quam tu et uidi saepius.

Hegio

Serua, Iuppiter supreme, et me et meum gnatum mihi.
Philocrates, per tuum te genium obsecro, exi; te uolo.

PHILOCRATES. HEGIO. STALAGMUS.

Philocrates

Hegio, adsum. Si quid me uis, inpera.

Hegio

Hic gnatum meum
Tuo patri ait se uendidisse sex minis in Alide.

---

962 aduorte hæc mihi 963 ex *om.* 965 potisses 966 *ponitur post 968.* 967 ego *om.* 968 Theodoro medico 970 quam te 972 te ingenium

Philocrates

Quam diu id factumst?

Stalagmus

Hic annus incipit uicensumus.

Philocrates

Falsa memorat.

Stalagmus

Aut ego aut tu; nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem paruolum puero dedit.

Philocrates

Quid erat ei nomen? Si uera dicis, memoradum mihi.

Stalagmus

Paegnium uocitatust; post uos indidistis Tyndaro.

Philocrates

Cur ego te non noui?

Stalagmus

Quia mos est obliuisci hominibus
Neque nouisse, quoius nihili sit faciunda gratia.

Philocrates

Dic mihi, isne istic fuit, quem uendidisti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus est?

Stalagmus

Huius filius.

Hegio

Uiuitne is homo?

Stalagmus

Argentum accepi, nihil curaui ceterum.

Hegio

Quid tu ais?

Philocrates

Quin istic ipsust Tyndarus tuus filius,
Ut quidem hic argumenta loquitur; nam is mecum a puero puer
Bene pudiceque educatust usque ad adulescentiam.

---

979 Pecnium uocitatus est 981 nihil 983 STAL. *om.*

Hegio

Et miser sum et fortunatus, si *uos* uera dicitis.
Eo miser sum, quia male illi feci, si gnatus meust.
Eheu, quom ego plus minusque feci *illi*, quam aequom fuit!
Quod male feci, crucior; modo si infectum fieri possiet.
Sed eccum incedit huc ornatus haud ex suis uirtutibus.

TYNDARUS. HEGIO. PHILOCRATES. *STALAGMUS.*

Tyndarus

Uidi ego multa saepe picta, quae Acherunti fierent
Cruciamenta, uerum enimuero nulla adaequest Acheruns,
Atque ubi ego fui in lapicidinis. Illic ibi demumst locus,
Ubi labore lassitudost exigunda ex corpore.
Nam ubi illo adueni, quasi patriciis pueris aut monerulae
Aut anites aut coturnices dantur, quicum lusitent,
Itidem mihi haec aduenienti upupa, qui me delectem, datast.
Sed erus eccum ante ostium, et erus alter eccum ex Alide
Redüit.

Hegio

Salue, exoptate gnate mi.

Tyndarus

Hem; quid, gnate mi?
Attat, scio, cur te patrem esse adsimules et me filium;
Quia mihi item ut parentes lucis das tuendi copiam.

Philocrates

Salue, Tyndare.

Tyndarus

Et tu, quoius causa hanc aerumnam exigo.

---

988 uos *om.* 990 illi *om.* 992 audax suis *In titulo* STALAGMUS *om.* 995 lapricidinis 996 lassitudo est omnis 998 anites acoturnices 999 delectet 1001 Redit 1002 adsimules esse

Philocrates

At nunc liber in diuitias faxo uenies; nam tibi
Pater hic est; hic seruost, qui te huic hinc quadrimum surpuit.
Uendidit patri meo te sex minis; is te mihi
Paruolum peculiarem paruolo puero dedit.
Illic indicium fecit; nam hunc ex Alide huc reducimus.

Tyndarus

Quid, huius filium?

Philocrates

Intus eccum, fratrem germanum tuum.

Tyndarus

Quid tu ais? adduxtine illum huius captiuom filium?

Philocrates

Quin, inquam, intus hic est.

Tyndarus

Fecisti edepol et recte et bene.

Philocrates

Nunc tibi pater hic est; hic fur est tuus, qui paruom hinc te abstulit.

Tyndarus

At ego hunc grandis grandem natu ob furtum ad carnuficem dabo.

Philocrates

Meritus est.

Tyndarus

Ergo edepol *merito* meritam mercedem dabo.
Sed dic, oro *te*, pater meus tune es?

Hegio

Ego sum, gnate mi.

Tyndarus

[Nunc demum in memoriam redeo, quom mecum cogito]

1006 surripuit 1011 aduxtin illum huius filium captiuum 1015 merito *om.* 1016 te *om.*

Nunc edepol demum in memoriam regredior, audisse me
Quasi per nebulam Hegionem meum patrem uocarier.

Hegio

Is ego sum.

Philocrates

Conpedibus, quaeso, ut tibi sit leuior filius
Atque hic grauior seruos.

Hegio

Certumst principio id praeuortier.
Eamus intro, ut arcessatur faber, ut istas conpedes
Tibi adimam, huic dem.

Stalagmus

Quoi peculi nihil est, recte feceris.

CATERUA.

Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabulast.
Neque in hac subigitationes sunt neque ulla amatio
Nec pueri suppositio nec argenti circumductio,
Neque ubi amans adulescens scortum liberet clam suum patrem.
Huius modi paucas poetae reperiunt comoedias,
Ubi boni meliores fiant. Nunc uos, si uobis placet
Et si placuimus neque odio fuimus, signum hoc mittite:
Qui pudicitiae esse uoltis praemium, plausum date.

1018 audissem me 1020 Is *om.* 1021 principium

CURCULIO.

ARGUMENTUM.

Curculio missu Phaedromi it Cariam,
Ut petat argentum. Ibi eludit anulo
Riualem, scribit atque obsignat litteras.
Cognoscit signum Lyco, ubi uidit, militis;
Ut amicam mittat, pretium lenoni dedit.
Lyconem miles ac lenonem in ius rapit.
Ipsus sororem, quam peribat, repperit,
Oratu quoius Phaedromo nuptum locat.

Discrepantia scripturæ codicis Palatino-Vaticani 1615 (Ritschelii B)
1 missus phedromi

PERSONAE FABULAE.

Palinurus seruos
Phaedromus adulescens
Leaena anus
Planesium uirgo
Cappadox leno
Coquos
Curculio parasitus
Lyco trapezita
Choragus
Therapontigonus miles.

PALINURUS SERUOS. PHAEDROMUS ADULESCENS.

Palinurus

Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
Cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phaedrome?

Phaedromus

Quo Uenus Cupidoque inperat suadetque Amor.
Si media nox est siuest prima uespera,
Si status condictus cum hoste intercedit dies,
Tamen est eundum, quo inperat, ingratiis.

Palinurus

At tandem, tandem —

Phaedromus

Tandem es odiosus mihi.

Palinurus

Istuc quidem nec bellumst nec memorabile:
Tute tibi puer es; lautus luces cereum.

Phaedromus

Egone apicularum opera congestum non feram,
Ex dulci oriundum, melculo dulci meo?

Palinurus

Nam quo te dicam ego ire?

---

1 hac 3 Cupido imperat 11 melliculo

Phaedromus

Si tu me roges,
Dicam, ut scias.

Palinurus

Si rogitem, quid respondeas?

Phaedromus

Hoc Aesculapi fanumst.

Palinurus

Plus iam anno scio.

Phaedromus

Huic proxumum illud ostium occlusissumum.
Salue; ualuistine *usque* oculissumum ostium?

Palinurus

Caruitne febris te heri uel nudiustertius,
Et heri cenauistine?

Phaedromus

Deridesne me?

Palinurus

Quid tu ergo, insane, rogitas, ualeatne ostium?

Phaedromus

Bellissumum hercle uidi et taciturnissumum;
Numquam ullum uerbum muttit. Quom aperitur, tacet,
Quom illa noctu clanculum ad me exit, tacet.

Palinurus

Numquid tu, quod te aut genere indignum sit tuo,
Facis aut inceptas facinus facere, Phaedrome?
Num tu pudicae quoipiam insidias locas
Aut quam pudicam esse oportet?

Phaedromus

Nemini,
Nec me ille sirit Iuppiter.

---

12 *et* 13 *Palinuro continuantur.* 16 ualuistin ostium occlusissimum 27 sinit

Palinurus

Ego item uolo.

Ita tuum conferto amare semper, si sapis,
Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Quod amas amato testibus praesentibus.
Semper curato, ne sis intestabilis.

Phaedromus

Quid istuc est verbi?

Palinurus

Caute ut incedas uia.

Phaedromus

Quin leno hic habitat.

Palinurus

Nemo hinc prohibet nec uotat,
Quin quod palamst uenale, si argentumst, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet uia,
Dum ne per fundum saeptum faciat semitam.
Dum ted abstineas nupta, uidua, uirgine,
Iuuentute et pueris liberis, ama quid lubet.

Phaedromus

Lenonis hae sunt aedes.

Palinurus

Male istis euenat.

Phaedromus

Qui?

Palinurus

Quia scelestam seruitutem seruiunt.

Phaedromus

Obloquere.

Palinurus

Fiat maxume.

---

30 *postponitur proximo.* ama 33 Nemo hic proibet nec uetat 36 facias 37 te 39 eueniat

Phaedromus
Etiam taces?
Palinurus
Nempe obloqui me iusseras.
Phaedromus
At nunc uoto.
Sed ut tibi occepi dicere, ei ancillulast.
Palinurus
Nempe huic lenoni, qui hic habitat?
Phaedromus
Recte tenes.
Palinurus
Minus formidabo, ne excidat.
Phaedromus
Odiosus es.
Eam uolt meretricem facere. Ea me deperit;
Ego autem cum illa facere nolo mutuum.
Palinurus
Quid ita?
Phaedromus
Quia proprium facio; amo pariter simul.
Palinurus
Malus clandestinus est amor; damnumst merum.
Phaedromus
Est hercle ita, ut tu dicis.
Palinurus
Iamne ea fert iugum?
Phaedromus
Tam a me pudicast, quasi soror mea sit, nisi
Si est osculando quidpiam inpudicior.
Palinurus
Semper, tu scito, flamma fumo est proxuma;

---

43 Id uti occepi 45 exedat 50 Iam ea

Fumo comburi nihil potest, flamma potest.
Qui e nuce nuculeum esse uolt, frangit nucem;
Qui uolt cubare, pandit saltum sauiis.
Phaedromus
At illast pudica neque dum cubitat cum uiris.
Palinurus
Credam, pudor si quoiquam lenoni siet.
Phaedromus
Immo ut illam censes? Ut quaeque illi occasiost
Subripere se ad me, ubi sauium oppegit, fugit.
Id eo fit, quia leno hic aegrotus incubat
In Aesculapi fano; is me excruciat.
Palinurus
Quid est?
Phaedromus
Alias me poscit pro illa triginta minas,
Alias talentum magnum, neque quidquam queo
Aequi bonique ab eo inpetrare.
Palinurus
Iniurius's,
Qui, quod lenoni nullist, id ab eo petas.
Phaedromus
Nunc hinc parasitum in Cariam misi meum
Petitum argentum a meo sodali mutuum;
Quod si non adfert, quo me uortam, nescio.
Palinurus
Si deos salutas, dextrouorsum censeo.
Phaedromus
Nunc ara Ueneris haec est; ante horunc foris
Me inferre Ueneri uoui iam ientaculum.
Palinurus
Quid? antepones Ueneri te ientaculo?

---

55 nucleum 61 hic leno 65 Iniurium est 71 fores (*ut semper*) 73 Ueneri alentaculo

Phaedromus

Me, te atque hosce omnis.

Palinurus

Tum tu Uenerem uomere uis.

Phaedromus

Cedo, puere, sinum.

Palinurus

Quid facturus's?

Phaedromus

Iam scies.

Anus hic cubitare custos solet ianitrix —
Nomen Leaenaest — multibiba atque merobiba.

Palinurus

Quasi tu lagoenam dicas, ubi uinum Chium
Solet esse.

Phaedromus

Quid opust uerbis? uinosissumast.
Eaque extemplo ubi *ego* uino has conspersi foris,
De odore adesse me scit, aperit ilico.

Palinurus

Eine hic cum uino sinus fertur?

Phaedromus

Nisi neuis.

Palinurus

Nolo hercle; nam isti hunc qui fert adflictum uelim;
Ego nobis ferri censui.

Phaedromus

Quin tu taces?
Si quid super illi fuerit, id nobis sat est.

Palinurus

Quisnam istic fluuiust, quem non recipiat mare?

---

75 facturus 76 solet custos 77 Nomen est leene 78—81 *tribus uersibus.* 80 ego *om.* 82—85 *tribus uersibus.* 83 Nam istunc qui 84 adferri 85 sat st.

Phaedromus

Sequere hac, Palinure, me ad foris; fi mihi obsequens.

Palinurus

Ita faciam.

Phaedromus

Agite bibite, festiuae fores,
Potate, fite mihi uolentes propitiae.

Palinurus

Uoltisne oliuas pulpamentum aut capparim?

Phaedromus

Exsuscitate uostram huc custodem mihi.

Palinurus

Profundis uinum; quae te res agitant?

Phaedromus

Sine.
Uiden, ut aperiuntur aedes festiuissumae?
Num muttit cardo? Est lepidus.

Palinurus

Quin das sauium?

Phaedromus

Tace; occultemus lumen et uocem.

Palinurus

Licet.

LEAENA ANUS. EIDEM.

Leaena

Flos ueteris uini meis naribus obiectus est;
Eius amor cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubiubist, prope me est. Euax habeo.
Salue, anime mi, Liberi lepos;

---

90 oliuas aut pulpamentum aut 93 Uidin ut 97 prolicet
98—99 *unum uersum faciunt.*

Ut ueteris uetus cupida sum! nam omnium unguentum
Odos prae tuo nauteast. Tu mihi stacte, tu cinnamum,
Tu rosa, tu crocinum et casia es, tu bdellium.
Nam ubi tu profusus es, ibi ego me peruelim sepultam.
Sed quom adhuc naso, odos, obsecutus's meo,
Da uicissim meo gutturi gaudium.
Nihil ago tecum; ubist ipsus? ipsum expeto
Tangere, inuergere in me liquores tuos,
Sine, ductim. Sed hac abiit, hac persequar.

Palinurus

Canem esse hanc quidem magis par fuit; sagax nasum habet.

Phaedromus

Sitit haec anus.

Palinurus

Quantillum sitit?

Phaedromus

Modicast, capit quadrantal.

Palinurus

Pol ut praedicas, uindemia haec huic anui non satist soli.

Leaena

Amabo, quoia uox sonat procul?

Phaedromus

Censeo hanc appellandam anum;
Adibo. Redi et respice ad me huc, Leaena.

Leaena

Inperator quis est?

Phaedromus

Uinipollens, lepidus Liber,
Tibi qui screanti, siccae, semisomnae
Adfert potionem et *sitim tuam* sedatum it.

---

100 uetusti, 101 nauseast 102 tu telium 104 obsecutus est 106 Nihil ago tecum *antecedenti uersui adduntur*; Uibi est *etc. proximo.* 108 Sino hæc 109 *legitur post 111.* 114 lena 117 et se datum

Leaena

Quam longe a me abest?

Phaedromus

Lumen hoc uide.

Leaena

Grandiorem gradum ergo fac ad me, obsecro.

Phaedromus

Salue.

Leaena

Egon salua sim, quae siti sicca sum?

Phaedromus

At iam bibes.

Leaena

Diu fit.

Phaedromus

Em tibi, anus lepida.

Leaena

Salue, oculissume homo.

Palinurus

Age ecfunde hoc cito in barathrum; propere
Prolue cloacam.

Phaedromus

Tace, nolo huic male dici.

Palinurus

Faciam igitur male potius.

Leaena

Uenus, de paulo paululum hoc tibi dabo haud lubenter;
Nam tibi amantes propitiantes uinum potantes dant omnes;
Mihi haud saepe eueniunt tales hereditates.

Palinurus

Hoc uide, ut ingurgitat inpura in se merum auariter faucibus plenis.

---

121 At iam bibes *iunguntur cum antecedenti.* Hem 125 hic 126 propinantes

Phaedromus

Perii hercle; huic quid primum dicam, nescio.

Palinurus

Em istuc, quod mihi dixti.

Phaedromus

Quid id est?

Palinurus

Periisse ut te dicas.

Phaedromus

Male tibi di faciant.

Palinurus

Dice isti.

Leaena

Ah!

Palinurus

Quid est? Ecquid lubet?

Leaena

Lubet.

Palinurus

Etiam mihi quoque stimulo fodere lubet te.

Phaedromus

Tacen an non?

Palinurus

Taceo. Ecce autem bibit arcus; pluet, credo hercle, hodie.

Phaedromus

Iamne ego huic dico?

Palinurus

Quid dices?

Phaedromus

Me perisse.

Palinurus

Age dice.

---

129 Hem 130 Perisse dic 132 PH. Tace noli. PA. Taceo

Phaedromus

Anus, audi.
Hoc uolo scire te: perditus sum miser.

Leaena

At pol ego oppido seruata.
Sed quid est, quod lubet perditum dicere
Te esse?

Phaedromus

Quia *ego* id quod amo careo.

Leaena

Phaedrome mi, ne plora, amabo.
Tu me curato, ne sitiam; ego tibi, quod amas, iam huc adducam.

Phaedromus

Tibi ne ego, si fidem seruas mecum,
Vineam pro aurea statua statuam,
Quae tuo gutturi sit monumentum. —
Qui me in terra aeque fortunatus erit, si illa ad me bitet, Palinure?

Palinurus

Edepol qui amat, si eget, misera adficitur aerumna.

Phaedromus

Non ita res est; nam confido parasitum hodie aduenturum
Cum argento ad me.

Palinurus

Magnum inceptas, si id expectas, quod nusquamst.

Phaedromus

Quid, si adeam ad foris atque occentem?

Palinurus

Si lubet, neque ueto neque iubeo,

135 quid lubet 136 ego *om.* Phaedrome ... amabo *proprio uersu.* 137 nesciam 138 *et* 39 *uno uersu.* 142 emat 145 Quod

Quando ego te uideo inmutatis moribus esse, ere, atque ingenio.

Phaedromus

Pessuli, heus pessuli, uos saluto lubens,
Uos amo, uos uolo, uos peto atque obsecro:
Gerite amanti mihi morem amoenissumi,
Fite causa mea ludii barbari,
Sussilite, obsecro, et mittite istanc foras,
Quae mihi misero amanti ebibit sanguinem.
Hoc uide, ut dormiunt pessuli pessumi
Nec mea gratia commouent se ocius.
Perspicio nihili meam uos gratiam facere.
St, tace, tace.

Palinurus

Taceo hercle equidem.

Phaedromus

Sentio sonitum.
Tandem edepol mihi morigeri pessuli fiunt.

ANUS. UIRGO. ADULESCENS. SERUOS.

Leaena

Placide egredere et sonitum prohibe forium et crepitum cardinum,
Ne, quod hic agimus, erus percipiat fieri, mea Planesium.
Mane, suffundam aquolam.

Palinurus

Uiden, ut anus tremula medicinam facit?
Eapse merum condidicit bibere; foribus dat aquam, quam bibant.

---

150 mealidi 155 Respicio 156 Sed 157 morieri 158 forum cardium 160 aqualam PA. Uidin

Planesium

Ubi tu es, qui me conuadatus's Ueneriis uadimoniis?
Sisto ego tibi me et, mihi contra itidem *tu te* ut sistas, suadeo.

Phaedromus

Adsum; nam si absim, haud recusem, quin mihi male sit,
mel meum.

Planesium

Anime mi, *tam* procul amantem abesse haud consentaneumst.

Phaedromus

Palinure, Palinure.

Palinurus

Eloquere, quid est, quod Palinurum uoces?

Phaedromus

Est lepida.

Palinurus

Nimis lepida.

Phaedromus

Sum deus.

Palinurus

Immo homo haud magni preti.

Phaedromus

Quid uidisti aut quid uidebis magis dis aequiparabile?

Palinurus

Male uales, ere, quod mihi aegrest.

Phaedromus

Male mihi morigerus's; tace.

Palinurus

Ipsus se excruciat, qui homo quod amat uidet nec potitur,
dum licet.

---

162 conuadatus 163 tu te *om.* 164 Assum retusem 165 tam *om.* 168 diis equi parabile 169 Male ualere te quod morigerus

Phaedromus

Recte obiurgat; sane haud quidquamst, magis quod cupiam iam diu.

Planesium

Tene me, amplectere ergo.

Phaedromus

Hoc etiamst, quam ob rem cupiam uiuere.
Quia te prohibet erus, clam potior.

Planesium

Prohibet? Nec prohibere quit
Nec prohibebit, nisi mors meum animum abs te abalienauerit.

Palinurus

Enimuero nequeo durare, quin ego erum accusem meum.
Nam bonumst pauxillum amare sane, insane non bonumst;
Uerum totum insanum amare hoc est, quod meus erus facit.

Phaedromus

Sibi sua habeant regna reges, sibi diuitias diuites,
Sibi honores, sibi uirtutes, sibi pugnas, sibi proelia;
Dum mihi abstineant inuidere, sibi quisque habeant, quod suumst.

Palinurus

Quid tu? Uenerin peruigilare te uouisti, Phaedrome?
Nam hoc quidem edepol haud multo post luce lucebit.

Phaedromus

Tace.

Palinurus

Quid, taceam? Quin tu is dormitum?

Phaedromus

Dormio; ne occlamites.

---

171 aut tam 173 clam ero potior. PLAN. Prohibet nec
178 diuicia

Palinurus

Tu quidem uigilas.

Phaedromus

At meo more dormio; hic somnust mihi.

Palinurus

Heus tu, mulier: male mereri de inmerenti inscitiast.

Planesium

Irascare, si te edentem hic a cibo abigat.

Palinurus

Ilicet.
Pariter hos perire amando uideo; uterque insaniunt.
Uiden, ut misere moliuntur? nequeunt conplecti satis.
Etiam dispertimini?

Planesium

Nulli hominist perpetuum bonum;
Iam huic uoluptati hoc adiunctumst odium.

Palinurus

Quid ais, propudium?
Tune etiam cum noctuinis oculis odium me uocas,
Ebriolae persollae nugae?

Phaedromus

Tun meam Uenerem uituperas?

Planesium

Talem mihi polluctus uirgis seruos sermonem serat?

Phaedromus

At ne tu hercle cum cruciatu magno dixisti id tuo.
Em tibi male dictis pro istis, dictis moderari ut queas.

Palinurus

Tuam fidem, Uenus noctuuigila.

---

186 Irascere 188 Uidin 189 Nulli est homini 190 adiunctum 192 Ebriola persole 193 Quod quidem mihi 195 Hem

Phaedromus

Pergin' etiam, uerbero?

Planesium

Noli, amabo, uerberare lapidem, ne perdas manum.

Palinurus

Flagitium probrumque magnum, Phaedrome, expergefacis;
Bene monstrantem pugnis caedis, hanc amas, nugas meras.
Hocine fieri, ut inmodestis te modereris moribus?

Phaedromus

Auro contra cedo modestum amatorem; a me aurum accipe.

Palinurus

Cedo mihi contra aurichalco, quoi ego sano seruiam.

Planesium

Bene uale, ocule mi; nam sonitum et crepitum claustrorum audio,
Aedituum *arbitror* aperire fanum. Quaeso, ad hunc modum
Inter nos amore utemur semper subrepticio?

Phaedromus

Minume; nam parasitum misi nudiusquartus Cariam
Petere argentum; is hodie hic aderit.

Planesium

Nimium consultas diu.

Phaedromus

Ita me Uenus amet, ut ego te hoc triduum numquam sinam
In domo esse istac, quin ego te liberalem liberem.

Planesium

Facito ut memineris. Tene etiam, prius quam hinc abeo, sauium.

---

199 cedis 200 inmodestis hic te 204 Edituum aperire fanum quousque quæso 205 utimur

Phaedromus

Si quidem hercle mihi regnum detur, numquam id potius persequar.

Quando ego te uidebo?

Planesium

Hem † istoc uerbo uindictam para.

Si amas, eme; ne rogites; facito, ut pretio peruincas tuo. Bene uale.

Phaedromus

Iamne ego relinquor? pulcre, Palinure, occidi.

Palinurus

Ego quidem, qui et uapulando et somno pereo.

Phaedromus

Sequere me.

CAPPADOX LENO. *PALINURUS* SERUOS.

Cappadox

Migrare certumst iam nunc e fano foras,
Quando Aesculapi ita sentio sententiam,
Ut qui me nihili faciat nec saluom uelit.
Valetudo decrescit, adcrescit labor.
Nam iam quasi zona liene cinctus ambulo;
Geminos in uentre habere uideor filios.
Nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.

Palinurus

— Si recte facias, Phaedrome, auscultes mihi
Atque istam exturbes ex animo aegritudinem.
Paues, parasitus quia non rediit Caria.
Adferre argentum credo; nam si non ferat,

---

215 Sequere me *om.* PALINURUS *om.*

Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet se huc esum ad praesepim suam.

Cappadox

Quis hic est, qui loquitur?

Palinurus

Quoiam uocem ego audio?

Cappadox

Estne hic Palinurus Phaedromi?

Palinurus

Quis hic est homo
Cum conlatiuo uentre atque oculis herbeis?
De forma noui; de colore non queo
Nouisse. Iamiam noui; lenost Cappadox.
Congrediar.

Cappadox

Salue, Palinure.

Palinurus

O scelerum caput,
Salueto. Quid agis?

Cappadox

Uiuo.

Palinurus

Nempe ut dignus es.
Sed quid tibist?

Cappadox

Lien necat, renes dolent,
Pulmones distrahuntur, cruciatur iecur,
Radices cordis pereunt, hirae omnes dolent.

Palinurus

Tum te igitur morbus agitat epatiarius.

---

228 praesepe suum 230 Esne 238 chirae

Cappadox

Facilest miserum inridere.

Palinurus

Quin tu aliquot dies
Perdura, dum intestina exputescunt tibi —
Nunc enim salsura sat bonast —; si id feceris,
Uenire poteris intestinis uilius.

Cappadox

Lien dierectust.

Palinurus

Ambula; id lieni optumumst.

Cappadox

Aufer, quaeso, ista atque hoc responde, quod rogo:
Potin coniecturam facere, si narrem tibi,
Hac nocte quod ego somniaui dormiens?

Palinurus

Uah, solus hic homost, qui sciat diuinitus.
Quin coniectores a me consilium petunt;
Quod eis respondi, ea omnes stant sententia.

COQUOS. SERUOS. LENO.

Coquos

Palinure, quid stas? Quin depromuntur mihi,
Quae opus sunt, parasito ut sit paratum prandium,
Quom ueniat?

Palinurus

Mane sis, dum huic conicio somnium.

Coquos

Tute ipse, si quid somniasti, ad me refers.

---

242 Nunc dum salsura 244 dieructus. 245 Aufer istaec quaeso

Palinurus

Fateor.

Coquos

Abi, deprome.

Palinurus

Age tu interea huic somnium
Narra; meliorem, quam ego sum, suppono tibi;
Nam, quod scio, omne ex hoc scio.

Cappadox

Operam ut det.

Palinurus

Dabit.

Cappadox

Facit hic, quod pauci, ut sit magistro obsequens.
Da mihi igitur operam.

Coquos

Tam etsi non noui, dabo.

Cappadox

Hac nocte in somnis uisus sum tuerier
Procul sedere longe a me Aesculapium
Neque eum ad me adire, neque me magni pendere
Uisust.

Coquos

Item alios deos facturos scilicet;
Sane illi inter se congruunt concorditer.
Nihil est mirandum, melius si nihil sit tibi;
Namque incubare satius te fuerat Ioui,
Qui tibi auxilio in iure iurando fuit.

Cappadox

Si quidem incubare uelint, qui periurauerint,
Locus non praeberi potis est in Capitolio.

---

260 uiderier 265 fit 267 auxilium

Coquos

Hoc animum aduorte: pacem ab Aesculapio
Petas, ne forte tibi euenat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentumst.

Cappadox

Bene facis.
Ibo atque orabo.

Coquos

Quae res male uortat tibi.

Palinurus

. . . . . .

Pro di inmortales, quem conspicio? qui illic est?
Estne parasitus, qui missust in Cariam?
Heus Phaedrome, exi, exi; exi, inquam, ocius.

Phaedromus

Quid istic clamorem tollis?

Palinurus

Parasitum tuum
Uideo currentem, ellum usque platea in ultuma.
Hinc auscultemus, quid agat.

Phaedromus

Sane censeo.

CURCULIO PARASITUS. ADULESCENS. SERUOS.

Curculio

Date uiam mihi, noti ignoti, dum ego hic officium meum
Facio; fugite omnes, abite et de uia decedite,

---

271 eueniat 275 qui missus est in chariam 277 PAL. Qui CO. Parasitum 278 Uide occurrentem 279 PAL. Sane 280 noti atque ignoti 281 secedite

Ne quem in cursu capite aut cubito aut pectore offendam
aut genu;
Ita nunc subitum propere et celere obiectumst mihi negotium.
Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in uia,
Nec strategus nec tyrannus quisquam neque agoranomus
Nec demarchus nec comarchus, nec cum tanta gloria,
Quin cadat, quin capite sistat in uia de semita.
Tum isti Graeci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis,
Constant, conferunt sermones inter sese drapetae,
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis.
[Quos semper uideas bibentes esse in thermopolio.]
Ubi quid subripuere, operto capitulo calidum bibunt;
Tristes atque ebrioli incedunt; eos ego si offendero,
Ex uno quoque eorum excutiam crepitum polentarium.
Tum isti qui ludunt datatim serui scurrarum in uia,
Et datores et factores omnis subdam sub solum.
Proinde se domi contineant, uitent infortunio.

Phaedromus

Recte hic monstrat, si inperare possit; nam ita nunc mos
uiget,
Ita nunc seruitiumst: profecto modus haberi non potest.

Curculio

Ecquis est, qui mihi conmonstret Phaedromum genium meum?
Ita res subitast: celeriter mihi homine conuentost opus.

Palinurus

Te ille quaerit.

Phaedromus

Quid, si adeamus? heus Curculio, te uolo.

---

283 subito 284 quisquam st tam 285 tirannus quisquam nec 286 chomarcus 288 istic graeti 290 inter se trapete 295 exciam 296 cladatim seruis currarum 298 Proin infortunia

Curculio

Quis uocat? quis nominat me?

Phaedromus

Qui te conuentum cupit.

Curculio

Haud *me* magis cupis, quam ego te cupio.

Phaedromus

O mea opportunitas,

Curculio exoptate, salue.

Curculio

Salue.

Phaedromus

Saluom gaudeo

Te aduenire; cedo tuam mihi dextram. Ubi sunt spes meae?
Eloquere, obsecro hercle.

Curculio

Eloquere, te obsecro *hercle*, ubi sunt meae?

Phaedromus

Quid tibist?

Curculio

Tenebrae oboriuntur, genua inedia succidunt.

Phaedromus

Lassitudine hercle credo.

Curculio

Retine, retine me, obsecro.

Phaedromus

Uiden, ut expalluit? Datin isti sellam, ubi adsidat, cito
Et aqualem cum aqua? properatin ocius?

Curculio

Animo malest.

---

305 me *om.* 308 obsecro ubi

Phaedromus

Uin aquam?

Curculio

Si frustulentast, da, obsecro hercle, obsorbeam.

Phaedromus

Uae capiti tuo.

Curculio

Obsecro hercle, facite uentum ut gaudeam.

Phaedromus

Maxume.

Curculio

Quid facitis, quaeso?

Palinurus

Uentum.

Curculio

Nolo equidem mihi
Fieri uentulum.

Phaedromus

Quid igitur?

Curculio

Esse, ut uentum gaudeam.

Phaedromus

Iuppiter te dique perdant.

Curculio

Perii; prospicio parum,
Os amarum habeo, dentes flent, lippiunt fauces fame;
Ita cibi uaciuitate uenio lassis lactibus.

Phaedromus

Iam edes aliquid.

Curculio

Nolo hercle aliquid, certum quam aliquid mauolo.

318 dentes plenos lippiunt 319 Ita cibi *antecedenti uersui adhærent.* Uacuitate 320 Iam edes aliquid *antecedenti adhærent.*

Phaedromus

Immo si scias, reliquiae quae sint.

Curculio

Scire nimis lubet,
Ubi sient; nam illis conuentis sane opus est meis dentibus.

Phaedromus

Pernam, abdomen, sumen sumes, glandium.

Curculio

Ain tu? Omnia haec?
In carnario fortasse dicis.

Phaedromus

Immo in lancibus.
Quae tibi sunt parata, postquam scimus uenturum.

Curculio

Uide,
Ne me ludas.

Phaedromus

Ita me amabit, quam ego amo, ut ego haud mentior.
Sed quod te misi, nihilo sum certior.

Curculio

Nihil adtuli.

Phaedromus

Perdidisti me.

Curculio

Inuenire possum, si mihi operam dabis.
Postquam tuo iussu profectus sum, perueni in Cariam.
Uideo tuum sodalem, argenti rogo uti faciat copiam.
Scires uelle gratiam tuam; noluit frustrarier;
Ut decet uelle hominem amicum amico atque opitularier,
Respondit mihi paucis uerbis atque adeo fideliter,
Quod tibist, item sibi esse, magnam argenti inopiam.

---

321 requiæ 323 sumen suis glandium 325 sciimus Quae tibi sunt *antecedenti uersui adduntur.* 326 ne me ludas *item.* 327 quo 328 datis

Phaedromus

Perdis me tuis dictis.

Curculio

Immo seruo et seruatum uolo.
Postquam mihi responsumst, abeo ab illo maestus ad forum,
Me illo frustra deuenisse. Forte adspicio militem;
Adgredior hominem, saluto aduenientes; „salue“ inquit mihi,
Prendit dextram, seducit, rogat, quid ueniam Cariam.
Dico me illo uenisse animi causa. Ibi me interrogat,
Ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam nouerim.
Dico me nouisse. „Quid, lenonem Cappadocem?“ Adnuo
Uisitasse — „sed quid eum uis?“ „Quia de eo emi uirginem.“
[Triginta minis, uestem, aurum, et pro his decem coaccedunt minae.]
„Dedistin tu argentum?“ inquam. „Immo apud trapezitam situmst
Illum, quem dixi, Lyconem, atque ei mandaui, qui anulo
Meo tabellas obsignatas adtulisset, ut daret
Operam, ut mulierem a lenone cum auro et ueste abduceret.“
Postquam hoc mihi narrauit, abeo ab illo. Reuocat me ilico,
Uocat ad cenam; religio fuit, denegare nolui.
„Quid, si actutum decumbamus?“ inquit. Consilium placet.
„Neque diem decet morari neque nocti nocerier;
Omnis res paratast, et nos, quibus paratumst, adsumus.“
Postquam cenati atque adpoti, talos poscit sibi in manum,
Prouocat me in aleam, ut ego ludam. Pono pallium;
Ille suum anulum opposiuit, inuocat Planesium.

---

337 aduenisse 339 Prehendit 341 epitauro 345 Dedisti 346 liconidem 347 meo *antecedenti uersui additur.* Tabulas 348 operam *antecedenti u. additur.* 350 denagare 351 Quod siadeamus ac decumbamus 352 decet me morari 353 paratas 356 animulum opposuit

Phaedromus

Meosne amores?

Curculio

Tace parumper. Iacit uolturios quattuor.
Talos arripio, inuoco almam meam nutricem Herculem,
Iacto basilicum, propino magnum poclum; ille ebibit,
Caput deponit, condormiscit. Ego ei subduco anulum;
Deduco pedes de lecto clam, ne miles sentiat.
Rogant me serui, quo eam; dico me ire, quo saturi solent.
Ostium ubi conspexi, exinde me ilico protinam dedi.

Phaedromus

Laudo.

Curculio

Laudato, quando illud, quod cupis, ecfecero.
Eamus nunc intro, ut tabellas consignemus.

Phaedromus

Num moror?

Curculio

Atque aliquid prius optrudamus, pernam, sumen, glandium —
Haec sunt uentri stabilimenta, pane et assa bubula,
Poculum grande, aula magna — ut satis consilia suppetant.
Tu tabellas consignato; hic ministrabit, ego edam.
Dicam, quem ad modum conscribas. Sequere me hac intro.

Phaedromus

Sequor.

LYCO TRAPEZITA. PARASITUS. LENO.

Lyco

Beatus uideor; subduxi ratiunculam,
Quantum aeris mihi sit quantumque alieni siet.

---

357 Meos 359 pasiliscum poculum 365 tabulas 367 panem 369 tabulas

Diues sum, si non reddo eis, quibus debeo;
Si reddo illis, quibus debeo, alieni plus est.
Uerum hercle uero belle quom recogito,
Si magis me instabunt, ad praetorem sufferam.
Habent hunc morem plerique argentarii,
Ut alius alium poscant, reddant nemini,
Pugnis rem soluant, si quis poscat clarius.
Qui homo mature quaesiuit pecuniam,
Nisi eam mature parsit, mature esurit.
Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius
Ne mihi quaeratur, usus est pecunia.

Curculio

— Nil tu me saturum monueris; memini et scio.
Ego hoc ecfectum lepide tibi tradam; tace.
Edepol ne ego hic me intus expleui probe
Et quidem reliqui in uentre cellae uni locum,
Ubi reliquiarum reliquias reconderem. —
Quis hic est, qui operto capite Aesculapium
Salutat? Attat, quem quaerebam, ...
Simulabo, quasi non nouerim. Heus tu, te uolo.

Lyco

Unocule, salue.

Curculio

Quaeso, deridesne me?

Lyco

De Coclitum prosapia te esse arbitror;
Nam i sunt unoculi.

Curculio

Catapulta hoc ictumst mihi
Apud Sicyonem.

---

374 plus alieni 375 uelle 381 parsat 383 Nunc 387 Et equidem 390 salutat *antecedenti u. additur.* quærebam. sequere me. Simulabo quasi non nouerim. *Reliqua proximo u. accedunt.* 392 Une ocule 393—96 *tribus uersibus.* 393 pro sapientia 394 hi iectum est

Lyco

Nam quid id refert mea,
An aula quassa cum cinere ecfossus siet?

Curculio

Superstitiosus hic quidemst; uera praedicat;
Nam illaec catapultae ad me crebro conmeant.
Adulescens, ob rem publicam hoc intus mihi
Quod insigne habeo, quaeso, ne me incomities.

Lyco

Licetne inforare, si incomitiare non licet?

Curculio

Non inforabis me quidem, nec mihi placent
Tuum profecto nec forum neque comitium.
Sed hunc, quem quaero, conmonstrare si potes,
Inibis a me solidam et grandem gratiam.
Lyconem quaero trapezitam.

Lyco

Dic mihi,
Quid eum nunc quaeris? aut quoiatis'*s*?

Curculio

Eloquar:
Ab Therapontigono Platagidoro milite.

Lyco

Noui edepol nomen; nam mihi istoc nomine,
Dum scribo, expleui totas ceras quattuor.
Sed quid Lyconem quaeris?

Curculio

Mandatumst mihi,
Ut has tabellas ad eum ferrem.

---

396 quasa 397—400 *tribus uersibus.* 401—3 *duobus.* 402 placens 404—6 *duobus uersibus.* 405 grande 407—10 *tribus uersibus.* 407 cuiatis 412 ferret

Lyco

Quis tu homo es?

Curculio

Libertus illius, quem omnes Summanum uocant.

Lyco

Summane, salue. Qui Summanus's, fac sciam.

Curculio

Quia uestimenta, ubi obdormiui ebrius,
Summano; ob eam rem me omnes Summanum uocant.

Lyco

Alibi te meliust quaerere hospitium tibi;
Apud me profecto nihil est Summano loci.
Sed istum quem quaeris, ego sum.

Curculio

Quaeso, tune is es,
Lyco trapezita?

Lyco

Ego sum.

Curculio

Multam me tibi
Salutem iussit Therapontigonus dicere
Et has tabellas dare me iussit.

Lyco

Mihine?

Curculio

Ita.
Cape, signum nosce. Nostin?

Lyco

Quidni nouerim?
Clipeatus elephantum ubi machaera dissicit.

---

414 Summanes Summanus 422 Mihin 424 dessicit

Curculio

Quod istic scriptumst, id te orare iusserat
Profecto ut faceres, suam si uelles gratiam.

Lyco

Concede; inspiciam, quid sit scriptum.

Curculio

Maxume,
Tuo arbitratu, dum auferam abs te id, quod peto.

Lyco

„Miles Lyconi in Epidauro hospiti
Suo Therapontigonus Platagidorus plurumam
Salutem dicit.“

Curculio

Meus hic est, hamum uorat.

Lyco

„Tecum oro et quaeso, qui has tabellas adferet
Tibi, ut ei detur quam istic emi uirginem,
Quod te praesente isti egi teque interprete,
Et aurum et uestem; iam scis, ut conuenerit.
Argentum des lenoni; huic des uirginem.“
Ubi ipsus? Cur non uenit?

Curculio

Ego dicam tibi.
Quia nudiusquartus uenimus enim Cariam
Ex India, ibi nunc statuam uolt dare auream
Solidam faciundam ex auro Philippeo, quae siet
Septempedalis, factis monimentum suis.

Lyco

Quam ob rem istuc?

---

428 adferam 429 inephidauro 434 istic . 437—39 *duobus uersibus.* 437 dica 438 uenimus in Cariam

Curculio

Dicam. Quia enim Persas, Paphlagonas,
Sinopas, Arabes, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam et Perbibesiam,
Centauromachiam et Classiam Unomammiam
Libyamque *et* oram omnem Contenebroniam,
Dimidiam partem nationum usque omnium,
Subegit solus intra uiginti dies.

Lyco

Uah.

Curculio

Quid mirare?

Lyco

Quia enim in cauea si forent
Conclusi itidem ut pulli gallinacei,
Ita non potuere uno anno circumirier.
Credo hercle te esse ab illo; nam ita nugas blatis.

Curculio

Immo etiam porro, si uis, dicam.

Lyco

Nil moror.
Sequere hac; te absoluam, qua aduenisti gratia.
Atque eccum uideo. Leno, salue.

Cappadox

Di te ament.

Lyco

Quid hoc, quod ad te uenio?

Cappadox

Dicas, quid uelis.

443—46 *tribus uersibus.* 444 rhodia atq. liciam Perrehdiam & per hablesiam 446 et *om.* contenebrom niam 447—51 *quattuor uersibus.* 448 interea 452 blattis 454 ted

Lyco

Argentum accipias, cum illo mittas uirginem.

Cappadox

Quid † quod iuratus sum?

Lyco

Quid id refert tua,

Dum argentum accipias?

Cappadox

Qui monet quasi adiuuat.

Sequimini.

Curculio

Leno, caue mora in te sit mihi.

CHORAGUS.

Edepol nugatorem lepidum lepide hunc nanctust Phaedromus;
Halophantam an sycophantam magis esse dicam, nescio.
Ornamenta, quae locaui, metuo, ut possim recipere.
Quamquam cum istoc mihi negoti nihil est — ipsi Phaedromo
Credidi — tamen adseruabo. Sed dum hic egreditur foras,
Conmonstrabo, quo in quemque hominem facile inueniatis loco,
Ne nimio opere sumat operam, si quis conuentum uelit
Uel uitiosum uel sine uitio uel probum uel inprobum.
Qui periurum conuenire uolt hominem, ito in comitium;
Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinae sacrum.
Ditis damnosos maritos sub basilica quaerito;
Ibidem erunt scorta exoleta quique stipulari solent;

---

460 in te sit mora 462 Kalophantem an sycophantam hunc magis hoc ēē dicam 463 metuo huad possim 467 si quem 469 mitto 471 dampnosos

Symbolarum conlatores apud forum piscarium.
In foro infumo boni homines atque dites ambulant;
In medio propter canalem ibi ostentatores meri;
Confidentes garrulique et maleuoli supra lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam
Et qui ipsi sat habent, quod in se possit uere dicier.
Sub ueteribus ibi sunt, qui dant quique accipiunt fenore.
Pone aedem Castoris ibi sunt, subito quibus credas male.
In Tusco uico ibi sunt homines, qui ipsi sese uenditant.
[In Uelabro uel pistorem uel lanium uel haruspicem
Uel qui ipsi uortant uel qui aliis ubi uorsentur praebeant.
Ditis damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam.]
Sed interim fores crepuere; linguae moderandumst mihi.

PARASITUS. LENO. TRAPEZITA.

Curculio

I tu prae, uirgo; non queo, quod pone mest, seruare.
Et aurum et uestem omnem suam esse aiebat, quam haec haberet.

Cappadox

Nemo it infitias.

Curculio

At tamen meliusculumst monere.

Lyco

Memento promisisse te, si quisquam hanc liberali
Causa manu adsereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta.

---

476 Confitentis 483 qui alii subuersentur prebeant *Titulo adduntur* LORARIUS. MULIER. 486 Ei tu pro de uirgo 487 aiebat cuiquam 488 inficias. LY. At 489 LY. *om.* 490 firi

Cappadox

Meminero; de istoc quietus esto;
Et nunc idem dico.

Curculio

Et conmeminisse ego *quoque* haec uolam te:

Cappadox

Memini et mancupio tibi dabo.

Curculio

Egone ab lenone quidquam
Mancupio accipiam, quibus sui nihil est nisi una lingua,
Qui abiurant si quid creditumst? Alienos mancupatis,
Alienos mittitis manu alienisque inperatis;
Nec uobis auctor ullus est nec uosmet estis ulli.
Ego mancupem te nihil moror nec lenonem alium quemquam.
Item genus est lenonium inter homines meo quidem animo
Ut muscae, culices, cimices pedesque pulicesque;
Odio et malo et molestiae, bono usui estis nulli.
Nec uobiscum quisquam in foro frugi consistere audet;
Qui constitit, culpant eum, conspuitur, uituperatur;
Eum rem fidemque perdere, tametsi nihil fecit, aiunt.

Lyco

Edepol lenones meo animo nouisti, lusce, lepide.

Curculio

Eodem *loco* hercle uos pono; parissumi estis hibus.
Hi saltem in occultis locis prostant, uos in foro ipso;
Uos fenore homines, hi male suadendo et lustris lacerant.
Rogitationes plurumas propter uos populus sciuit,
Quas uos rogatas rumpitis; aliquam reperitis rimam;
Quasi aquam feruentem frigidam esse ita uos putatis leges.

---

492 LY. Et conmeminisse ego hæc 494 occipiam 495 si qui 496 manu mittitis 497 ullust testis 498 *legitur post 514.* 500 cimices *om.* 506 loco *om.* pono et paro parissumi 507 His inuoro 508 fenore hi m. s. e. l. lacerant homines

Lyco

Tacuisse mauellem.

Cappadox

Haud male meditate male dicax es.

Curculio

Indignis si male dicitur, male dictum id esse duco:
Uerum si dignis dicitur, bene dictumst meo quidem animo.
Lyco, num quid uis?

Lyco

Bene uale.

Curculio

Uale.

Cappadox

Heus tu, tibi ego dico.

Curculio

Eloquere, quid uis?

Cappadox

Quaeso, ut hanc cures, *ut* bene sit isti;
Bene ego istam eduxi meae domi et pudice.

Curculio

Si huius miseret,
Ecquid das, qui bene sit?

Cappadox

Malum.

Curculio

Tibi opust, qui te procures.

Cappadox

Quid, stulta, ploras? ne time; bene hercle uendidi te.
Face sis bonae frugi sies; sequere istum bella belle.

---

512 mallem. LE. Au 513 dico *Post* 514 *legitur* 498. 516 cures bene 517 ego *om.* mea 518 opus est hoc qui 519 uendidi ego te

Lyco

Summane, num quid nunc iam me uis?

Curculio

Uale atque salue.
Nam et operam *mi* et pecuniam benigne praebuisti.

Lyco

Salutem multam dicito patrono.

Curculio

Nuntiabo.

Lyco

Num quid uis, leno?

Cappadox

Istas minas decem, qui me procurem,
Dum melius sit mihi, des.

Lyco

Dabuntur; cras peti iubeto.

Cappadox

Quando bene gessi rem, uolo hic in fano supplicare.
Nam illam minis olim decem puellam paruolam emi,
Sed eum, qui mihi illam uendidit, numquam postilla uidi;
Perisse credo; quid id mea refert? ego argentum habeo.
Quoi homini di sunt propitii, lucrum ei profecto obiciunt.
Nunc rei diuinae operam dabo; certumst bene me curare.

THERAPONTIGONUS MILES. LYCO TRAPEZITA.

Therapontigonus

Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,
Sed eapse illa, qua excidionem facere condidici oppidis.

---

522 mi *om.* 525 fit 527 olim de te puellam 528 uendidit illam 529 Periisse 530 dei 531 certum sit bene *In titulo* THERAPONTIGONUS *om.*

Nunc nisi tu mihi propere properas dare iam triginta minas,
Quas ego apud te deposiui, uitam propera ponere.

Lyco

Non edepol nunc ego te mediocri macto infortunio,
Sed eopse illo, quo mactare soleo, quoi nihil debeo.

Therapontigonus

Ne te mihi facias ferocem aut supplicare censeas.

Lyco

Nec tu me quidem umquam subiges, redditum ut reddam tibi,
Nec daturus sum.

Therapontigonus

Idem ego istuc, quom credebam, credidi,
Te nihil esse redditurum.

Lyco

Cur nunc a me igitur petis?

Therapontigonus

Scire uolo, quoi reddidisti.

Lyco

Lusco liberto tuo;
Is Summanum se uocari dixit; ei reddidi.
[Qui has tabellas obsignatas adtulit.

Therapontigonus

Quas tu mihi tabellas,]
Quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos somnias?

. . . .

Nec mihi quidem libertus ullus est.

Lyco

Facis sapientius
Quam pars latronum, libertos qui habent et eos deserunt.

---

535 deposui 537 eopso 541 Quur 547 lenonum

Therapontigonus

Quid . . . . . .

Lyco

. . . feci, quod mandasti, tui honoris gratia,
Tuum qui signum ad me adtulisset, nuntium ne spernerem.

Therapontigonus

Stultior stulto fuisti, qui tabellis crederes.

Lyco

Quis res publica et priuata geritur, non is crederem?
Ego abeo; tibi res solutast recte. Bellator, uale.

Therapontigonus

Quid, ualeam?

Lyco

At tu aegrota, si lubet, per me aetatem quidem.

Therapontigonus

Quid ego nunc faciam? Quid refert me fecisse regibus,
Ut mihi oboedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit?

CAPPADOX LENO. *THERAPONTIGONUS* MILES.

Cappadox

Quoi homini di sunt propitii, ei non esse iratos puto.
Postquam rem diuinam feci, uenit in mentem mihi,
Ne trapezita exulatum abierit, argentum ut petam,
Ut ego potius comedim quam ille.

Therapontigonus

Iusserim saluere te.

548—49 Quid feci? Quod mandasti feci tui honoris gratiam 551 qui iis tabellis 552 publicas, *sed* s *erasum.* nonne is 553 habeo tibi res solutas recte 554 si uiuet *In titulo* THERAPONTIGONUS *om.* 560 Iusseram

Cappadox

Therapontigone Platagidore, salue. Saluos quom aduenis
In Epidaurum, hic hodie apud me — numquam delinges
salem.

Therapontigonus

Bene uocas; uerum *in*uocata res est, ut male sit tibi.
Sed quid agit meum mercimonium apud te?

Cappadox

Nihil apud me quidem —
Ne facias testis — neque equidem debeo quidquam.

Therapontigonus

Quid est?

Cappadox

Quod fui iuratus, feci.

Therapontigonus

Reddin an non uirginem,
Prius quam te huic meae machaerae obicio, mastigia?

Cappadox

Uapulare ego te uehementer iubeo; ne me territes.
Illa abductast; tu auferere hinc a me, si perges mihi
Male loqui, profecto, quoi ego nisi malum nihil debeo.

Therapontigonus

Mihin malum minitare?

Cappadox

Atque edepol non minitabor, sed dabo,
Si perges molestus esse.

Therapontigonus

Leno minitatur mihi
Meaeque pugnae proeliares plurumae optritae iacent?
At ita me machaera et clipeus *et lorica et cassida*

---

568 uocata 568 iubebo 570 Malae eloqui 571 dabo mihi
573 Maeae pugnae lacent
574 *sq.* At ita me machaera et clipeus bene iuuent pugnantem
In acie nisi mihi uirgo redditur

Bene iuuent pugnantem in acie: nisi mihi uirgo redditur,
Iam ego te faciam, ut hic formicae frustillatim differant.

Cappadox

At ita meae uolsellae, pecten, speculum, calamistrum meum
Bene me amassint meaque axicia linteumque extersui,
Ut ego tua magnifica uerba neque istas tuas magnas minas
Non pluris facio quam ancillam meam, quae latrinam lauat.
Ego illam reddidi *ei*, qui argentum a te adtulit.

Therapontigonus

Quis is est homo?

Cappadox

Tuum libertum sese aiebat esse Summanum.

Therapontigonus

Meum?
Attat, Curculio hercle uerba mihi dedit. Quom cogito,
Is mihi anulum subripuit.

Cappadox

Perdidistin tu anulum?
Miles pulcre centuriatus est expuncto in manipulo.

Therapontigonus

Ubi nunc Curculionem inueniam?

Cappadox

In tritico facillume
Uel quingentos curculiones pro uno faxo reperias.
Ego abeo; uale atque salue.

Therapontigonus

Male uale, male sit tibi.
Quid ego faciam? maneam an abeam? sicine mihi esse os sublitum?
Cupio dare mercedem, qui illunc ubi sit conmonstret mihi.

---

578 extersum 581 ei *om.* 582 esse aiebat sese 585 pulchere 589 Quod oblitum

PARASITUS CURCULIO.

Antiquom poetam audiui scripsisse in tragoedia,
Mulieres duas peiores esse quam unam. Res itast;
Uerum mulierem peiorem, quam haec amicast Phaedromi,
Non uidi neque audiui, neque pol dici nec fingi potest
Peior, quam haec est, quae, ubi me habere hunc conspicatast anulum,
Rogat, unde habeam. „Quid id tu quaeris?“ „Quia mihi quaesitost opus.“
Nego me dicere. Ut eum eriperet, manum arripuit mordicus;
Uix foras me abripui atque ecfugi. Apage istanc caniculam.

PLANESIUM. PHAEDROMUS. CURCULIO. MILES.

Planesium

Phaedrome *mi*, propera.

Phaedromus

Quid properem?

Planesium

Parasitum ne amiseris.
Magna res est.

Phaedromus

Nullast mihi; nam, quam habui, absumpsi celeriter.

Planesium

Teneo.

Phaedromus

Quid negotist?

---

595 med hunc habere 598 arripui 599 mi *om.*

Planesium

Rogita, unde istunc habeat anulum.
Pater istum meus gestitauit.

Curculio

At *prius* mea matertera.

Planesium

Mater ei utendum dederat.

Curculio

Pater *ergo igitur* sum tibi.

Planesium

Nugas garris.

Curculio

Soleo; nam propter eas uiuo facilius.

Phaedromus

Dic nunc.

Planesium

Obsecro, parentis ne meos mihi prohibeas.

Curculio

Quid, ego? sub gemmane abstrusos habeo tuam matrem et patrem?

Planesium

Libera ego sum nata.

Curculio

Et alii multi, qui nunc seruiunt.

Phaedromus

Enimuero irascor.

Curculio

Dixi equidem tibi, unde ad me hic peruenerit.
Quotiens dicendumst? Elusi militem, inquam, in alea.

Therapontigonus

Saluos sum; eccum quem quaerebam. Quid agis, bone uir?

---

602 prius *om.* 603 Pater uo is risum tibi 605 Quid nunc? *Curculioni continuata.* 608 PLAN. Enimuero

Curculio

Audio.

Si uis tribus bolis uel in chlamydem.

Therapontigonus

Quin tu is in malam crucem
Cum bolis, cum bulbis? Reddin etiam argentum aut uirginem?

Curculio

Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? quam tu uirginem
Me reposcis?

Therapontigonus

Quam ab lenone abduxti hodie, scelus uiri.

Curculio

Nullam abduxi.

Therapontigonus

Certe eccistam uideo.

Phaedromus

Uirgo haec liberast.

Therapontigonus

Meane ancilla libera ut sit, quam ego numquam emisi manu?

Phaedromus

Quis tibi hanc dedit mancupio aut unde emisti? fac sciam.

Therapontigonus

Ego quidem pro istac rem solui ab trapezita meo,
Quam ego pecuniam quadruplicem abs te et lenone auferam.

Phaedromus

Qui scias mercari furtiuas atque ingenuas uirgines,
Ambula in ius.

Therapontigonus

Non eo.

---

611 tu es in 612 boleis redde

Phaedromus

Licet antestari?

Therapontigonus

Non licet.

Phaedromus

[Juppiter te male perdat; intestatus uiuito.]
At ego, quem licet, te. Accede huc.

Therapontigonus

Seruom antestari?

Curculio

Uide,
Hem, ut scias me liberum esse. Ergo ambula in ius.

Therapontigonus

Em tibi.

Curculio

O ciues, ciues.

Therapontigonus

Quid clamas?

Phaedromus

Quid tibi istum tactiost? 625

Therapontigonus

Quia mihi lubitumst.

Phaedromus

Accede huc tu; ego illum tibi dedam; tace.

Curculio

Phaedrome, obsecro, serua me.

Phaedromus

Tamquam me et genium meum.
Miles, quaeso, ut *tu* mihi dicas, unde illum habeas anulum,
Quem parasitus hic te elusit.

---

621 Licet te antestari 623 MIL. At ego quem licet te. accede huc. CUR. Serum antestari. M. uide 624 in ius. em tibi 625 O *om.* istum tibi 628 tu *om.*

Planesium

Per tua genua te obsecro,
Ut nos facias certiores.

Therapontigonus

Quid istuc ad uos adtinet? 630
Quaeratis chlamydem et machaeram hanc, unde ad me peruenerit.

Curculio

Ut fastidit gloriosus. Mitte istum; ego dicam omnia.

Planesium

Nihil est, quod ille dicit. Fac me certiorem, obsecro.

Therapontigonus

Ego dicam; surge. Hanc rem agite atque animum aduortite.
Pater meus habuit Periphanes.

Planesium

Hem, Periphanes? 635

Therapontigonus

Is prius quam moritur mihi dedit tamquam suo,
Ut aequom fuerat, filio,

Planesium

Pro Juppiter!

Therapontigonus

Et is me heredem fecit *eius*.

Planesium

Pietas mea,
Serua me, quando ego te seruaui sedulo.
Frater mi, salue.

Therapontigonus

Qui credam ego istuc *tibi*? cedo, 640
Si uera memoras, quae fuit mater tua?

---

632 M. Mitte 633 CU. Nihil est quod ille dicit. PH. Fac 635 periplanes planesium 638 Et iste me eius *om.* 638—40 *duobus uersibus.* 640 tibi *om.* 641—44 *tribus uersibus.*

Planesium

Cleobula.

Therapontigonus

Nutrix quae fuit?

Planesium

Archestrata.

Ea me spectatum tulerat per Dionysia.
Postquam illo uentumst, iam ut me conlocauerat,
Exoritur uentus turbo; spectacla ibi ruunt;
Ego pertimesco; tum ibi me nescio qui abripit
Timidam atque pauidam, nec uiuam nec mortuam,
Nec, quo me pacto abstulerit, possum dicere.

Therapontigonus

Memini istanc turbam fieri; sed tu dic mihi,
Ubi is est homo, qui te subripuit?

Planesium

Nescio;
Uerum hunc seruaui semper mecum una anulum,
Cum hoc olim perii.

Therapontigonus

Cedo, ut inspiciam.

Curculio

Sanane es,
Quae isti conmittas?

Planesium

Sine modo.

Therapontigonus

Pro Iuppiter,

642 Arthestrata 643 Perdionisia 645—48 *tribus uersibus.* 646 nescio quis arripit 649—53 *quattuor uersibus.* 649 Meministin hanc

Hic est, quem tibi ego misi natali die;
Tam facile noui quam me. Salue, mea soror.

Planesium

Frater mi, salue.

Phaedromus

Deos uolo bene uortere
Istam rem uobis.

Curculio

Et ego nobis omnibus.
Tu, ut hodie adueniens, cenam des sororiam;
Hic nuptialem cras dabit.

Therapontigonus

Promittimus.

Phaedromus

Tace tu.

Curculio

Non taceo, quando res uortit bene.
Tu istanc desponde huic, miles; ego dotem dabo.

Therapontigonus

Quid dotis *tu*?

Curculio

Egone? Ut semper, dum uiuat, me alat.
Uerum hercle dico.

Therapontigonus

Me lubente feceris.
*S*ed leno hic debet nobis triginta minas.

Phaedromus

Quam ob rem istuc?

Therapontigonus

Quia illic ita repromisit mihi,

654 ego tibi 654—56 *duobus uersibus.* 655 soror mea 657—59 *duobus u.* 660—63 *tribus.* 662 PHED. Quid dotis? CUR. medalat 663 dico. me iubente feceris 664—66 *tribus u.* 664 Et 665 CUR. Quia ille

Si quisquam hanc liberali adseruisset manu,
Sine controuorsia omne argentum reddere.
Nunc eamus ad lenonem.

Curculio

Laudo.

Phaedromus

Hoc prius uolo,
Meam rem agere.

Therapontigonus

Quid id est?

Phaedromus

Ut mihi hanc despondeas.

Curculio

Quid cessas, miles, hanc huic uxorem dare?

Therapontigonus

Si haec uolt.

Planesium

Mi frater, cupio.

Therapontigonus

Fiat.

Curculio

Bene facis.

Phaedromus

Spondesne, miles, mihi hanc uxorem?

Therapontigonus

Spondeo.

Curculio

Et ego hoc idem una spondeo.

Therapontigonus

Lepide facis.
Sed eccum lenonem, incedit, thensaurum meum.

667—70 *tribus u.* 667 contrauersia redderet 668 M. Laudo 673 unum

CAPPADOX. THERAPONTIGONUS. PHAEDROMUS. PLANESIUM.

Cappadox

Argentariis male credi qui aiunt, nugas praedicant;
Nam et bene et male credi dico; id adeo hodie expertus sum.
Nam male creditur, qui numquam reddunt, sed prorsum perit.
Uel hic decem minas dum soluit, omnis mensas transiit;
Postquam nihil fit, clamore hominem posco. Ille in ius me uocat;
Pessume metui, ne mihi hodie apud praetorem solueret;
Uerum amici conpulerunt; reddit argentum domo.
Nunc domum properare certumst.

Therapontigonus

Heus tu, leno; te uolo.

Phaedromus

Et ego te uolo.

Cappadox

At ego uos nolo ambos.

Therapontigonus

Sta sis ilico,
Atque argentum propere propera uomere.

Cappadox

Quid tecumst mihi,
Aut tecum?

Therapontigonus

Quia ex te hodie faciam pilum catapultarium
Atque ita te neruo torquebo, itidem ut catapultae solent.
Delicatum te hodie faciam, cum catello ut adcubes;
Ferreo ego dico.

Cappadox

At ego uos ambo in robusto carcere
Ut pereatis.

---

678 Uelut decem 685 Aut tecum aut. MI. Quia ego ex te hodie

Therapontigonus

Collum obstringe, abduce istum in malam crucem.

Phaedromus

Quidquid est, ipse ibit potius.

Cappadox

Pro deum atque hominum fidem!
Hocine pacto indemnatum atque intestatum me abripi?
Te obsecro, Planesium, et te, Phaedrome, auxilium ut feras.

Planesium

Frater, obsecro te, noli hunc indemnatum perdere;
Bene et pudice me domi habuit.

Therapontigonus

Haud uoluntate id sua.
Aesculapio huic habeto, quom pudica es, gratiam;
Nam si is ualuisset, iam pridem, quoquo posset, mitteret.

Phaedromus

Animum aduortite, *ego* si possum hoc inter uos conponere.
Mitte istunc. Accede huc, leno. Dicam meam sententiam,
Si quidem uoltis, quod decrero, facere.

Therapontigonus

Tibi permittimus.

Cappadox

Dum quidem hercle ita iudices, ne quisquam a me argentum auferat.

Therapontigonus

Quodne promisti?

Cappadox

Promisi? qui?

Therapontigonus

Lingua.

---

691 arripi 692 Te *om.* 693 condempnatum 696—98 *duobus uersibus.* 697 ego *om.* 698 istuc 700 iudeces 701 promisisti

Cappadox

Eadem nunc nego.
Dicundi, non rem perdundi gratia haec natast mihi.

Therapontigonus

Nihil agit; collum obstringe homini.

Cappadox

Iamiam faciam, ut iusseris.

Therapontigonus

Quando uir bonus es, responde, quod rogo.

Cappadox

Roga, quod lubet.

Therapontigonus

Promistin, si liberali quisquam hanc adsereret manu,
Te omne argentum redditurum?

Cappadox

Non conmemini dicere.

Therapontigonus

Quid, negas?

Cappadox

Nego hercle uero. Quo praesente? quo in loco?

Therapontigonus

Me ipso praesente et Lycone trapezita; non taces?

Cappadox

Non taceo; non ego te flocci facio; ne me territes.

Therapontigonus

Me ipso praesente et Lycone factumst.

Phaedromus

Satis credo tibi.
Nunc adeo, ut tu scire possis, leno, meam sententiam,

---

703 Nihil agit *antecedenti uersui adhærent.* homini. PHED. Iamiam 707 CUR. Quid 708 CUR. Me CA. Non taces? 709 CUR. Non taceo non ego 710 me ipso præsente *antecedenti u. adhærent.* 711 Nunc adeo ut tu *item.*

Libera haec est, hic huius frater est, haec autem illius soror;
Haec mihi nubet, tu huic argentum redde. Hoc iudicium meumst.

Therapontigonus

Tu autem in neruo iam iacebis, nisi mihi argentum redditur.

Cappadox

Hercle istam rem iudicasti perfidiose, Phaedrome.
Et tibi oberit, et te, miles, di deaeque perduint!
Tu me sequere.

Therapontigonus

Quo sequar te?

Cappadox

Ad trapezitam meum,
Ad praetorem; nam inde rem soluo omnibus, quibus debeo.

Therapontigonus

Ego te in neruom, haud ad praetorem hinc rapiam, ni argentum refers.

Cappadox

Ego te uehementer perire cupio, ne tu nescias.

Therapontigonus

Itane uero?

Cappadox

Ita hercle uero.

Therapontigonus

Noui ego hos pugnos meos.

Cappadox

Quid tum?

Therapontigonus

Quid tum, rogitas? Hisce ego, si tu me inritaueris,
Placidum te hodie reddam.

---

712 Libera hæc est *item.* 713 Hæc mihi nubet *item.* 715—18 *tribus uersibus.* 716 perdiunt 719 neruo 720 ne tu me nesciaa

Cappadox

Age ergo recipe

Therapontigonus

At actutum.

Cappadox

Licet.

Phaedromus

Tu, miles, apud me cenabis; hodie fient nuptiae.

Therapontigonus

Quae res bene uortat mihi et uobis.

Ω

Spectatores, plaudite. 725

723 recipe actutum. PHED. Licet. 725 uobis. Spectatores plaudite. plaudite.

COMMENTARIUS

IN

AULULARIAM.

Aulularia, ab aula (aulula) sive olla (ollula), est fabula, in qua de olla agitur auri plena in domo pauperis et sordidi hominis necopinanter reperta. Euclio senex cum unica filia inopem et miseram vitam agit, nec repertus in ædibus thesaurus avarum hominem perducit, ut quidquam de vitæ ratione demutet. Immo aurum anxie servat nihil magis veritus quam, ne homines repertum esse resciscant. Servam etiam, quam solam habet, ne quid comperiat, domo eiicere solet, quotiens timore vexatus inspicere cupit, num olla salva sit. Vicinum habet Megadorum hominem divitem et cælibem, quem senili ætate eo animus induxit, quo eum sororis Eunomiæ admonitio perducere studuerat, ut uxorem ducere cuperet. Is Euclionis filiam sibi optat, neque Euclio, quamvis suspicetur eum ideo condicionem hanc cupere, quia thesaurum repertum esse compererit, negare audet, et filiam seni despondet indotatam. Nuptiæ in eundem diem constituuntur, et Megadorus, ut laute et pro sua re celebrentur, et domum ad se et in Euclionis ædes opsonium, coquos, tibicinas mittit. Euclione absente coquus in ædes eius introducitur, quem dominus redux veritus, ne thesaurum furto auferat, male mulcatum eiicit; ipse ollam ex ædibus effossam potius in Fidei æde condere conatur. Quod factum quum non latuisse suspicetur, ollam hinc quoque remotam extra urbem in Silvani luco defodit. Sed, qui eum clam observaverat, Strobilus servus vestigia eius secutus ollam confestim effodit, et senex, brevissimo temporis intervallo reversus, ablatam videt. Eiulantem ea de causa et vehementer querentem Lyconides alloquitur adulescens, Eunomiæ filius. Is ante novem menses in pervigilio quodam

Euclionis filiam compresserat eamque etiamnunc amat et uxorem cupit. Quare, quod avunculo desponsam accepit, vehementer commotus matri omnem rem aperit eaque rogante a Megadoro impetrat, ut sibi Euclionis filiam cedat, cuius partus iam adest. Euclionem autem aggreditur rogans, ut sibi filiam det, cui se vitium obtulisse fatetur. Miserrimus pater domum pergit, ut, quid hoc novi mali sit, exploret. Interea Strobilus advenit heroque suo se aurum reperisse narrat et, ut hoc pretio libertate donetur, postulat. Lyconides ollam Euclioni restituit; is autem felici rerum omnium eventu lætus et filiam ei in matrimonium dat et thesaurum, ex quo, dum habebat, plus molestiæ et timoris quam voluptatis acceperat, dotis nomine addit. — Extrema fabulæ pars deest, sed ex Argumentis summa rei cognoscitur.

Egregiam hanc fabulam quis Græcus poeta primus invenerit et scripserit, ignoratur, nam qui propter v. 302 Posidippum auctorem nominant, nimis levi argumento utuntur, v. ad 272. Nec magis quo tempore eam Plautus Romæ docuerit, notum est. Hoc quidem fuerunt qui coniectura se assequi posse putarent, ut Ladewigius in Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1841 p. 1085 sq., Wagnerus in ed. Aul. p. 129, alii, qui, quod Megadorus v. 479 sqq. tam vehementer de mulierum luxuria queratur, hoc lege Oppia manente fieri non potuisse contendunt; nam abrogata demum lege, quæ mulierum luxuriam cohiberet, quod anno a. Chr. n. 195 factum esse ex Livio (XXXIV, 1—8) novimus, eam civitatis condicionem esse factam, quæ his versibus describatur. Verum non abrogata lex causa luxuriæ fuit, sed quia cupiditati feminarum moderari nec poterant nec volebant, ideo legem abrogarunt. Eorum autem, quæ hoc loco ridentur, pleraque vel ex Græco fonte ducta sunt, ac Romani spectatores si non suos, at Atheniensium — nam Athenis agitur fabula — mores ridere potuerunt, vel etiam manente Oppia lege Romæ inveniri potuerunt si non talia, qualia hic proferuntur, at quæ comicæ exaggerationi locum darent. Nec tamen negaverim mihi quoque ut aliis (v. Francken. ed. Aul. p. XVI) hanc fabulam inter posteriores Plauti numerandam esse videri.

Etiam posterioribus sæculis hanc fabulam et in scena spectatam et vulgo lectitatam esse facile credimus. Unum afferri potest, quod quodam modo huc pertineat, extremo antiquitatis tempore fabulam compositam esse similis nominis et cognati argumenti. Ea Querolus sive Aulularia inscribitur, primariamque personam habet hominem pauperem de fortuna sua semper querentem, Querolum Euclionis filium. Huius pater avarus, quum peregre proficisceretur, ollam auri plenam apud focum ædium suarum defodit, ignaris omnibus, atque, ut etiam inventa falleret, urnæ titulum addidit, quasi ossa patris sui contineret. Sed thesauro tanta cura abscondito frui non contigit, nam peregri mortuus est. Moriens amico cuidam mandat, ut filio secretum aperiat, et præmium huius obsequii decimam thesauri partem ei pollicetur. Is autem totum quam partem occupare mavult, et quum Querolum superstitiosum hominem esse comperisset, tali fraude rem aggreditur. Magum se esse simulat, cui „potestates" omnes pareant, et quum Querolus mala fortuna prematur, ea se eum liberaturum promittit. Hoc fieri posse, si, quicquid circa focum sordis et terræ esset, egestum esset. Effossa terra una cum olla in arcam congeritur, quam Querolus ipse suis humeris ex ædibus effert, et amicus improbus præda potitur. Sed aperta arca quum urnam videat, ut titulus declarat, mortui ossa continentem, illusum se credens et spem frustratam ægre ferens urnam refert et per fenestram in Queroli domum iniicit. Fracta olla ingens auri vis effunditur, Querolusque, quod aurum ipse exportaverat, recipit.

Fabula Rutilio cuidam inscribitur, quem Rutilium illum Namatianum esse putarunt, qui „Reditum" suum in Galliam a. 416 p. Chr. n. elegiacis versibus elegantissime composuit; sed fabula aliquanto antiquior esse videtur, si quidem iam Servius ad Æn. III, 226 eam laudat. Conscripta est autem non ut in scena publice ageretur, sed ut convivia oblectaret; nam in procœmio auctor „Nos" inquit „fabellis atque mensis hunc libellum scripsimus". Quod autem ad formam orationis attinet, „Prodire" inquit „in agendum non auderemus cum clodo pede, nisi magnos præclarosque in hac parte sequeremur duces", quibus verbis significari uidentur versus eatenus

septenariis trochaicis similes, quod altera pars versus fere eadem sit, sed et priore parte nihil fere a prosa oratione differentes, et ne in illo quidem, quem diximus, trochaico exitu sibi constantes, ut versus distinguere difficillimum nec ab ullo editore tentatum opus sit. Omnino poetica ars perexigua inest, quamquam æquales fabulam Plauto non indignam habuerunt. Servius quidem l. l. Querolum Plauto assignat, et una cum Plautinis comœdiis descripta est in cod. Palatino-Vaticano 1615 (*B*), ubi etiam Amphitruonem antecedit. Pro Plautina itaque habuerunt proxima sæcula, habuitque Vitalis ille, qui ut Amphitruonem (de qua vid. vol. I, p. 230) ita Querolum suo more elegiacis versibus tractavit, ut ipse ait in extremo prologo:

Hæc mea vel Plauti comœdia nomen ab olla
Traxit; sed Plauti quæ fuit, illa mea est.
Curtavi Plautum; Plautum hæc iactura beavit;
Ut placeat Plautus, scripta Vitalis emunt.
Amphitryon nuper, nunc Aulularia tandem
Senserunt senio pressa Vitalis opem.

Querolum primus edidit P. Daniel Parisiis 1564; deinde Commelinus a. 1595 addito etiam Vitalis poemate; Pareus autem „quamvis hypobolimæum" Plautinis fabulis adiunxit. Nuper „Aululariam sive Querolum" accurate edidit R. Peiper Lips. 1875.

Sed ut ad Plautum ipsum revertamur, Aululariam eius recentiores quoque poetæ non pauci imitati sunt. Iam a. 1535 Germanice versam esse tradit Lessingius (Schriften, v. Lachmann, III, S. 22). Ex Aululari a Joannes Baptista Gelli in fabulam, quæ „La Sporta" dicitur, Florentiæ anno 1543 actam non pauca transtulit; Molierii autem Avarus (l'Avare) vulgo nota est. Qui quod avaro homini nomen imposuit Harpagonis, hoc ex Codri Urcei supplementis sumpsit, ubi v. 26 sqq. hæc leguntur: „Tenaces nimium dominos nostra ætas tulit, Quos Harpagones, Harpyias et Tantalos Vocare soleo". Molierii autem act. 1 scen. 3 compares, si placet, cum Plauti v. 40 sqq. et 622 sqq., act. 4 scen. 7 cum v. 705 sqq., act. 5 scen. 2 init. cum v. 390 sqq., act 5. scen. 3 cum v. 723 sqq. Apud Batavos celebris

est Hooftii fabula „Warenar". Molierium Fielding Anglus secutus est, v. Francken. p. XXI.

Plauti Aululariam separatim ediderunt et commentati sunt Gœller (Colon. 1825), E. J. Richter (Norimb. 1833), Deenik (Lugdun. Bat. 1835), Hildyard (Cantabr. 1839), Vallauri (Taurin. 1853), Wagner (Cambridge 1866), Benoist (Paris 1874), Francken (Groningen 1877). Quod ad apparatum criticum attinet, præter meas codicum B et I collationes ea uti potui, quam publicavit A. Lorenz in programmate gymnasii Coloniensis, quod Berolini est, a. 1872, codicum B et D, admodum accurate facta.

Personarum nomina, si prologum excipias, quem Latinus poeta aut de suo addidit aut transformavit, Græca sunt et de Græca fabula translata. Prologi partes *Lari familiari* Euclionis tribuuntur. Liberorum hominum nomina honesta et splendida sunt, *Euclio*, *Megadorus*, *Eunomia*, *Lyconides* (sic cod. B v. 772; qui personarum nomina rubro colore addidit, Liconidem scribere solet). Euclionis filiæ nomen in contextu fabulæ non extat, nec ipsa in proscenium exit; ei scenæ, ubi vox eius auditur (v. 683), supra scriptum est FEDRIA UIRGO; sed „Phædria" viri nomen est vel ex Eunucho Terentii notum; puellæ nomen *Phædra* esse potuit. In ceterarum personarum nominibus formandis poeta, ut solet, id spectavit, ut genus aut mores quodam modo significarentur. Coquorum alter *Anthrax* dicitur (v. 279), ἄνθραξ, i. e. carbo, alter *Congrio* (v. 320. 393) a congro pisce, nisi fallor, qui Græcis γόγγρος est, et rubricator „Gongrionem" appellat. Tibicinarum altera *Phrygia*, altera *Eleusium* appellatur v. 325. *Staphyla* Euclionis serva anus vocatur, i. e. uva, credo quia vino dedita erat, ut Læna in Curculione (cf. 347). *Strobilus* et Megadori servus appellatur (v. 256. 326. 343. 346) et Lyconidis (v. 689 et 797), huic autem turbinis nomen optime convenit propter volubilem agilitatem, qua Euclionem sequitur et evitat. Nomen etiam ex aliis monumentis notum est, velut ex lucernis argillaceis, v. Mommsen., Inscr. Regn. Neap. 6308, 31. Bullettin. Ital. I, p. 92, aliisque titulis, Bullett. Neap. VI, p. 71. Quid autem? Eodem seruo Megadorus et Lyconides usi sunt? Franckenius quidem (p. XIV sq.) in Græca fabula ita fuisse suspicatur; Eunomiam enim post viri sui mortem cum filio in

fratris domum migrasse et utriusque eandem familiam fuisse. Quod ut in tenui re familiari fieri potuit, ita divitem hominem non est veri simile tam paucos servos habuisse, ut idem avunculi atriensis et nepotis pedisequus esset, nec Lyconidis servus alium quam ipsum Lyconidem herum agnoscit aut ab alio libertatem sperat. Immo duas personas esse apparet. Sed quomodo fieri potest, ut duæ eiusdem fabulæ personæ eodem nomine sint? In Menæchmis quidem huius rei ratio redditur (v. 1130) et illius fabulæ turbæ ex hac nominis communione magnam partem oriuntur. Hic quoque si nominis similitudo errorem aliquem ridiculum aut turbas pareret, causa intelligeretur; sed nec in fabula tale quidquam legitur nec in extrema fabulæ parte, quæ periit, cogitari potest, unde sequitur, ut ista nominis communitas et inutilis et inepta futura fuerit. Wagnerus quidem (edit. p. 138 sq.) ad solitum quorundam philologorum auxilium confugit, ut „contaminatam" fabulam esse censeat vel ex duabus Græcis compositam, cuius rei nec aliud ullum indicium extat, ut recte animadverterunt et Brixius et Reinhardtius in Studemundi Stud. I. p. 109, nec tam stupidum putamus Plautum Græcorum interpretem fuisse, ut ne nomen quidem servi ipse invenire potuerit. Histrionem autem si quis dicat eundem utriusque servi partes egisse, hoc et ipse facile crediderim, sed poetam ea de causa utrumque servum eodem nomine appellasse credere non possum. Erroris causa non ab ipso Plauto, sed a posterioribus repetenda est, nec dubitari potest, quin apud Plautum duo fuerint duorum servorum nomina. Ac sunt etiam alia nominum vel mero errore vel consulto mutatorum exempla. Lysidamum Casinæ rubricatoris errore Stalicionem aut Stalinonem factum esse ex Ambrosiano ostendit Studemund. Ind. lect. Gryphisw. 1871—72; Cyamum pro Geta in Truculento restituit Spengelius; Fitodicum autem, qui huius fabulæ v. 355 suprascribitur, nullum esse, ibi videbimus. In Sticho, ut in Aulularia, idem duabus personis nomen obtigit; nam Pinacium et puer dicitur et altera ex sororibus matronis; verum pueri nomen in contextu fabulæ legitur, matronæ tantum in titulo primæ scenæ, et post Ritschelium inde quoque eiectum est, quoniam in A Pamphila legitur. Difficilior de alterius sororis nomine quæstio

est. Quæ enim vulgo Panegyris appellatur, in titulo autem cod. A Philumena dicitur, ea etiam in A v. 248 et 331 Panegyris est, ut, si illud verum est, iam ante palimpsestum scriptum arbitraria interpolatione illi versus corrupti sint. Qui autem ibi Panegyridis nomen retinere velit, is in Aulularia tamen concedat necesse est alterius servi nomen mala retractatione mutatum esse. Intellexisse hoc videtur princeps editor, qui Lyconidis servum Strophilum dixit, quamquam a v. 600 demum, non, ut oportebat, a v. 579. Verum nomen quærendum est, non similium litterarum solum, sed etiam eiusdem mensuræ; Strophilus autem, si umquam nomen fuit, pænultimam brevem habuerit necesse est, quum Strobilus longam habeat; in Strombicho, in Crobylo aliisque, quæ mihi in mentem venerunt, idem impedimenti est.

Argumentum I.

1. *uix sibi credens*, tam suspicax est. — 2. Post *cum* hiatus. Versus parum elegans, sed, ut ait Luchs. in Studemundi Stud. I, p. 24, vix operæ pretium est hunc poetastrum corrigere. — 6. *suasus* dicitur ut „iussus“, nam huic quoque verbo accusativum accedente infinitivo addebant, v. Terent. Hec. 481: „Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi“. Verg. Æn. XII, 814. Apul. Met. V, 11. — 8. *senex*, v. Proleg. p. 202.

Argumentum II,

acrostichon.

1. Post *repertam* in cæsura et post *plenam* hiatus. — 5. *Lubensque ut faciat*, i. e. ut Euclio libenter sibi filiam uxorem det. — 6. *abstrudit* olim emendatum. — Pro corrupto *fores* ed. pr. *foris*; Bothius „foras“, ut v. 569. Equidem faciliorem prætuli emendationem, quia ceteris omnibus locis morandi notio tenetur, ut 665. 671. 699: „ubi“. 655. 609: „hic.“ Rud. 1185:

„alicubi in solo abstrusi loco“. ib. 1007: „in cerebro colaphos abstrudam tuo“. — 7. Post *Re* hiatus; Müller. „inspectata“ corrigebat. — 8. *surpit*, v. Proleg. p. 210. — *illic*, Lyconides. *rem*, pecuniam. — 9. *filio*, cuius ipse pater erat. De *et*, quod antecedit, vid. ad Asin. 564.

Prologum

Aululariæ in Prolegomenis p. 162 iis adnumeravimus, quos ab ipso Plauto abiudicare non audemus. Parvi enim momenti videtur, quod Wagnero scrupulum movit, prosodia vocis „auonculi“, quæ in prologi v. 35 alteram longam habet, in cetera fabula, 677. 771. 792, brevem, cf. Proleg. p. 203 et 214. Quod autem prologi partes agit Lar familiaris, in cuius tutela domus Euclionis est, apud Græcum poetam si similis prologus fuit, alius dei necesse est fuerit oratio, velut Mercurii, cuius beneficio debetur, quidquid præter opinionem acquiritur (ἕρμαιον), ut Francken., aut θεοῦ alicuius πατρώου, ut Wagner. voluit. Prologi ornatum fuisse crediderim ei similem, quo indutos Lares et in parietibus pictos et ex ære fusos videre solemus, ut adulescens prodierit caligatus et alte succinctus.

1. *Mirari* veteres pro „nescire“ posuisse Donatus ad Ter. Andr. 750 („Miror, unde sit“) nostro loco allato adnotat; accuratius Siesbye. in Opusculis ad Madvigium a discipulis missis p. 248. — 2. *Ego sum Lar*, hoc ordine verba laudant Priscianus VI, 32 et Probus p. 15, 7 Keil.; nos Plautinorum codicum ordinem retinuimus. — 4. *multos annos est quom possideo*, i. e. multos annos possideo aut multi anni sunt quum possideo, confusa utraque constructione. Similiter Pers. 138: „leno nondum sex menses Megaribus Huc est quom conmigrauit“. Non. p. 250 male: „est ut possideo“. — *colo*, i. e. incolo, quod est apud Tibullum I, 10, 18 patrios Lares alloquentem: „Sic veteris sedes incoluistis avi“; cf. infra 693. Liv. XXXI, 30, 9: „urbem colentes deos“. Propter dativum, qui sequitur, Acidalius „color“ scribendum censebat; mihi

dativus commodi defendi posse videtur. — 5. *Patri auoque.* Offendit in his verbis hiatus, de quo vid. Proleg. p. 219, Lachm. ad Lucret. p. 194 sq. Eius removendi causa Camerar. „Patrique" scr., Müller. „Patri auoque huius Euclionis", Pylad. „Patri auoque amicus huius". — *habet* i. e. habitat, ut ait Nonius, qui p. 318 h. v. laudat, cf. Bacch. 112. Men. 69. Trin. 193. 390. Truc. 79. 73. — 7. *Thensaurum*, antiquam scribendi rationem, in hac codicis parte oblitteratam, propter alios locos, ut Trinum. 18, retinuimus. — Post *clam* hiatus in cæsura; Camer. transp.: „Auri thensaurum", sublata parechesi, quam Plautus quæsisse videtur, Müller. „Thensaurum olim auri" scr. — *Foco* præsidebat Lar, v. infra 378 et annot. ad v. 24. — 8. *uenerans me ut* cum hiatu legendum. De structura cf. Bacch. 171. Poen. 953 sq. Rud. 1349: „Ueneror te, ut omnes miseri lenones sient." — *id*, i. e. aurum. — 9. *quoniam* de tempore, v. ad Asin. 347. Apodosis sequitur v. 13. Editorum plerique in voc. „fuit" parenthesin terminantes non intellexerunt cum voc. *ita* necessario iungendum esse proximum versum; tam enim avarum eum fuisse dicit, ut ne filio quidem umquam thesaurum indicaret; vid. ad Amph. 952. — 13. *ei* pro spondeo est, v. Proleg. p. 216. De scriptura dubitari nequit, quamquam in B paulum turbatum est; equidem „e i" adnotaveram; Lorenz. „e z", i. e. „e et", „sed „e" man. sec."; Camerarius „eii" edidit. Ad phrasin cf. Hor. Sat. II, 6, 1: „Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus".

15. *obiit* codd., recte, ut versus ostendit; „obit" Nonius p. 359 et 275. — 16. *ecqui* olim emendatum; „et quidem" Nonius p. 320. — 18 *Atque . . . uero*, cf. Curc. 375: „Uerum hercle uero". — *minus minusque inpendio*, cf. Ter. Eun. 507: „quanto magis magisque". Nonius p. 128 h. v. allato „inpendio" inquit „pro magis"; immo pro „multo", cf. Ter. Eun. 587: „inpendio magis animus gaudebat mihi". Cic. Attic. X, 4, 9: „At ille impendio nunc magis odit senatum". — 20 sq. *Item a me contra factum est.* Hoc quidem recte; nam qui Larem debitis honoribus fraudat, ei ne Lar quidem honorem ullum aut emolumentum tribuit, sed pauper miserque et vivit et moritur; verum in proximis erratum est; *diem* olim emendatum

est; sed plura restant; nam inepte dicitur hic quoque, quia ei Lar honorem non tribuerit, mortuus esse, quasi Laris sit mortem et vitam tribuere et, qui Larem pie colant, numquam mortem obeant. Qui enarrant: „nam is quoque in miseria et paupertate mortuus est", magis quid ipsi velint, quam quid re vera scriptum sit, spectant. Quare non dubito, quin hic versus aut spurius sit, aut graviore aliqua laboret corruptela. In proximo versu Nonius p. 375 „his" pro „is" habet. Maiorem offensionem habet anapæstus pessimus „Is ex se hunc", ac Guietus quidem „ex se" delebat. Qui fortiter corrigere velit, sic scribere possit: „Is ut obiit diem, Ex se hunc reliquit"; „obiit" pro iambo legi potest, vid. ad Asin. 735. — 24 sq. *ture aut uino . . . coronas.* Cf. 377. Hor. Od. III, 23, 3: „Si ture placaris et horna Fruge Lares avidaque porca". Tib. I, 10, 21: „His placatus erat, seu quis libaverat uvam, Seu dederat sanctæ spicea serta comæ". Cat. R. R. 143: „Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies quom erit, coronam in focum indat, per eosdemque dies Lari familiari pro copia supplicet'. Donaticas eiusmodi coronas capitis modum excessisse testatur Festi Epitom. p. 69. — 27. Hunc versum quum Deenik in suspicionem vocasset, Wagner. omnino sustulit. Iniuria; quid enim aliud obstabat, quo minus Lyconides puellam, quam amabat, confestim uxorem duceret, quam ipsa paupertas? aut quid in Euclionis paupertate molestius erat, quam quod filiam collocare non poterat, ut ipse ait v. 184? Quod autem dicunt Larem, utpote deum, scire debuisse, thesauro reperto ad hanc rem non opus fore, et antiquorum religionem parum intelligunt, nec reputant eiecto hoc versu manere difficultatem, si quidem „Nam", quod sequitur, eandem indicat rationem. — 30. *neque autem*, cf. Lucret. I, 857. III, 561. IV, 152. VI, 103. Cic. ad Famil. V, 12, 6. „et autem" Mil. 1142, ubi vid. — 31. *de proxumo*, ex vicinia, vicinus, cf. 164. 282. — 35. *Is* abundat post „hic", vid. ad Asin. 523. — 36. *Cereris* iam in B emendatum; cf. 788. Mysteria intelliguntur, fortasse ipsa Eleusinia, vid. Cic. de Legibus II, qui quum 9, 21 præcepisset: „nocturna mulierum sacrificia ne sunto", mox 14, 35 „Quid ergo" inquit „aget Iacchus Eumolpidæque vestri et augusta illa mysteria, si quidem

sacra nocturna tollimus?" Eximia et divina ei illa initia videntur; sed „quid displiceat in nocturnis, poetæ indicant comici". De Thesmophoriis non est cogitandum, quæ a solis matronis celebrabantur. Etiam in aliis sacris nocturnis eiusmodi probra fiebant, maxime Dionysiis, v. Cistell. 153 sqq. — 37. *hic* iam in B emendatum. — 39. *ne* i. e. veritus ne; cf. Cic. Verr. I, 17, 46: „verbum facere non audebant, ne forte ea res ad Dolabellam pertineret". IV, 7, 15: „ne forte, dum publicis mandatis serviat, de privatis iniuriis reticeat". Iuven. 8, 77: „Miserum est aliorum incumbere famæ, Ne collapsa ruant subductis tecta columnis". Cf. infra ad 639 et Madvig. ad Cic. Fin. V, 3, 8 p. 616.

---

40. Euclio anum servam ex ædibus eiicit. *exeundum* cum synizesi legatur, v. Proleg. p. 214; nihil mutandum, quamvis Müller., Plaut. Pros. p. 263 sq., subdubitet. — 41. *emissiciis*, voc. ad rem fictum; queritur, quod oculis huc illuc emissis omnia circumspectet, sicut infra 64 eam etiam in occipite oculos habere dicit. Imitatus est Tertullianus (de pallio 3) de chamæleonte „circumspectu emissicii ocelli, immo luminis puncta vertiginant". — 42. *Nam cur*, v. ad Amph. 548. In B ab initio scriptum fuit „Nam me cur me", sed prius „me" erasum est. — 43. *malam aetatem*, senectutem, cf. Men. 745. — 44. *Nam me qua causa* B cum hiatu in cæsura; vulg. ex D „Nam qua me nunc causa". — 45. Versum affert Nonius p. 381 et 395, utroque loco ut in codd. Plautinis omissa interrogandi particula, ne cum Wagnero „egon" scribamus; cf. ad Amph. 718. — *Stimulorum seges* serva sæpe verberata dicitur, quasi in cuius tergo tam multi stimuli conditi sunt, ut inde meti posse videantur, cf. Casin. 424: „stimulorum loculi". Pers. 793: „stimulorum tritor". not. ad Asin. 415. — 46. *Illuc*, remotiorem locum digito monstrat. Editores fere omnes hoc repeti putarunt et interpunxerunt: „Illuc regredere ab ostio, illuc", aut „illuc sis". Sed alterum *illuc* cum sequentibus iungendum est; sic enim solet Plautus: „Illuc sis uide" Bacch. 135. Mil. 202. Pseud.

959. „Illud uide“ Ter. Eun. 670. „Hoc sis uide“ Cist. 56. Merc. 167. „Hoc uide“ Curc. 128. 153, utroque loco sequente „ut“. Stich. 270. Pers. 786. Ter. Heaut. 315. Recte interpunxerunt iam Seyffert et E. Becker in Studem. Stud. I, p. 291. — 47. *Ut incedit*, quam tarde! paulo post cum testudinis gradu incessum eius comparat. Inest talis notio in verbo, vid. Ter. Eun. 918: „eccum Parmenonem incedere Uideo; uide ut otiosus it“. Senec. Nat. Quæst. VII, 31, 2: „non ambulamus, sed incedimus“. Verg. Æn. I, 46. Prop. II, 2, 6. De prosodia verbi vid. Proleg. p. 203; de modo vid. ad Amph. v. 17. — 48. ***hercle***, quod in B exciderat manuque demum secunda suprascriptum est, extat in D, nec dubitari potest, quin verum sit; de loco dubitarunt viri docti, et Wagn. Müll. Stud. „Si hercle hodie“ scribi maluerunt; nam si asseverandi vox, quæ proprie ad primariam sententiam pertinet, secundariæ, quæ antecedit, interponitur, coniunctionem „si“ proxime sequi solet; cf. 56. 242. Epid. 117. Most. 224. 899. Mil. 156. Pseud. 632. Rud. 1361. Stich. 610. Trin. 457; item „si ecastor“ Asin. 187. Truc. 314. — 49. *grandibo* recte Nonius p. 115: „Grandire est grandem facere. Varro Rerum divinarum lib. I: „cum aut humus seminari incipere non possit aut recepta non reddat aut edita grandire nequeat“. Pacuv. (v. 142)“. Cf. Epid. 14: „ut tu is gradibus grandibus!“ Trucul. 285: „Abire hinc ni properas grandi gradu“. Cist. 311: „nimium is vegrandi gradu“. Pacuv. v. 37: „prægrandi gradu“.

50. „*adaxint*, adigant“ Nonius p. 75 h. v. allato; „adegerint“ Fest. Epit. p. 28, cf. p. 3. Staphyla optat, ut sibi dii eum animum dent, ut suspendio vitam finiat, cf. v. 77 sq. — 53. *ecfodiam*, antiquiore scribendi ratione (nam codd. „effodiam“) Nonius p. 360. — 55. *etiam nunc, etiam*; ulterius eam abscedere iubet, cf. Men. 157 sq. Sed versus quattuor iamborum est. Defectui alii aliter succurrere conati sunt. In ceteris codd. repetuntur verba „etiam nunc“, unde Bothius, quum etiam nunc syllaba deesset: „Abscede etiam nunc! etiam nunc! ST. Etiamne? EU. Ohe“. Koch. in Annal. philol. CVII, p. 838: „Abscede etiam nunc, etiam nunc. Ohe [sat est]“. Alia ibidem Fleckeisen. — 56. *astato* olim emendatum. — 57. *digitum*

transuorsum cet., cf. Cat. R. R. 45: „ne plus IV digitos transuorsos emineant". 48: „altam digitum transuorsum". Cicer. Att. XIII, 20, 4: „in omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere." ad Fam. VII, 25, 2: „Urge igitur, nec transversum unguem, quod aiunt, a stilo". Plaut. Bacch. 420. Most. 425 („pedem latum"). — 59. *hercle* quamvis semel positum repetitur. Similia in pronominibus vidimus ad Amph. 532. — *dedam discipulam cruci*, i. e. quæ in cruce obedientiam discat. Cf. Mil. 184: „crucibus contubernalis dari".

60—66. Hæc Euclio, postquam abscessit anus, secum loquitur. — 62. *mihi* cum *ex* coalescit.— 64. *in occipitio*. B ab initio habuerat „inoccipio". — 65. *estne*. Pylades aliique: „sitne", sed hiatum cæsura defendit, indicativum v. 63 „est", vid. ad Amph. 17.

67. Staphyla secum de indignitate heri et infortunio tam herilis filiæ quam suo queritur. *Noenum* recte servavit B („Noe num", suprascripto „pro non"; idem repetit D; I: „nec nūm", cett.: „nec numen" aut „nec nunc me", recentissimi „non enim"). Antiqua vox ex ne et œnum, i. e. unum, contracta significat „non" (vel „omnino non"), quod testatur et Glossarium Plautinum a Ritschelio a. 1846 editum et Nonius p. 143 extr., qui affert ex Lucilio (XXX, 23): „quid [rei] est, si noenum molestum est", ex Varrone: „si hodie noenum venis, cras quidem". Extat apud Lucret. IV, 712 et III, 199, ad quem locum Lachmannus et Lucilii versum emendat et Ennii ap. Cic. Cat. mai. 4, 10: „Noenum (codd. Non enim) rumores ponebat ante salutem". Wagner. addit Enn. Annal. 161: „Somnia vera aliquot, verum omnia noenu' (codd. non nunc) necesse est". 411: „Noenum (codd. Non in) sperando cupide rem prodere summam". Apud Plautum restituendum est Mil. 648: „Post Ephesi sum natus, noenum in Apulis, noenum Animulæ", et fortasse alibi. — *ego* ultimam producit, v. Proleg. p. 195; Bothius aliique transponunt: „ego ero". — 69. Post *conminisci* hiatus in cæsura; Koch. in Annal. phil. CVII, p. 840 temere „conminiscere" coniecit. Mox B non minus quam ceteri codd.: „ita me miseram"; deinde: „adhuc" suprascr. „n". — 71. *intemperiae*, turbæ et quasi procellæ

animi, cf. 634. Epid. 471. Mil. 436. Cicero ad Attic. IV, 6, 3: „Videor stulte illius amici intemperiem non tulisse". — 72. *interdius*, v. Asin. 592. — 73. *claudus sutor*. Sutores sedentarii sunt, v. 505, quare sæpe claudi homines sutores fiunt. — 75. *partitudo* i. e. partus, cf. 268; utrumque locum affert Nonius p. 217. — *propinqua adpetit*, i. e. prope accedit, appropinquat. — 77 sq. *ex* in B ab initio omissum eadem, ut uidetur, manu suprascriptum est. — *longam* olim emendatum. Staphyla iterum sibi suadet, ut se suspendat, rem non inauditam, vid. Theophr. Char. 12: *καὶ αὐτοῦ ποτε παῖς οὕτω πληγὰς λαβὼν ἀπήγξατο.* Pendentis species, quum quasi unam longam lineam exhibeat, cum iota comparatur, quod quia sola longitudine censetur, iure „I longum" dicitur, ut Auson. Epigr. 128, 11. Primus intellexit Lipsius.

79. Facta investigatione Euclio quieto animo redit. „*Defæcata* omnia pura et inturbata et sine sordibus possumus dicere ut vinum sine fæcibus", ait Nonius p. 454 h. v. allato. Cf. Epid. 633: „animo liquido et tranquillo es". Pseud. 232: „Nihil curassis; liquido es animo". 764 sq. „Quidquid incerti mihi in animo prius aut ambiguum fuit, Nunc liquet, nunc defaecatumst". Mostel. 154: „deficatum". — 81. *intus serva*, Staphylam domum custodire iubet, cf. Cist. 106: „seruare apud me". Most. 444: „natus nemo in aedibus seruat". Ter. Eun. 780: „Solus Sannio seruat domi". — *Quippini?* i. e. scilicet, h. l. ironice dicitur. Cf. Bacch. 834. Men. 1087. Pseud. 361. Trucul. 207. — 82. *Ego intus seruem?* quæstio mirantis et indignantis, cf. 45. — 83. „*Quæsti* pro quæstus" Nonius p. 483, qui et h. l. et alios veterum affert; cf. Most. 1089. Pœn. 95. Pers. 67. „gemiti" infra 714, „uicti" Capt. 849, „sumpti" Trin. 250. Plura collegit Corssen, Aussprache d. Lat. II, p. 144. — 84. „*inanis* pro inanitate" Nonius p. 123 h. v. allato. *inaniis* scribendum esse iam vett. edd. intellexerunt, quæ vox, quamvis alibi non extet, et recte formata est et cum *araneis* lepidissimam parechesin facit. Ad hoc Wagner. contulit Afran. v. 411: „arcula tua plena est aranearum". In priore membro oxymoron gravius etiam est; cf. Capt. 465: „ecfertum fame". Merc. 565: „ieiunitatis plenus". — 85. An tu, inquit, credis tua causa me

deos divitem facturos? *Mirum quin*, vid. Amph. 743. Mox *nunc* versu iubente olim sublatum est; ortum videtur ex *me* prave lecto. — 86. *Philippum aut Darium.* Reges ditissimos nominat, non tam certos homines, nec de solis Alexandri magni et Xerxis patribus cogitandum, quam eos, quorum nomine signati aurei nummi orbem obtinebant, prius darici, postea philippi. Cf. infr. 696: „Ego sum ille rex Philippus". — *triuenefica* dicitur ut „trifurcifer" infra 318. Rud. 734. 735. „triparcus" Pers. 265; in Bacch. 808 „teruenefice" est. — 88. *quod di dant fero.* Lamb. contulit Hes. Op. 715: *Μηδέ ποτ' οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ τέτλαθ' ὀνειδίζειν μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων.*

89. Pro *hic* in B prius „hoc" scriptum. cf. v. 104. al. — 91. *Quod*, vid. ad Asin. 750. — 93. *ignis uiuet*, cf. Eurip. Bacch. 8: *ἔστι πυρὸς ζῶσαν φλόγα.* Aristoph. Lys. 306: *Τοντὶ τὸ πῦρ ἐγρήγορεν θεῶν ἕκατι καὶ ζῇ.* — *extempulo* olim emendatum, v. Proleg. p. 210, cf. Studemund. N. Jahrb. f. Phil. 1876, p. 64, qui exeuntibus tantum versibus hanc formam vindicat. — 95. *pistillum* recte ceteri codd. præter B. — 96. *utenda rogant*, cf. 303. 392. Cat. R. R. 5: „duas aut tres familias habeat, unde utenda roget et quibus det, præterea nemini". — 97. *uenisse atque abstulisse*, i. e. ablatum venisse vel, quum venissent, abstulisse. Hæc duo verba quamvis copulative coniuncta tamen pro uno sunt, ita ut obiectum posterioris priori anteponatur, cf. 262: „uascula intus pure propera atque elue", i. e. propera eluere. Ter. Ad. 917: „Tu illas abi et traduce". Verg. Æn. VIII, 127: „Optume Graiugenum, cui me Fortuna precari Et vitta comptos voluit prætendere ramos". Est constructio, quæ *διὰ μέσου* dicitur (Villoison Anecd. II, p. 92), etiam apud Græcos non infrequens, ut Thuc. III, 68, 1: *τὸ αὐτὸ ἕνα ἕκαστον παραγαγόντες καὶ ἐρωτῶντες.* IV, 72, 3: *τὸν ἵππαρχον . . . προσελάσαντες οἱ Ἀθηναῖοι καὶ ἀποκτείναντες ἐσκύλευσαν.* Plat. Protagor. p. 335 E: *τῶν δολιχοδρόμων τῷ διαθεῖν τε καὶ ἕπεσθαι.* Anthol. VII, 664: *Ἀρχίλοχον καὶ στᾶθι καί εἴσιδε.* al. cf. Heiberg. in Nordisk Tidskrift f. Philologi n. s. III, p. 147 sqq. — 100. *Bona Fortuna*, *Ἀγαθὴ Τύχη*, tam a Latinis quam a Græcis adorata, cf. Cic. Verr. IV, 3, 7. Inscript. Orell. 1744. 5787. Wagner.

confert Afranii fr. apud Pompeium comment. art. Donat. p. 477 Lindem. „Adulescens, numquis me quaesiuit? SERUUS. Bona Fortuna“; ubi addit grammaticus „nullum“ significari. — 102. *quamquam prope est.* Hoc ita dici videtur itaque intellexerunt interpretes, quasi ædes Fortunæ aliqua vicina significaretur; sed eius in hac fabula nulla omnino mentio fit. Seyffert. in Philolog. XXVII, p. 432 de Megadori, vicini divitis, ædibus intelligit; ibi scilicet habitare Bonam Fortunam; sed hoc quoque obscurius dictum esset, quam ut a spectatoribus intelligi posset. Immo intelligendum est id, quod sensus postulat, „quamvis prope sit“. Tale Cicero quidem numquam scripsisset, Plautus scripsit Mil. 758: „Sed iidem homines numquam dicunt, quamquam adpositumst ampliter: Iube illud demi“; ubi apparet intelligendum esse „quamvis ampliter adpositum sit“. Abiicienda est igitur emendatio veterum editorum (a quorum codicibus verbum „est“ aberat), quam et Gronovius et Wagn. amplexi sunt: „nusquam adiit quaquam prope“; in qua scriptura non tam abundantia verborum offendit, quam sensus; quid enim referret, Fortunam prope ædes accedere, si non intraret? Unum censui emendandum, ut *adit* non pronuntiaretur solum, sed etiam scriberetur, nam pro præsenti accipiendum est. — 104. *ambobus pessulis*, „supero et infero; totidem enim pessuli quot limina“ Casaubonus a Wagn. laud. Cf. Curc. 147. Cist. 476. Trucul. 350. Marquardt, Römische Privatalterthümer I, p. 234.

105. *Discrucior animi*, cf. Ter. Ad. 610. Plaut. Mil. 1061: „Quid illam miseram animi excrucias?“ ib. 1272. Ter. Phorm. 187. Plaut. Epid. 323: „qui angas te animi.“ Cicero aliique „pendere animi“. Lucretius „nec me animi fallit“ et alibi et I, 136, vid. Munro. ad eum locum et Wagner. ad h. l. — *ab* non producitur, v. Proleg. p. 204. Guietus delebat, probante Müllero p. 281. — 106. *sed* iam in codicibus D et I emendatum; Wagn. animadvertit, sei pro set lectum videri. — 107. *noster nostrae.* Repetitio Plautina iniuria editorum suspicionem movit, quorum Guietus et Wagnerus „nobis“ pro „noster“ voluerunt, Seyffert. in Philol. XXVII p. 433 „Nestor“. — Hunc et proximum versum affert Ps. Asconius ad Verr. Act. I, 8, 22, qui

quod Cicero „divisores omnium tribuum“ commemoraverat, quærit: „Utrum legitimos habent omnes tribus divisores suos, quos Plautus magistros curiarum in Aulularia vocat, an divisores criminis nomen est?“ Inepte ille quidem, vel quod tribus Romanorum a curiis non discernit. *Magistri curiarum* Romæ nusquam commemorantur; ab Græco auctore hoc sumpsit Plautus et de Atticis rebus loquitur. Verum τριττύαρχοι, quos Turnebus intellexit, ad antiquiora tempora pertinent, φρατρίαρχοι autem solius gentilitatis et natalium curam habuerunt; Benndorfius (Zeitschr. für österreich. Gymnas. 1875 p. 22) Plautum τὰς φυλάς curias interpretatum esse censet, ut ἐπιμεληταὶ τῶν φυλῶν intelligendi essent; nam per φυλάς (tributim vulgo dicebant Romani) fieri divisiones testatur Lucianus, Tim. 49: ἔλαχε τῇ Ἐρεχθηίδι φυλῇ διανέμειν τὸ θεωρικόν. Hæc vero divisio alius generis erat; quare potius Franckenio credo δημάρχους intelligendos, et Cicero quoque τοὺς δημότας curiales interpretatur, Off. II, 18, 64: „Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse“. — 108. *dividere dixit*, i. e. se divisurum, v. ad Asin. 439. — *nummi* parum definite dicuntur, nec h. l. opus est quærere, utrum drachmæ an quid aliud intelligatur; vid. infra ad v. 440. — *in uiros*, viritim, ut ait Nonius p. 43 h. v. all. — 110. *suspicentur* coniunctivo modo, quamvis indicativum protasis habeat; sæpius contra fit, vid. ad Amph. 696. — 111. Ante *hominem* hiatus, v. Proleg. p. 221. Guiet. Both. Müll. transp.: „Nam ueri simile non est.“ Structuram recte intellexit Acidalius: „Non veri simile est, hominem pauperem parvi facere pauxillum nummorum, quin petat“. *parvi facere* est parum curare, negligere; de ordine verborum cf. 97. 484. Capt. 137. Amph. Arg. II, 8. — 113. *quom* in B omissum, sed postea additum, nescio an eadem manu; extat in ceteris. — 116. *consistunt*, sc. mecum, colloquendi causa, cf. Curc. 502. Cist. 526. Cic. Verr. Act. I, 7, 19. Hor. Sat. I, 9, 62. — „*copulantur* pro copulant“ et „pro coniungunt“ Nonius p. 476 et 479, utroque loco hunc versum afferens, nec alibi pro deponente positum invenitur. — 118. *quo profectus sum*, i. e. quo ire institui, cf. Ter. Eun. 280: „Detineo te; fortasse tu profectus alio fueras“. Plaut. Rud. 847: „Quom ad me profectus's ire“. — *postidea* olim emend.;

errorem codicum „postidem“ Pareus et Wagner. tueri conantur comparata forma „indidem“, ex qua vel maxime apparet huius nullam esse rationem. — 119. *quantum potero*, *tantum*, i. e. quam celerrime, cf. ad Amph. 964.

---

120 sqq. Eunomia matrona cum Megadoro fratre agit, ut uxorem ducat. Huius scenæ prior pars, v. 120—153, proprie cantata videtur, nam numeris admodum variis composita est, et ita quidem ut plerumque creticis, vel bacchiacis, rhythmis moveatur, sed intermixtis aliis, etiam anapæsticis, numeris tandem in trochaicos septenarios abeat, qui posteriorem scenæ partem, a v. 154, obtinent. Itaque, si cod. B sequimur, hæc fere metrica huius partis species est.

120 tetrameter bacchiacus

⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ —

122—124 tetrametri bacchiaci

125 aut eiusdem modi, si hiatum statuas ante ultimum trochæum, aut, si cum proximo coniungendus est,

⏑ — — — — — ⏑ — — —

126 ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏑ ⏑ — — — —

127—129 tetram. bacch.

130 — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑

131 ⏑ — — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ — — — —

132 — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — — —

133 ⏑ — — ⏑ ⏑ — — — — ⏑ — — — —

134 tetram. bacch.

135 — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑

136 ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ —

137 ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — ⏑ —

138 ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — — — — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — — ⏑ —

139 — — — — — — — — — ⏑ —

140 — ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — — —

141 — ⏑ — — ⏑ — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ ⏑ — — —

142 ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ tum tetram. bacch.

143 ⏑ — — ⏑ — ⏑ ⏑ — — — — ⏑ — — ⏑ — — (codd. tetr. bacch. cum clausula huiusmodi: ⏑ ⏑ — — —)

144 ⏑ ⏑ — — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑
145 tetrameter anapæsticus
146 et 147 anapæstici videntur
148 ⏑ — — ⏑ — — ⏑ ⏑ — — —
149 — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — — ⏑ —
150 — — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — —
151 — — ⏑ — — — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑
152 ⏑ — — ⏑ — — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — —
153 ⏑ — — ⏑ — — — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑

120. Eunomia testatur se pro sua fide id agere, quod fratri conducat. Post *me* hiatus; Hermann. aliique „med" scripserunt; me quidem longa syllaba non minus offenderet quam hiatus. — 121. Hic versus, qui in cod. B cum antecedenti coniungitur, quasi clausula eius appellari potest; Studem. duo cola iambica semiquinaria appellat; ego, si nomine opus sit, dimetrum iambicum dicere malim. Reizius tetrametrum bacchiacum efficere conabatur scribens: „Meái fidéi tuáique réi", nec nos genetivos primæ declinationis in ai a Plauto abiudicare audemus (vid. Amph. 355. 363), sed in forma a codicibus omnino aliena summa cautio adhibenda est. Quod extremo versui additur in B et D „hæc" suprascripto „vel hoc", in I „hoc", iure delevit Weis.; superiores fere: „hoc rei". — 123. *haud falsa sum*, i. e. non me fallit, cf. Men. 742: „Sed id quam facile sit mihi, haud sum falsus". Trucul. 772: „quid sit negoti, falsus incertusque sum". Ter. Eun. 274: „Ut falsus animist!" — *nos*, mulieres. — 124. *multum* pro adverbio est, cf. Stich. 210: „multum miseri". Hor. Ep. I, 10, 3: „multum dissimiles" al. De loquacitate mulierum vulgo queruntur antiqui, v. Aristoph. Eccl. 120: *Τίς δ', ὦ μέλ', ἡμῶν οὐ λαλεῖν ἐπίσταται;* Plaut. Rud. 1114: „tacitast melior mulier semper quam loquens". — 125 si tetrameter bacchiacus est, hiatur post *ullam*, sed fieri potest, ut cum hoc versu proximus pro clausula coniungendus sit ut 121 cum 120, et 126 quoque Studem. ut 121 ex duobus pentemim. iamb. compositum statuit. Ritschelius (Neue Excurse I, p. 63) „ullod" scribit. — 128. Hunc quoque cum Bothio aliisque tetrametrum integrum feci transpositis: „esse item" et producta ultima pronominum mihi et tibi; sed fortasse audacius feci. — 129. *Ut*

codd.; sed nec exclamatio hic locum habet nec comparatio. Aut cum Hario „unde“ scribendum, aut cum plerisque edd. *ita*, quod propius a codd. abesse videtur. — *utrique*, cf. Capt. 397, genetivus esse videtur, v. Pers. 343: „in uentris rem uidebitur“. Ter. Hec. 102: „in rem est Bacchidis“. infra 147 aliaque similia, v. Luchs., Genetivbildung der lat. Pronomina p. 8. — 130. *me*, quod propter sensum abesse non potest, iam in cod. I additur. — 131 ut tetrametrum facerent, Seyffert. transp.: „haberi id“, Geppert. et Wagn. „neque metu“ scripserunt; sed codd. *per metum*, quod cur mutemus, nulla causa est, sive neglecta positione pro tetram. bacch. habemus, sive alios numeros sequimur. — *mussare* et mussitare antiquos tacendi significatione posuisse constat, v. Merc. 51: „mussans conloqui abnuere“. Cas. 636: „metu mussitant“. Mil. 479: „si sapis, mussitabis“. Pseud. 501: „Non a me scibas pistrinum in mundo tibi, Quom ea mussitabas? PS. Scibam. SI. Cur non dictum est mihi?“ Trucul. 311: „Egone hæc mussitem?“ Vet. com. apud Fest. p. 298: „quod potes, sile, cela, occulta, tege, tace, mussa“. Liv. XXVIII, 40, 2: „quum ceteri per metum aut ambitionem mussarent, Q. Fabius etc.“ Sallust. Hist. III, fr. 81, 8: „quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunicia loqui ausus mussantibus vobis circumventus erat“. — 132. *Quin ... ut* ferri non potest. Fuerunt qui „ut“ delerent; sed unde ortum sit, parum intelligitur. Mihi *ut facias* male additum videtur a lectore, cui *participem* adiectivum videretur. Verbum Plautus voluisse videtur, v. Cist. 162: „paternum seruom sui participat consili“. Mil. 264: „ille non pote quin sermone suo aliquem familiarium Participauerit de amica erili“. Pers. 755: „Nunc ob eam rem inter participes didam praedam et participabo“. — 133. Ut tetrametrum legitimum faceret, Müller p. 184: „Eo nunc [ego] secreto foras te huc seduxi“. Ad phrasin cf. Pompon. v. 142: „Ego dedita opera te, pater, solum foras Seduxi, ut ne quis esset testis tertius Praeter nos“. — 134. Ut tetr. bacch. constaret, Wagner. pro *Ut* „Uti“ scribebat. — *tuam rem loquerer*, i. e. de tua re, cf. 764. Men. 317: „Quas mulieres, quos tu parasitos loquere?“ Liv. V, 5, 6. 54, 5. — 135—142. Hos versus Weis. spurios iudicavit, sed nec sententiæ a Plauto alienæ sunt et oratio, si vitia

emendaveris, prorsus Plautina. Idem dici potest de versibus 147—50, quos et ipsos Weisius seclusit. — 136. Eunomia, quod se frater optumam feminam appellasset, quasi de re incredibili quærit: *Ubi ea est? quis ea est?* Quæ in codd. sequuntur: *Nam optuma?* (unde editores „quis ea est nam optuma?“ fecerunt; sed „quisnam illa optuma est?“ dicendum erat), vitiosa anticipatione ex proximo versu orta sunt. *quis* autem feminino genere pro „quae“ Diomedes, Charisius aliique afferunt ex Pacuvio, v. 239: „Quis tu es mulier, quae me insueto nuncupasti nomine?“ Item Cæcil. 153: „Quis uostrarum fuit integra aetatula, quæ etc.“ Enn. 345: „Quis illaec est, quae lugubri succincta est stola?“ Similiter „quisquam“ Næv. 90 sq., „quisquis“ Livius. Cæcil., Pacuv. apud Nou p. 197. — 137. *te*, immo „me“ potius; sed generalis est sententia; „te“ ex repetitione vicinarum litterarum ortum est. — *equidem*, v. ad Amph. 757. — Voc. *optuma* Herm. Both. delerunt; sed propter sensum abesse non potest. — 138—152 Müller., Nachträge p. 119 aliter ordinare conatur; nos codicis distributionem secuti sumus. — 139. *istaec* B ab initio, sed *e* expunctum est. — 140. *Da mihi operam*, i. e. audi me, vid. ad Asin. 446. Responsio propriam verborum vim amplectitur. — 141. De repetito *id* v. ad Asin. 523. — 142. Ex corrupto „facto“ codicis B ceteri: „facta“, et sic edd. priores; Dousa: *factum*, recte, cf. Asin. 678. Bacch. 492. Most. 804. Ter. Phorm. 787. Pl. Trucul. 864: „factum cupio“. Apuleius de Magia 61: „qui mihi factum volebat“. Iungendum autem: „Factum volo quod tibi sempiternum salutare sit“. Interrumpitur fratris interlocutione oratio, vid. ad Amph. 1136. Wagn. ante „quod“ excidisse putabat: „uolim consulas“. — *sempiternum* pro adverbio ponitur, ut æternum Verg. G. II, 400. Æn. VI, 401. 617. — 143. *Liberis procreandis*, hæc cum sequentibus *uolo te uxorem domum ducere* iungenda esse, omnes viderunt. Si codices sequimur, ea interrumpit Megadorus verbis *Ita di faxint!* (cf. infra 249. 781. Seyffert. Stud. Plaut. p. 2 sq.); sed præpostera est talis interruptio, nec eiusdem, qui eadem de causa „Ei occidi!“ exclamat. Quare Lambinus transpositis verbis scr. „ME. Ita di faxint! EU. Uolo te liberis procreandis uxorem . .“, ut optatum Megadori ad antecedentia „Quod salutare sit“ refe-

ratur. Ac profecto aut hæc verba „Ita di faxint“ transponenda sunt, aut pro spuriis eiicienda, ut voluit Francken., nam quod Wagnerus fecit, ut totam orationem Eunomiæ continuaret eique parenthetice interponeret optatum de liberis, nimis obscurum est. — 144. *Occidi*, i. e. perii, v. Capt. 610. Pseud. 39. Weis. Brix. Wagn. „occidis“ scripserunt, cf. infra 712. Men. 906. Pseud. 936. Ter. Phorm. 672. Non opus. — 145. Tam dura eius dicta esse dicit, ut *lapides* videantur lapidumque iactatorum modo *cerebrum* suum ex capite *excutiant*, cf. Capt. 596. Casin. 616: „tibi cerebrum dispercutiam“. — 146. Trimetri huius anapæstici altera dipodia („te iubet soror. Si“ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ —) minime grata est. Concisa eiusmodi metra anapæstica Sisenna apud Rufinum 1, 23 dixisse videtur, quamquam aliter intellexit Christ., Metrik p. 108. — 147, si post *tuam* hiatur, anapæsticus trimeter fit, si coniunguntur syllabæ, dipodia iambica cum dimetro anapæstico. — 148 eodem versu cum antecedenti in B scribitur, sed spatio trium aut quattuor litterarum interiecto. In I excidit versus; Wagner. pro spurio habuit; edd.: „si quam“, quo minime opus. — 149. *perendie*, die crastinum sequente, cf. Merc. 369. Stich. 516. — *foras feratur*, i. e. efferatur, sepeliatur. Lambinus contulit Hipponactis versus: *Δύ' ἡμέραι γυναικός εἰσιν ἥδισται, Ὅταν γαμῇ τις κἀκφέρῃ τεθνηκυῖαν*, et Chæremonis: *Γυναῖκα θάπτειν κρεῖσσόν ἐστιν ἢ γαμεῖν*. — *soror* Both. ante „feratur“ posuit, Wagn. etiam delevit. — 150. *quam dare uis* ex v. 148 temere repetitum delevi; Wagn. solum v. „dare“ expunxit. — *nuptias adorna*, cf. Cas. 396. — 152. *est grandior natu*, i. e. ultra adulescentiam, mediæ ætatis, quod explicandi causa addit. Bothius et Wagn. „es grandior“ scripserunt, quod si voluisset Plautus, nec „sed“ posuisset, nec pronomen „tu“ omisisset. — *media ætas*, cf. Cic. Cat. mai. 17, 60. 20, 76: „Sunt pueritiæ certa studia; num igitur ea desiderant adulescentes? Sunt ineuntis adulescentiæ; num ea constans iam requirit ætas, quæ media dicitur? Sunt etiam eius ætatis; ne ea quidem quæruntur in senectute“.

154. Trochaicis septenariis reliqua scenæ pars scripta est. *Num non uis?* i. e. num vetas? Wagner. antiquitatis causa „neuis“ scripsit. Both. Weis. „Numnam“, prave. — 155. *me-*

dia sc. ætate, ablat. descriptionis ut „quam maxima dote“ v. 151. Edd. ante Gronovium: „mediam“ ex codd. deterioribus et Festo, qui p. 238 vss. 155—57 affert. — 156. *fortuitu*, pænultima longa, ut Hor. Od. II, 15, 17; corripiunt Manilius I, 182 et Petron. c. 135. — 157. Pro *quin* B ab initio: „quid“, sed correctum est. — *Postumus* vulgo appellatur, qui post patris mortem natus est, ut ait Varro L. L. IX, 60; sed proprie nihil aliud est quam postremus, ut eodem nomine significari possit, quicunque omni expectatione serius nascitur. Sic Vergilius Æn. VI, 763: „Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles“, quod recte explicat Cæsellius apud Gellium II, 16, 5. Megadorus veretur, ne homines tali nomine patrem filiumque illudant. — 158. *demam*. Nonius „degam“ legerat, unde p. 278 „degere“ inquit „est etiam minuere“ (!), qui quod præterea affert Epid. 66, ibi codd. Plautini recte „detegetur“. — 159. Idem versus extat Capt. 323. Pers. 391: „Pol deum virtute dicam et maiorum meum“. *deum uirtute*, i. e. beneficio, extat etiam Trin. 346. 355. Mil. 677. 680; „tua uirtute“ Trucul. 728. — *nostrum* post Guietum editur. — 160. *Factio* apud Plautum est faciendi ratio, v. Bacch. 838. Magna factio, qua magni et opulenti viri utuntur, ut Nonius ait p. 304: „Factio significat opulentiam, abundantiam et nobilitatem. Titinius Setina: metuo hercle, Caeso, ne nimis stulte fecerim, Qui ex tanta factione atque opibus eam sum ausus adgredi“. Tum h. v. affert. Cf. Cistel. 323: „neque nos factione tanta quanta tu sumus, cett.“ Trin. 452. 467. Sed etiam non addita magnitudinis significatione, ut Trin. 491: „deos decent opulentiæ et factiones“. ib. 497; cf. infra 220: „factiosum“. — *dapsilis*, Græcum δαψιλής, cf. Most. 967. Pseud. 396. 1262. — 161. *Clamores*, imperitantium, ut apparet ex vocabulo, quod additur. — *eburata uehicla* codd., quo tertius pes proceleusmaticus fit; „eburna“ Guiet. et Wagn. ad posterioris temporis rationem; illud Plautinum est, v. Stich. 378: „lectos eburatos, auratos“. Luxuriam Romanorum etiam in vehiculis Catonem censorem castigasse constat ex Liv. XXXIX, 44, 2. Plut. Cat. 18, 2. — *palla*, splendidum fere mulierum et citharœdorum indumentum, v. Men. 130 al. — 162. Errores manifestos codicis B

ceteri corrigunt. *Sumptus* ait tantos ad eam magnificentiam tuendam requiri, ut absumpta re familiari vir servire cogatur. — 163. Pro *quæso* Priscian. XIII, 13 „si audes", i. e. sodes, legit; recepit Both. — 164. *Nostin* pronuntiandum videtur. Weis. „Nouisti" ed. — 168. *Di bene uortant!* solemnis in hac re precatio, v. 249. 264. Trin. 572. — *num quid* Both. aliique, vid. ad Amph. 538. Sed non opus, quod idem præterea „Quidni?" scripsit, aut Müller.: „Num quid nunc me uis?" — 169. *Et tu*, sc. uale, quod sæpe additur, ut Bacch. 603. Mil. 1307. 1343. 1352. Poen. 811. 1079. 1358. Rud. 416, sæpe omittitur, ut Capt. 1004. Cas. 518. Poen. 1042. Pers. 708. Stich. 94. Truc. 124. Ter. Eun. 191. Hec. 83. — Post *conueniam* hiatus legitimus in diæresi. — 170. Excidisse aliquid numeri ostendunt. Alii aliter supplerunt; nos secuti sumus, quod proposuit Klette., Exercit. Terent. p. 21.

171. Euclio, quem spes parum certa largitionis domo exciverat, propere redit thesauro timens. *Praesagibat.* Cicer. Divinat. I, 31, 65: „Neque enim illud verbum temere consuetudo approbavisset, si ea res nulla esset omnino: „Praesagibat animus frustra me ire, quum exirem domo"". (Cicero non omnino accurate versum memoria tenuit.) „Sagire enim sentire acute est... Is igitur, qui ante sagit quam oblata res est, dicitur præsagire, id est futura ante sentire". Ter. Heaut. 236: „Nescio quid profecto mihi animus praesagit mali". — *exibam.* Rasura codicis B indicare videtur ibi ab initio „exigebam" fuisse. — 172. *curialium* etc. vid. ad 107. — 174. *properare propero*, cf. Capt. 247: „meminisse ut memineris". Poen. 430: „Pergin pergere?" dett. codd. „properabo". — 176. *recten* (B. ab initio: „retten") cf. Amph. 576: „Equidem ualeo et saluos sum recte". Varro R. R. II, 2, 6: „recte sanus". — 177. *Non temerarium est*, cf. Asin. 260. — 178. *scit me*, versus causa transposuit Both. — 179. *a pecunia perbene*, si codicum ordo retinetur, „pecunia" tribus syllabis legendum, *i* cum *a* coalescente, cf. 764; Guiet. transpos. „perbene a pecunia". *a pecunia*, i. e. si pecuniam spectes, cf. Epid. 130: „A morbo ualui, ab animo aeger fui". Trucul. 820: „ab ingenio inprobus est". Ter. Heaut. 13: „tantum poterit a facundia". — 180. Versus causa Wagner. et Francken.

cum Hario pro *satis* scr. „sat"; Koch. in Ann. phil. CVII, p. 840 *bene* delebat. — 181. *perspicue palam est*, cf. ad Amph. 651. — 182. *domi*, i. e. quum domum venero. — 184. *grandem*, adultam. Cic. in Pison. 36, 87: „grandis iam puer". — *dote cassam*, i. e. carentem, ut „cassum lumine" Lucretius et Vergilius. Nugatur Nonius p. 45. — Idem iterum p. 340 hunc versum affert ad *locandi* verbum. Varro autem L. L. V, 14: „Ut nunc dicunt conlocatum, veteres id (sc. locatum) dicere solitos apparet apud Plautum: Filiam habeo grandem cett." cf. infra v. 221. Cist. 390. Trin. 782. Cic. Philip. II, 18, 44. — 186. *dabitur*, sc. dos. — B: *adiubare*, supra scripto *be*. — 187. *inhiat aurum*, cf. 259. Mil. 716: „bona mea inhiant." Stich. 605: „illic homo tuam hereditatem inhiat". Trucul. 338. Cæcil. v. 147: „dum eius mortem inhio". Porcius in Sueton. Vita Terentii: „Dum Africani uocem diuinam inhiat auidis auribus". al. Posteriores poetæ cum dativo iungunt, ut Senec. Her. fur. 166: „gazis inhiare". — 188. Cum cane se comparat, cui aliquis panem ostentat, quo facilius hac spe securum lapide percutiat. — 190. *Ubi*, vid. ad Asin. 502. — *zamiam*, i. e. ζημίαν. Doricam formam ex Magna Græcia adsciverunt Romani. Aristoph. Plut. 1124 eadem significatione ἐπολεις ζημίαν. *Onerare alicui zamiam* est, ut Ciceroniano verbo utamur, iniungere alicui detrimentum. Francken. „ornat"; sed non sine causa illa manus benigne imposita cum onere comparatur. Obiecta verbi eodem modo disponuntur apud Verg. Æn. I, 195: „Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes". VIII, 180: „onerantque canistris dona". — 191. Post *qui* hiatus. — *ubi* scribendum esse olim intellectum est, nisi quod Gruterus „sibi" posuit; sed plerique „ubi quid" ediderunt; Wagn. „ubi quidque", coll. Poen. 106. 107. Trucul. 251. Bacch. 468. Capt. 498; sed etiam „ubi quidquid" probum est, vid. ad Asin. 324. — *tetigerunt* scripsi cum I ceterisque deterioribus, nam coniunctivi rationem nullam video. Eandem formam metri causa commendat Luchs. in Studem. Stud. I, p. 14. — 192. *est quod te volo*, cf. Asin. 230. Comment. ad Amph. 167. Versum hunc Nonius p. 529 sic affert: „Da mihi operam parumper, si opera est, Euclio, id quod te uolo", quæ si cui præferenda videntur, scribendum: „est quod te uolo". Ut Plau-

tini codd. Terent. Andr. 29: „Adesdum; paucis te uolo“. — 194. *harpagatum*, ereptum, quasi harpagone sublatum, cf. Bacch. 654. Pseud. 139. 962. — *eam rem*, i. e. de ea re, quasi non *adire ad pactionem* sequeretur, sed pacisci; cf. ad Amph. 515. — 195. *interuisam domum*, cf. 196. Merc. 546: „Interea tamen intro ad me huc inuisam domum“. — 196. Numeris deficientibus alii aliter succurrerunt editores. Acidalius: „Quonam abis? . . . namque est“, Both. „Quo abis?“ (cum hiatu) „EU. Iamiam . . . namque“. Wagn. „Iam huc . . . . namque“. Ritsch., Neue Excurse I, p. 80: „Quod abis? . . . . nam est quod inuisam domum“. — 197—99. Hæc Megadorus secum, postquam domum intravit Euclio. — *despondeat*, sc. eam. — 199. *Neque* etc. Wagnero quum inter hunc versum et antecedentem nullus sententiarum nexus intercedere videretur, excidisse aliquid putabat ad hanc fere sententiam. „Etenim se meis opibus parem esse suasque fortunas ad meos sumptus æquandos sufficere negabit“. Sed sententiæ hiatus vix maior est, quam qui facile in sermone hominum oriatur et a quovis intelligatur. Derideri, inquit, se arbitrabitur, neque hoc miror, nam parsimonia omnes superat, ut profecto ridiculus sit, qui eum vel indotatæ filiæ nuptias facturum esse credere possit. — *alter*, Francken. conf. Amph. 1062. Poen. 828: „neque periurior neque peior alter usquamst gentium“. — *ex paupertate*, i. e. in paupertate, nec pauperum numerus significatur, sed ea vitæ condicio, unde oritur parsimonia. — 200. Euclio postquam thesaurum salvum esse vidit, lætus redit, deosque sibi propitios prædicat; *salua res est*, olim emendatum; salvum enim, inquit, est quidquid non perit: generalis sententia, superflua illa quidem, sed ab Euclionis ingenio non est alienum in ea morari. Vahlen. in Herm. X, p. 460 parum feliciter coniecit: „si quid comperit“ (sc. Megadorus). Francken. hac interpunctione utitur: „saluomst si quid, non perit“. — 201. *redii* iam in ceteris codd. emendatum. — 202. *si quid me uis*, cf. 210. Capt. 973. Cas. 330. al. „te uolo“ Capt. 597. 972. Trin. 516. al. „Quis me uolt?“ Ter. Andr. 872.

204. *mihi* versu iubente delerunt Harius aliique; Wr. „Dum quidem ne, quod perconteris, mihi non lubeat pro-

loqui". Seyffert., Stud. Plaut. p. 4: „mihi haud lubeat". — 206. *Quid?* inquit, quali *fide* me arbitraris esse? — Posteriorem versus partem Nonius attulit p. 454 sq. — 208. *mala* ante malitiam abundat, ut multa. Pessime Nonius p. 454 propter hunc versum „Malitiam" inquit „veteres, ut dolum, medium ponendam esse duxerunt, quasi sit et bona". *sine omni malitia* legitur etiam Trin. 338; i. e. sine ulla, cf. infra 598. Trucul. 562: „sine bona omni gratia". Ter. Andr. 391: „sine omni periclo". Cic. Orat. II, 1, 5: „sine omni sapientia". — 209. *arbitror* ultima longa, v. Proleg. p. 195. — *Aurum huic olet*, vid. ad Amph. 317. — 211. *Quæ res recte uortat*, i. e. bene vertat, solemnis præfatio. — 213. *decorum tuis factis*, ablativus additur adiectivo ut „digno", cf. Mil. 620: „neque te decora neque tuis uirtutibus". — 214. *innoxium abs te*, qui nihil noxæ in te commisit. Pro *abs tuis* B ab initio: „abstitis". — 216. Cf. Trin. 448: „Neque te derisum ueni neque dignum puto", sc. qui ridearis. — 219. Ante *hominem* hiatus, v. Proleg. p. 221. Acidalius aliique „ted" scripserunt, Spengel., Plaut. 229: „homonem". — 220. *autem* Brixius emendavit; recepit Wagner. — 223. *Ubi* repetitur non per anaphoram, sed quo nova addatur condicio superiori subiuncta, id quod non raro fit in voc. „si", vid. Stich. 523 sq. „Nimiast uoluptas, si diu afueris a domo, Domum si redieris, si ibi nullast aegritudo animo obuiam". Sæpius etiam Græci, v. Madv. Synt. Gr. 194 a not. 3. Stallbaum. ad Platon. Theæt. 147 A. — 224. *magis haud*. Ad accuratam dicendi rationem „haud magis" ponendum erat, itaque edidit Weisius. Sed videtur Plautus, ut omnino in verborum ordine liberior est, ita etiam negandi particulam interdum postposuisse, cf. Trin. 233: „de hac re mihi satis haud liquet". Amph. 673: „eum salutat magis haud quisquam quam canem". 676: „quasi dudum non uideris", quos locos, quum Amphitruonem ederem, pro spuriis habui, quod nollem factum. Præterea Capt. 424. 951. Pseud. 280: „Quia tibi minas uiginti pro amica etiam non dedit", pro „nondum". Curc. 579: „Ut ego tua magnifica uerba neque istas tuas magnas minas Non pluris facio quam . . .", ubi ita præcipitur animo negatio sequens, ut etiam „neque" pro „atque" ponatur. — *quasi*, i. e. quam

si, v. ad Amph. 1094. — 225. Post *me* hiatus; Acidalius aliique „med“. — 226. *stabile stabulum*, Plautina parechesis, v. ad Amph 274. Nec apud suos nec apud Megadori amicos se consistere posse dicit, si forte divortium factum fuerit. Cf. Most. 343: „Occidit spes nostra, nusquam stabulumst confidentiæ“. — 227. *mordicus me*, sic verba transposuit Ritsch., Proleg. Trin. p. CLI. Plerique „mordicibus“ ediderunt errorem secuti Nonii p. 139: „Mordicibus et mordicus pro morsu, pro morsibus. Plautus Aulularia: Asini me mordicibus scindant, boues incursent cornibus“; sed mordices, quo dentes significari putant, non est Latinum. Gruterus „mordicitus“ corrigebat, sed ne hæc quidem forma ullam habet auctoritatem; cf. Ritsch. Op. II, p. 247 sq. — *boues* pro monosyllabo habuit Ritsch., v. Proleg. nostra p. 214; nos et in hoc et in proximo versu potius positionem neglectam statuimus. — 228. Ritsch. l. l. transpos. „ab asinis me ad boues“. Si quid mutandum esset, potius *me* delerem; sed offendere non debet „me transscendere“ pro „si transscendam“ positum. *Hoc* ablativus est, ut Amph. 164. 250. Mil. 299. Pseud. 827. al. Hor. Sat. I, 1, 46. Verg. Æn. IX, 492. — 229. *Quam proxume, tam optumum*, i. e. quo propius, eo melius; cf. Capt. 351. Trucul. 173: „Quam primum expugnari potis est, tam id optumumst amicae“. Merc. 120. Terent. Ad. 501 sqq. Heaut. 997 sq. Cat. R. R. 157: „quam plurimum ederit, tam citissime sanus fiet ex eo morbo“. Sall. Iug. 31, 14: „quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est“. — 230 Nonius p. 240 et corruptum affert: „optumus tu conditionem hanc accipe“, et male explicat: „accipere, admittere“. — 231. *mihi* cum proximo *At* coalescit. — *ne duas* legitur etiam Merc. 395; alibi „ne duis“, v. Capt. 330. Rud. 1368. Similis est coniunctivi forma „creduas“, v. Bacch. 473. — 232. Versum affert Nonius p. 434. — 235. *Num* codd. præter recentissimos, unde „Non“ vulgo edd. ad Wagn.; Müller. „Nunc“ voluit; sed interrogatio non minus apta est, cf. 381. — *disperii* gravius est quam „perii“, cf. Trin. 1089. Ter. Ad. 355. Wagn. ad h. l. — *Quid tibi est?* Megadorus miratur Euclionem subito timore percussum aliud agere. Weis. „tibi“ delevit, temere. Euclio respondet perturbationis causam esse, quod sibi ferri crepitum

audire visus sit. *quod* recte B. prim. man., cett. codd. et edd. „quid“. Post hunc versum Ritsch., Prol. Trin. p. CXXX eum addebat, qui in codd. est 385: „Nimirum occidor, nisi ego intro huc propere propero currere“. Quae si re vera dixit Euclio, tam summissa voce dixerit necesse est, ut Megadorus nihil audierit. — 236. Megadoro relicto domum Euclio se praecipitat. *confodere iussi*, omisso obiecto, cf. 345: „iussit mittere“. Madv. Gr. Lat. 390, not. 3. — *hic* olim emendatum. Gruterus apud Taubman. „hinc eit“ suspicatus est, i. e. it vel iit, quod recepit Wagn.; sed tum etiam „quo“ requiritur. — 237. *neque me certiorem fecit*, utrum filiam suam mihi despondere velit an non; cf. Pseud. 629. — *Fastidit mei*, me spernit. Posteriores huic verbo accusativum adiungunt, antiquiores genetivum, vid. Non. p. 496, qui praeter hunc locum alios Titinii, Turpilii, Lucilii locos affert. Etiam Stich. 335 scribendum est: „Mein fastidis?“ — 240. *congrediri* em. Acidalius. — 241. *occasio illaec*, transpos. Harius, ne „occasio“ trisyllabum sit. *periit*, Gruterus. — 242. Euclio iterum exiens Staphylae in aedibus servanti minatur se linguam ab radicibus evulsurum. *elinguandam dedero*, sc. carnificibus, cf. proximo versu *loces*. — 243. Versus parum plene traditus; in B primum scriptum est *ut me cui castrandum*, deinde suprascripta *tu* et *uis*, quorum hoc quidem et uerum esse apparet et in ceteris codd. extat; „tu“ dubium est, quo retento Guietus: „impero auctorque ego sum“; mihi „tibi“ sufficere videbatur. *auctor sum*, cf. Poen. 146. — 244. *te* extat in ceteris codd. Müller. „Uideo ego hercle: me arbitraris“, sed hiatus in diaeresi legitimus est. — 245. *senecta aetate* v. Amph. 1025. *ludos facias* Amph. 567. — 246. *neque copia est*, neque possim, cf. Epid. 163. Ter. Eun. 638: „si non tangendi copiast, Eho, ne uidendi quidem erit?“ — 247. *etiam*, vid. ad. Asin. 670 et 707. — 248. *Sponden* etc., solita sponsionis formula, cf. Curc. 672. Poen. 1165. Trin. 502. Capt. 892. — 249. Versus iusto longior est. Francken. *facito* (pro quo B pr. man. „scito“) delebat; rectius Weisius et Langen., Mus. Rhen. XII, 431 *Istuc* sustulerunt, quod minime aptum est, quamquam aliquo modo intelligi potest, si cum codd. haec verba Euclioni tribuimus; non potest, si

Acidalii sequimur personarum distributionem: „ME. Istuc di bene uortant. EU. Ita di faxint, tu illud etc.“, quam plerique adoptarunt. — 251. *scio quo uos.* Becker. in Studem. Stud. I, p. 260: „scio uos quo“. — *perplexarier* i. e. perplexe agere, cf. Ter. Eun. 817: „perplexe loqui“. Plaut. Asin. 785: „uerbum perplexabile“. Mil. 437: „perplexo nomine“. — 252. *quod uobis lubet*, ℞ e. quantum lubet, cf. Cas. 927: „quod uolet“. Capt. 664: „quod in te fuit“. Mil. 1153: „quod ego potero“. Ter. Heaut. 416. 1038 item. Eun. 214. 215: „quod poteris.“ Cicer. ad Attic. I, 5, 7: „quod sine molestia tua facere poteris“; quamquam Cicero sæpius in eiusmodi sententiis coniunctivum ponit, v. Madv. Gr. Lat. 364, not. 2. Alibi apud Plautum „quoad“, ut Asin. 294: „quoad uires ualent.“ Men. 758: „est modus tamen, quoad pati uxorem oportet“. Itaque quod Müller., Nachtr. p. 33 „quom“ coniecit, eo non opus. — 254. *faciamus* olim emendatum; cf. ad Amph. 845. — *Immo edepol optuma*, sic codd., quod si quis retinendum censet, versum excidisse statuat necesse est. Nam si Euclio optimam esse causam dixit, cur nuptiæ non fierent, non potuit non causam addere, velut se non habere unde nuptialem cenam faceret, et Megadorum respondere oportuit, suam hanc curam fore. Verum Euclioni ne in mentem quidem venit sibi talem sumptum imponi posse. Apparet eum non repugnare, quo minus nuptiæ statim fiant, sed assentiri. Sic autem dicendum, aut nullam causam esse, ut Amph. l. l., aut simpliciter consilium probandum, ut Trin. 1188: „Num quid causaest quin uxorem cras domum ducam? CH. Optumumst.“ Itaque olim et hic et simili loco Capt. 352 emendatum est *optume.* Sed versus claudicat, nam non est veri simile priorem syllabam vocis *Immo* corripi. Quare Harius et Weis. deleto „est“ edd. „num quae causa?“ Wagn. „numquaest causa?“ Brix. „Immo hercle optume“, iusto licentius, quamquam defendit etiam Seyffert., Stud. Plaut. p. 4; facilius aut „Immo“ aut „edepol“ omitteretur. — 255. *Num quid uis me?* cf. 168. Hoc ordine B, cett. codd. et edd. „Numquid me uis?“ Unde Wagner. versus causa „'stuc“ scripsit; sed mihi quidem nec Lachmannus (ad Lucret. p. 179) nec Corssen. (Ausspr. d. Lat. II, p. 82) eiusmodi formas vere Latinas esse persuasit. *Istuc* autem signi-

ficat „id quod modo dixisti, te nuptias paraturum"; nihil aliud vult Euclio, cf. Bacch. 753. Proxima verba codd. Euclioni continuant; Megadoro tribuenda esse Acidalius vidit. — 256. Servum vocat, ut se comitetur. *propere ... strenue*, Plautina abundantia. Cf. Bacch. 371. Mil. 177: „repente subito". Rud. 1323: „Eloquere propere celeriter". Cur. 363: „exinde ilico".

257—59. Hæc Euclio secum, postquam abiit Megadorus. *Illic hinc abiit*, cf. 452. Capt. 895. Epid. 81. Mil. 587. Poen. 442. — 258. *inaudivisse* Nonius p. 500, ubi hunc versum et principium sequentis affert, *Id inhiat*, nominativum dicens pro dativo positum. Accusativum esse vidimus v. 187. *id* autem aurum est, ut v. 8, vel, si hoc mavis, ad totum genus refertur. Wagn. contulit Asin. 89: „Uiginti iam usust filio argenti minis; Face id ut paratum iam sit". Trin. 405: „Minas quadraginta accepisti ... Quid factumst eo?" Brix. ad Mil. 43 addit Trin. 152 sq.: „Nummorum Philippeum ad tria milia. Id etc." — *obstinauit*, i. e. ita animo proposuit, ut inde depelli nequeat, cf. Liv. XXIII, 29, 7: „obstinaverant animis aut vincere aut mori".

260. Euclio Staphylam evocat, ut ei imperet, quæ opus sint. Wagn. huiusmodi fere versum excidisse putabat: „Certe anus huic indicium fecit; iam illanc evocavero". Equidem nihil desidero. *deblaterauisti*, sic iam I (deblatrauisti) aliique recentiores, ut videtur ex Nonio, qui p. 44: „blatis et blateras confingis aut incondite et inaniter loqueris ..... aut a balatu. Plautus in Amphitryone (620) ... in Aululariа: ubi tu es, quae deblaterasti iam uicinis omnibus?" Fest. Ep. p. 34: „blaterare est stulte et præcupide loqui, quod a Græco *βλάξ* originem ducit; sed et camelos, quum voces edunt, blaterare dicimus". Lucil. apud Non. p. 96: „deblaterant; blennus, bonu' rusticu' concinit una". Varro ib. p. 40: „Quid est? quid blateras? (codd. lateras) quid rabis? quid uis tibi?" Hor. Sat. II, 7, 35: „Ecquis audit? cum magno blateras clamore". Gellius et Apuleius „stulta blaterare, vitiosa verba" et similia. — 262. *pure lauare* vulgo dicitur, ut Liv. V, 22, 4. *propera atque elue* i. e. propere elue aut propera eluere, verborum ordine paulo impeditiore, ut supra 97: „uasa .. fures uenisse atque abstulisse". Epid. extr.: „lumbos surgite atque

exporgite". Absint igitur emendandi conatus, ut Acidalii „pura propere" aut „pure properamque", præsertim quum nec illud verbum nec hoc adverbium alibi inveniatur, Guieti „prome propere", Franckenii „purga propere". — 263. *hodie ego* hoc ordine codd., edd. plerumque inverso. — 264. *non potest*, sc. fieri, v. ad Amph. 169. — 265. *abi* altera longa; *atque*, v. Proleg. p. 205; Fr. „Tace tu". — 266. Versus claudicat, Guiet. transposuit: „aedis occlude"; veri similius est excidisse syllabam. Spengel., Plaut. 223: „occludito", Koch., Ann. phil. CVII, 840: „Atque audi, occlude"; nos olim: „Nam quid". — 268. Versum una cum v. 75 affert Nonius p. 217, etiam in voc. *Nunc* consentiens; iure tamen Camerarius „Nam" emendavit. — 269. *non potest*, sc. occultari, cf. Capt. 302. — 270. *ueniat*, coniunctivus propter obliquam orationem, ut v. 265. Curc. 253; v. ad Amph. 952. Wagner.: „ueniet". — 271. Pro corrupto „minixtum" Gruter. „immixtim". Melius Gronovius: „malum maerore mixtum". Francken.: „malum maerorem metuo ne inmixtum (i. e. non mixtum) bibam". Vulgata allegoria, si quid mali tolerandum est, cum potione aut cibo comparatur, cf. Ter. Phorm. 318: „Tute hoc intristi; tibi omnest exedendum".

---

272 sqq. senarii. Strobilus Megadori servus intrat cum coquis duobus tibicinisque duabus in foro conductis opsonioque ibidem empto. De coquis copiose agit Athenæus XIV, p. 658 sqq., qui quod liberalem hanc artem ab initio fuisse docet eiusque rei Alexin auctorem laudat (661 d) Macedonesque demum affirmat servos coquos introduxisse, ac ne in comœdiis quidem, si unum Posidippum exceperis, servos coquos inveniri (658 f), sine dubio fallitur. Antiquis Atheniensibus epularum luxuria parum nota fuit, et aliquamdiu probatissimi coqui Siculi fuisse videntur (661 e. f), et sicubi duo coqui componebantur, alter indigena (Mæson), alter advena (Tettix) (659 a), hic longe præferebatur; sed comica est ea laus et irridendi causa facta. Illud verum est, Athenienses coquos, quales in comœdiis exhibentur, servos domesticos vulgo non habuisse; unum eius rei exemplum extat, Cylindrus Erotii meretricis coquus in Mensechmis; mer-

cede eos conducere solebant, ut in hac fabula, in Curculione, Mercatore, Pseudolo; cf. Aristip. ap. Diog. Laert. II, 72: *καὶ γὰρ ὅταν δεῖπνον ἔχω, μάγειρον μισθοῦμαι.* Pollux IX, 48, qui *μαγειρεῖον* commemorat *τόπον ὅθεν μισθοῦνται τοὺς μαγείρους*, quod Plautus Pseud. 790 „coquinum forum" appellat, Plinius H. N. XVIII, 11, 108 „macellum". Sed hi quoque, qui mercede conducebantur, non raro servi erant a dominis ad tale opus faciendum locati, vid. infra 302. Posidip. ap. Athen. p. 659 d: *κατ' ἀγορὰν ἐργάζομαι, Ἐπρίατο γάρ τις ὁμότεχνός με γνώριμος.* Nec sane, si ingenia coquorum in comœdiis spectamus, a servis differre videntur. Furaces quidem et mendaces semper producuntur, gloriosi præterea et scurrilibus iocis ultra modum gaudentes. Talia *σκώμματα Μαισωνικά* appellata esse Athenæus tradit p. 659 b. — Quod autem duos coquos Megadorus conduxit, in nuptiis laute epulabantur et in sponsi ædibus et in sponsæ, vid. Terent. Andr. 360 sqq., Megadorum autem novimus utrumque curasse.

272. *opsonauit*, activa forma, cf. Bacch. 141; deponens infra 287 et alibi. — 273. *apud forum*, vid. ad Amph. 593. — 274. Quum in hoc versu de solo opsonio dividendo sermo sit, ex responso autem appareat etiam coquos et tibicinas commemoratos fuisse, ut v. 284, Acidalius versum excidisse putavit, eumque multi secuti sunt; Guietus pro *hic* „et hos" scripsit, illepide; equidem, si fortiter corrigere liceret, pro *opsonium hic* scriberem aut „omnia hæc" cum hiatu in cæsura aut, quod fortasse propius abest a codd., „absque inuidia haec". — 275. Numeris deficientibus plerique ita succurrerunt, ut post *Me* „tu" adderent; sed similia sæpius inveniuntur versuum principia, v. Proleg. p. 204; ego malui post *dicam* „tibi" addere. Goetz., Act. soc. Lips. VI, p. 237: „propalam". — *palam* est aperte, diserte, cf. Liv. XXX, 20, 2: „Iam non perplexe, sed palam revocant". Seyffert. in Philol. XXVII, p. 436 „edicam" scribendum censebat, hiatum autem post „quidem" tolerabat. Pessime Lipsius: „Me tu quidem hercle hic tam palam non diuides", quamquam sequuntur Wagner. et Müller. („Me quidem hercle hic hodie tam p."). Obscenitas verbi *dividendi* (quam etiam Cicero commemorat ad Fam. IX, 22, 4: „Non honestum verbum est divisio? At inest obscenum,

cui respondet intercapedo.“) proximis demum versibus ab altero coquo intruditur; hoc loco nondum advocatur. — 277. En, inquit, prostibulum quam belle et pudice loquitur! — 278. *Post*, nisi cui forte Lipsiana scriptura versus 275 placet, non habet, quo referatur, quare cum Wagnero recepi Brixii coniecturam *Pol*, cf. Casin. 345. Hor. Ep. I, 7, 92. Pro *non uelles* Goeller. et Wagn. „neuelles“, cf. 154. — 279. *Atque* quum interdum prope accedat ad adversativæ coniunctionis vim (vid. ad Amph. 948, et cf. Capt. 480. Pseudol. 1026), tamen numquam prorsus idem fit; h. l. edd. iure *Atqui* scripsisse videntur. — *dixeram*, vid. ad Amph. 379. — *aliouorsum*, i. e. animo in aliam sententiam converso, cf. Ter. Eun. 82: „uereor ne . . . aliorsum atque ego feci acceperit“. Propria vi „aliorsum“ Truc. 402. — Proximo versu Both. aliique „quo“ pro *quod* ediderunt; sed Plautus structura minus adstricta voluisse videtur: „non istud dixi, quod tu insimulas“. — 282. Numeris quum aliquid deesse appareat, Dousa „senis“ addit, Kampmann. „hinc“, quem secutus sum. — 283 affert Gellius III, 14, 15, pro *hinc* „hic“ scribens. — 285. *dicis* codd. B D; „ducis“ I ceterique, quod multi prætulerunt enarrantes *πέμπεις*, pompam ducis; nam pompa de coquis et culinariis instrumentis dicitur, ut Casin. 680: „Redit eccum tandem opsonatu meus adiutor; pompam ducit“. Sic autem, ut recte animadvertit Acidalius, necessario „domum“ requiritur, atque etiam cum Bothio „huc“ scribendum. Retenta autem bonorum codicum scriptura *dicis*, dubitationem movet, quod *huic* poeta non „uobis“ opponit, quod versus prohibet, sed *domi*, scil. comedendum esse, ut versus simili negligentia laboret ac 280. — 286. *Nempe* repetitum in responso, cf. Rud. 565. 567. — 287. *senex*, v. Proleg. p. 202. — *filiæ in*, hiatus molestus, cuius pauca exempla collegi Proleg. p. 219. Camerar. „filiai in“ scripsit, Lachmannus ad Lucret. p. 161, quum illam genetivi formam elisionem pati negaret: „filiai nuptiis“, cf. 364. 532. 790, fortasse recte, quoniam his tribus locis abest præpositio.

289. *Pumex* propter ariditatem, qua aquam statim absorbet, in proverbium abiit, cf. Pers. 42: „tu aquam a pumice nunc postulas, qui ipsus sitiat“. Pseud. 75: „Quin fles? PS.

Pumiceos oculos habeo; non queo Lacrumam exorare ut exspuant unam modo". *Aridi* autem dicuntur avari homines, a quibus pecunia elici non possit, cf. Ter. Heaut. 526: „Sed habet patrem quendam auidum miserum atque aridum". Cicer. p. Quinctio 30, 93: „Vitam sibi semper horridam atque aridam cordi fuisse". Ceterum ne quartus pes anapæstus sit, Seyffert., Stud. Plaut. p. 6 „ardus" pronuntiandum censet, ut legitur in lege Puteolana Corp. Inscr. I, 577, 2, 21 et apud Lucil. XXVII, 40; Fleckeis. licentius: „aridus quam". — 290. Vulgo editur: „CO. Ain tandem ita esse, ut dicis? STR. Tute existuma cet." Inepte; nec iniuria talem versum Franckenius pro spurio habuit. Sed verbis *Ain tandem?* nihil addendum est, v. ad Asin. 892, et recte codd. post ea Strobili nomen ponunt. Quod si eius verba sunt, quæ sequuntur, apparet *dicis* pravum esse; nec non errorem animadvertit librarius archetypi, et corrigendi causa adscripsit *co*, quod posterior librarius pro personæ nomine sumpsit. *tute existima*, ipse iudicato. — 291. *Quin* novi aliquid affert eiusdem generis, quod etiam maius videatur, cf. 294. 304. Casin. 578—85. Epid. 248. Mil. 1117. al. — *clamat*, implorat, cf. Petron. 58: „licet Iovem Olympium clames". Ceterum hunc versum quum librarius archetypi errore omisisset, proximo subiunxit. Errorem animadvertit Gulielmus. — 292. *eradicarier*, radicitus evelli, funditus perdi, cf. Truc. 649: „Eradicare est certum cum primis patrem". Merc. 763. Ter. Heaut. 589. — 293. *de suo tigillo*, nam tigillis suspendebantur, quæ fumo conservanda erant, ut pernæ, uvæ passæ, cucurbitæ, sorba, cf. Petron. 135: „Præterea quas fumoso suspensa tigillo Conservabat opes humilis casa"; quin etiam vinum in fumariis conditum esse novimus ex Hor. Od. III, 8, 11. Martial. X, 36. Male Isidorus Orig. XIX, 10 a tegula deducit, et Gruterus caminam interpretatur; Nonius autem p. 134 et corrupte legit: „tuo ligello fuisti qua exis foras", et quod „ligellum tuguriolum, domicilium breve" enarrat, temere confictum est. Quod quum intellexisset Turnebus, „ligillum" coniecit „a ligno ut sigillum a signo. Iacturam" inquit „se facere existimat non solum si vel tantillum ligni in foco uratur, sed etiam si fumus ex eo in auram dissipetur". Quam Taubmannus iure hyperbolen

plus quam poeticam appellavit. Franckenius tamen eandem et scripturam et enarrationem amplectitur; Wagnerus vero, quamvis „tigillum“ scribat, eodem modo enarrat. — 295. Non. p. 234: „ne quid animæ emittat dormiens“; prave. — 296. *inferiorem gutturem* comice anum dicit. Masculini generis nomen est etiam Trin. 1014. Mil. 834. Rem commemorant locumque laudant et Nonius p. 207 et Priscianus V, 21. — 297. *Ne quid* etc. Congrio repetit Strobili verba non sine lepore quodam, quamquam hæc repetitio Bothium ita offendit, ut hunc versum spurium haberet. Legit vero iam Priscianus l. l., nec difficulter numerorum defectui succurritur, sive cum G. I. Vossio „animai“ legas, sive voculam addas, ut Guietus: „Ne quid animæ illac forte“, Gertzius: „Ne ea quid“, aut in principio versus, ut antiquiores „Tum“, Ritsch., Neue Exc. I, p. 49 „Ibi“, Wagn. „STR. Cur?“, ut nihil omnino differat a v. 295. — 298. Strobilus rideri se ægre ferens „Tu“ inquit „si tibi credi vis, mihi quoque credas oportet“. Cf. Poen. 488: „An mihi haec non credis? LY. Credo ut mihi aequomst credier“. Versus in codd. corruptus est. In principio B: *Nec*, quod si verum est, necesse est pro *ut* alterum „nec“ ponatur, quod nec per se veri simile est nec sensum satis commodum præbet. In D ceterisque „Hæc“ correctum est, quod tenuerunt edd., velut Camerar.: „Haec te mihi sic ut tibi me aequom est credere“. Sed recte Acidalius animadvertit pluralem „Haec“ ferri non posse; quamquam ipse licentius, nec elegantius: „Hoc mitte. Id ut mihi te, tibi me aequom est credere. Crede“. Recentiores etiam comparationis membra permutarunt, ut Wagn.: „Haec ut mihi te, tibi me est aequom credere“. Ritsch., Neue Excurse I, p. 49 etiam transponendos versos censuit: „STR. Immo equidem credo. CO. At scin etiam quomodo? STR. Hoc tibi me ut mihi ted aequomst credo credere“. Müller.: „Haec sic tibi me, ut mihi te aequomst, credo credere“. Non animadverterunt *Immo* tum demum ferri posse, si Strobilus questus sit coquum parum sibi credere, v. infra ad v. 774. Hiatus post *me* cæsura defenditur; sed tolli possit, si aut „med“ scribas aut „est aequom“. — 299. Similis hiatus inter duarum personarum verba. *At scin etiam quomodo?* cf. ad Amph. 352, supra v. 47; sed verbum omissum

h. l. ex proxime antecedenti sententia audiri non potest. Intelligitur ex totius loci ratione: „quomodo agere soleat“. — 300. *hercle* versus causa olim transpositum. — *plorat profundere*, i. e. plorat profundi aquam, vel potius profundere gravatur; cf. Hor. Od. III, 10, 4: „me obiicere plorares aquilonibus“. — *lauat*, vid. ad Amph. 795. — 301. *Censen*, i. e. nonne censes? cf. Merc. 452: „Certumnest? DE. Censen certum esse?“ — Codicum scripturam *potest* Francken. defendit collato Rud. 1269; verum ibi interpungi potest: „Censen? Hodie despondebit eam mihi, quaeso?“ Mihi cum plerisque corruptum videtur. Priores edd.: „potesse“, ut versus cum proximo iungeretur, quod in senariis fieri vix potest, Both. „exorarier.“ Wagn. *pote*, omisso verbo substantivo, vel *potis*, ut A in Epid. 224: „At tributus quom inperatus est, negant pendi potis“ (cett. codd. „potesse“). Idem error corrigendus Men. 593: „Clanculum te istaec flagitia facere censebas pote?“ (codd. „potesse“). Trucul. 316: „spero inmutari pote“ (codd. et A „potest“). Capt. 171: „Hoc illum me mutare confido pote“ (codd. „fore“). cf. infra 382. — *talentum magnum* sæpe legitur in comœdiis, v. Curc. 64. Cist. 391. Most. 632. 898. Rud. 778. 1330. Trucul. 832. Ter. Phorm. 644; item C. Gracchus ap. Gellium XI, 10, 6. Significatur Ægineticum talentum; nam antiqua illa nummorum ratio, quam apud Athenienses mutaverat Solon, tamen propter commercium finitimorum populorum vel post plura sæcula nota et interdum usurpata erat, v. Diphil. ap. Athen. VI, 225 b de macellario pretium piscium sibi pendendum ad Ægineticam rationem computante, si quid reddendum sit, Atticos nummos reddente. Rectissime Priscianus de Fig. numer. 2, 10: „Talentum Atheniense parvum minæ sexaginta, magnum minæ octoginta tres et unciæ quattuor“. Vid. Hultsch. Griechische u. römische Metrologie p. 139 sq. et infra ad v. 440. — 302. *qui*, i. e. quo pretio, cf. 369. — *liberi*, v. supra p. 301. — 303. cf. 96. — 304 sq. bis affert Nonius, p. 151 sq.: „*Præsegmina* proprie Plautus in Aulularia ea dici voluit, quæ unguibus eminulis præsecantur: „quin ipse quidem tonsor etc.“ et p. 273: „quin ipse pridem etc.“. *ipsi* recte codd. Plautini. Seyffert. in Philolog. XXV, p. 442 „Quin quom ipsi“ scribendum

censebat, ut v. 294, recte, nisi fallor; nam ungues eum posuisse narrare non opus erat. — 305. *Collegit abstulit*, asyndeton, cf. ad Amph. 13. De verborum ordine v. ad Amph. 290. — 306. *parce parcum*. Repetitio auget, ut sæpe; cf. Cas. 499: „scite scitus". Cist. 516: „homines misere miseri". Pseud. 13: „Misere miser sum". Etiam in cognatis notionibus ut Most. 486: „inepte stultus", sed maxime placuit Plauto parechesis. — 307. Hunc versum, qui in codicibus Strobilo tribuitur, male editores coquo continuant, qui superiore versu suam sententiam absolvit. Immo Strobilus hinc incipit novum avari senis portentum narrare, eum miluo, qui pulmenti aliquid rapuisset, vadimonium apud prætorem constituere voluisse. Incipit autem ab interrogatione *Censen uero* („Kan Du tænke Dig?"). *eum parce*, emendavit Spengel., Plaut. p. 83. (Both. „adeo parcum". Wagn. „adeo parce", omisso „esse"). — 308. Errore huic versui in codd. præscribi coqui personam, facile apparet. Continuatur Strobili sermo, non ita ut post *adeo* sequatur „ut", sed res illo adverbio indicata simpliciter narratur, cf. ad Amph. 952. — Post *pridem* hiatus in cæsura. — *ei* videtur „eii" pronuntiandum, vid. Proleg. p. 216. Müller. „deripuit" scribebat. B prius „ripuit"; „e" addidit, ut videtur, sec. manus. — *pulmentum*, cf. Mil. 351. Pseud. 220. Rud. 937. — *miluus*, v. Proleg. p. 215. — 309. Versum affert Nonius p. 509, sed legerat: „uenit deplorabundus". *plorabundus* D ceterique codd. — 310. *eiulans* iam in B emendatum. — 311. *uadarier*, vadimonium deferre. — 312. *Sescenta*. Donat. ad Ter. Phorm. IV, 3, 63: „Perspicere hinc licet consuetudinem utriusque sermonis. Nam Apollodorus *μυρίας* dixit pro multis, et ut apud Græcos *μύρια*, ita apud nos sexcenta dicere pro multis usitatum est. Cicero: sexcenta possum decreta proferre". — *quae memorem*, i. e. memorare possim. — 313. *uostrorum*, v. ad Amph. 4. — 314. *ut* delevit Both.; Müller. et facilius et accuratius *et* emendavit. Ad furum celeritatem Wagn. contulit Cornicularise fragmentum apud Non. p. 134: „mihi, Lauerna, in furtis celerassis manus". — 315. *ego* codd. Sic oritur hiatus vix ferendus, nec universa dicendi ratio placet. Wagnerus „me"

addit; verisimilius Acidalius aliique *ergo* pro „ego“, cf. Most. 1101: „Aliud te rogo. TR. Aliud ergo nunc tibi respondeo“. v. ad Amph. 172. — *Quid tu ais?* Anthracem alloquitur. Is autem superbus eo se demittere non vult, ut se ipse laudet; interrogandi causam nullam esse dicit. Wagn. contulit Theocr. 22, 58 sq. *Ἄγριος εἶ πρὸς πάντα παλίγκοτος ἢ ὑπερόπτης*; AM. *Τοιόσδ' οἷον ὁρᾷς*. — 316. *Coquos nundinalis*, qui nundinis tantum, quibus plerique coquos desiderant, invenit qui se conducat. Huic, qui nono quoque die coctum it, nobilis coquus opponitur, quotidie et ab opulentis hominibus, qui etiam aliis diebus convivia agant, quæsitus. Commemoravit hoc Festus p. 173 b lacunoso loco, ubi viri docti indicari putarunt, ab aliis legi „nundialem coquum“, eumque significari, qui in novendialibus sacris aut silicerniis vilem cenam coqueret. Quod sive Verrius sive, quod potius credo, recentior aliquis grammaticus excogitavit, probari non potest. — *in nonum diem*, nono quoque die, cf. Stich. 635: „Numquam edepol me uiuom quisquam in crastinum inspiciet diem.“ Ter. Eun. 540: „In hunc diem ut de symbolis essemus.“ Francken. — 317. *Solet ire coctum*, affert Nonius p. 509. — *Tun* iam in B rasura emendatum. — *trium litterarum homo*, i. e. fur, quod palam dicitur proximo versu, nec semel, sed bis. — 318. Omnia eidem personæ continuanda esse vidit Acidalius, quum codices verba „Etiam etc.“ Strobilo, Pareus aliique Congrioni dedissent. — *trifurcifer*, i. e. multifariam furcifer, v. Rud. 734. 735, cf. „trifur“ infra 625, „terueneficus“ Bacch. 808. Supra v. 86. „triparcus“ Pers. 265. „triportentum“ Pacuv. 381.

319. Ante hunc versum in codd. quasi nova scena incipiente præscribuntur personarum nomina et, quod mireris, tenuerunt editores usque ad Wagnerum, qui Danzio auctore scenam continuavit. Fieri potest, ut convicia incepta Anthrax continuaverit, versumque a librario, quia legi non posset, vacuum relictum ista ratione rubricator expleverit; sed nihil certi affirmare audeo. Hanc archetypi codicis paginam labem aliquam contraxisse, apparet ex lacunis proximi versus. — *hinc* et B et D, recte; ceteri „hunc“, unde edd. usque ad Gronovium „agnum horum“. — *uter* et ceteri codd. et B ex emendatione. — 320. Versus lacunosus. Antiqui editores supplerunt: „eum sume

actutum tibi", sed nec „actutum" aptum, nec in solo fine versus aliquid desideratur, sed etiam in principio, nam nulla causa est, cur imperfecta relinquatur Strobili oratio; quare nos utroque loco verba addidimus. Acidalii et Bothii conamina, si quis velit, apud ipsos legat. — *Licet*, v. ad Amph. 540. — 321. *abi intro* ne cum hiatu legatur, Camerarius „intro abi". — *vos*, servos adiutores alloquitur. — 322. *ite huc*, emendavit Luchs. in Herm. VIII, 111. Abit Anthrax cum suis; Congrio manet cum Strobilo de sorte sua expostulaturus.

324. *pinguior tibicina.* Philargyrius ad Verg. Georg. II, 193 hæc laudans explicat „quæ propter assidua sacrificia pinguescit"; quales nugas nolens repeto. — 327. *detrusti* Acidal. em. — 328. Versus olim emendatus ex Nonio p. 164: „*Rauis* est raucitas. Plautus Aulularia (h. l.). Idem Cistellaria (254): Expurgabo hercle omnia ad raucam rauim." Verbum extat Poen. 781: „Nego, et negando, si quid refert, rauio". Vid. Studemund. in Herm. I, p. 298. Versum iterum affert Nonius p. 374; plura Festus dederat, sed locus (p. 274 a) nimis lacunosus est. — 329. *Stultus es*, qui non intelligas, quantum commodi in hac re insit. Sic scripsi, nam quod codd. præbent „Stultus et sine gratia es" corruptum est, primum quia homo *sine gratia* si dici potest, est homo cui nulla gratia tribuitur, non qui nullam gratiam habet, deinde quia sequentia intelligi non possunt. Nam fieri non potest ut *Tibi recte facere* sit „Tibi recte facio?" ut vult Lachmannus ad Lucret. p. 74, aut „Tibi recte facere quemquam oportet? aut quisquam potest?" Recte iam librarii quidam deteriorum codicum viderunt, infinitivum ab antecedentibus pendere, scribendumque esse *Sine gratia est* i. e. ingratum est (cf. ad Amph. 48) tibi bene facere, quoniam beneficia non agnoscis. Quod iidem librarii „stultum" scripserunt, versui repugnat; nobis probabilius videtur *es* in „et" corruptum esse. *recte facere* autem h. l. est bene facere, ut alibi dicitur „recte est". Pro *Tibi* quod editorum magna pars „Ibi" substituerunt, temere egerunt. — *perit.* Francken. cf. Catul. 76, 9: „Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti". — 331. *in* errore ex antecedenti *m* ortum esse, olim intellectum

est. *principio*, v. Madv. Gr. Lat. 276 not. 2. Ceterum alterum membrum deest. — 332. *istic*, apud Euclionem. Sic pro „istuc“ iam librarii aliqui. *qui* pro „quid“ edd. vett. — 333. *ne operam perdas poscere* i. e. poscendo aut poscendi, cf. Men. 241: „Operam praeterea numquam sumam quaerere“. Pseud. 1139: „operam fac conpendi quaerere“. Men. 230: „quid modi futurumst quaerere“. Epid. 708: „sumus defessi quaerere“. Most. 1154: „Tu quiesce hanc rem modo petere“. Bacch. 462: „conpesce in illum dicere iniuste“. Merc. 284: „Non sum occupatus umquam amico operam dare“. Trin. 76: „ut te uidere audireque aegroti sient“. — 334. *autem* additur in D, I ceterisque codd.; edd. maluerunt „magna“ ante „familia“ repetere. — 336. *perierit* olim emendatum. Item, quod prior huius versus pars in codd. cum antecedenti, posterior (a *quod*) cum sequenti iungitur. — *quod*, i. e. in qua re, scil. a furto, cf. Bacch. 194: „quod ab illo adtigisset nuntius, Non inpetratum id aduenienti ei redderem?“ Francken. „quo“ scripsit, vix recte. — 338. *si perierit ... dicant*, cf. 372 sq. Bacch. 1100. — *quoqui* pro „coqui“ et similia hic illic in optimis codd. inveniuntur, ut Men. 211. 215. Pseud. 858. 859. Tuetur has formas Buggius in Tidskrift for Philologi VII, p. 35. — 339. *in puteum*, cf. Poen. 1161: „quos ego iam detrudam ad molas, Inde porro ad puteum atque ad robustum codicem“. Locus est subterraneus, quo qui detrusus est, suis viribus effugere non potest, cf. 357. Puteis enim non solum ad aquam colligendam utebantur, sed etiam ad fruges aliasque res condendas. — 340. *Horum*. „Horunc“ postulat Studemund. Ann. phil. 1876, p. 60. — *quippe qui*, i. e. etenim, vid. ad Amph. 738. *qui* non est relativum neque hoc posito relativum pronomen aut adverbium adiungi potest. Parum recte igitur proximo versu edd. Faernum secuti „quod“ scribunt; sic iungendum est: „nihil (i. e. non) est ubi quid (i. e. quidquam) surripias“. De indefinito *quid* v. ad Bacch. 271; cf. etiam Capt. 289: „ubi quando“; *nihil* autem ponitur pro „non“, v. Asin. 924. — *subripias* D.

342. Supra scriptis nominibus quod additur HYL, quid sit, ignoro. — *Qui* v. ad Amph. 127. — 343. *Hosce* F. Schmidt., de pronominum demonstrativorum formis Plautinis p. 38, quem

recte monstrasse arbitror „hos“ ante vocalem poni non debere. — 345. *mittere*, cf. 236. — 346. Anus vinosa, ubi nihil vini videt, interrogat, *Cererine has nuptias facturi* sint, i. e. num Cereri sacra potius quam nuptias facturi sint. Cereris autem sacra vel hinc apparet vino caruisse. Nec semper tamen ἄοινα sive νηφάλια fuisse videmus; nam in porca præcidanea ante messim facta etiam vinum adhibebant, v. Cat. R. R. 134, et de Cerealibus vernis Verg. Georg. I, 343: „Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret, Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho“. Ad quem locum Servius: „Superfluum est, quod quidam dicunt, contra religionem dixisse Vergilium licere Cereri de vino sacrificari; pontificales namque hoc non vetant libri. Quod autem Plautus in Aulularia, cuius ipsi utuntur exemplo: „Cererin nuptias facturi estis, quia temeti allatum nihil intelligo?“, non est huic loco contrarium; nam aliud est sacrificium aliud nuptias celebrare, in quibus re vera vinum adhiberi nefas erat, quæ Orci nuptiæ dicebantur, quas præsentia sua pontifices ingenti solemnitate celebrabant“. Quæ mihi quidem temere conficta videntur; nam si quæ Orci nuptiæ fuerunt, Proserpinæ, non Cereris appellandæ sunt, quamvis illud Preller, Röm. Myth. p. 439 defendere conetur, nisi forte Euclionis nuptias quisquam eas, quæ hic faciendæ sunt, appellare potuit. Rectius Macrobius, apud quem (Saturn. III, 11) alter Vergilium vituperat „quum Cereri vino libari iuberet, quod omnibus sacris vetatur. Vinum autem Cereri non libari, debuit illum vel Plautus docere, qui in Aulularia ait: Cererin, mi Strobile, hi sunt facturi nuptias? Qui? Quia temeti nihil allatum intelligo“; alter autem respondet, apud Vergilium non vinum, sed mulsum significari. Plautini autem codd., quibuscum consentit Fest. p. 364, nam Servium non moror, præbent: *has facturi*, et „estis“ omitti potuisse videtur, v. ad Amph. 590; sed in re parum certa ex Macrobio („hi sunt facturi“) *sunt* adsciscendum putavi. Müller. Pl. Pros. p. 482: „hic sunt futuræ“. — 347. *temetum* vinum est, ut ait Nonius p. 5 et hunc versum afferens et Trucul. 820; cf. Fest. p. 364, qui et ipse hos versus affert recte scriptos, nisi quod „uideo“ pro „intelligo“ habet. Gell. X, 23, 1. al. — 348. *si*, i. e. quando, cf. Stich. 754: „Si hoc eduxeris, ... cantionem aliquam occipito“.

Catul. 14, 17: „Nam si luxerit, ad librariorum curram scrinia". — *ipsus*, i. e. herus, cf. Casin. 739: „Ego eo, quo me ipsa misit". — 349. Vitiosa personarum nomina in hoc et proximo versu olim emendata sunt. *asseres*, quibus tegulæ imponuntur, v. Vitruv. VII, 3. — 350. *ne quaeras foris*, cf. ad Asin. 317. — 351. *impurate*, i. e. impure, cf. Ter. Phorm. 669. 962. — *Uolcano studes*, magnificentius dictum quam „igne uteris"; cf. Amph. 337. Sed sententiæ nexus non prorsus accuratus est; nam aut dicendum erat: „quamquam ignem accendere debes, tamen non licebit tibi ædes comburere", aut: „Tune, quia ignis accendendus est, ædes nostras combures?" Et hoc quidem expectari potuit, quoniam sententia a *Quid?* incipit. Talia peccat vulgaris hominum sermo. — 352. *Cenaene* olim emendatum. Wagn. errorem codicum mire defendere conatur. — 353. *postulas*, v. ad Amph. 357.

355. Strobilus postquam abeuntes monuit, suam domum se confert, ut ibi coquos observet, ne quid furti faciant. Codd. h. l. non solum novam scenam incipiunt, quod parum necesse est, sed in spatio eam ob causam vacuo rubricator novum nomen scripsit FITODICUS SERUUS, idque tenuerunt editores; sed sponte apparet neminem alium præter ipsum Strobilum hæc dicere posse. Quid quod nec quo abierit Strobilus intelligitur, nec qua de causa nova inferatur persona, cuius nulla usquam alia mentio fit, easdem atriensis partes, quæ Strobili sunt, agens? Quid sibi voluerit rubricator iste, eo difficilius intelligitur, quia Fitodici nomen corruptum est. Edd. fere Pythodicum substituunt, quod non maiorem veri similitudinem habet, quam aut Phytodicus aut Pithodicus aut Philonicus aut, quod Gertzius voluit, Philositus. Equidem, ut meam quoque in re parvi momenti nec ad ipsum Plautum pertinenti suspicionem proferam, intercidisse putaverim principium nominis, ut „Alfitodicus" fuerit, hoc autem nomine (ἀλφιτοδίκην) eum appellari, qui omnia tam accurate exigeret, ut etiam farinæ iudicium institueret; sed ne eum quidem, qui hoc nomen adscripsit, de alia persona quam de Strobilo cogitasse crediderim. Verum servi nomen, quod quæsivimus p. 274 sq., hic latere non credo. — *Curate* est „curam agite", omisso obiecto, ut v. 81: „serua". — *interuisam*, cf. 195.

— 356. *seruem*, cf. Asin. 798. — 357. *Nisi* in quotidiano hominum sermone sæpe ponitur, ubi aliquis dicit mirari se, quid rei sit aut quid facere debeat, sed unum tamen aut affirmaturum aut facturum; sic fere nihil aliud fit quam „sed“; cf. Madv. Gr. Lat. 442 c, not. 3. infra 798. Bacch. 321. Cist. 503: „ubi ea sit, nescio, nisi, ut opinor cett.“ Epid. 262: „Mihi istic nec seritur nec metitur; nisi ea, quæ tu uis, uolo“. Men. 598. Mil. 24. 379: „uideo. Nisi mirumst facinus cett“. Poen. 653. Ter. Eun. 548. Ad. 153. Interdum omisso verbo sequitur *quia*, ut Pseud. 107 et 570: „Nisi quia futurumst“. Pers. 545. Rud. 1025. Trin. 938. Trucul. 773. Ter. Eun. 736; aut *ut*, v. Cist. 42. Pseud. 1102. 1108. Stich. 269: „Miror, quid siet; Nisi ut periclum fiat“. — *in puteo*, cf. ad 339. — *coquant*. Nonius p. 400 „coquam“, i. e. coquendam curem, quod nescio an præferendum sit. — 358. *inde*, v. Prolegg. p. 203. — 359. *deorsum* ne trisyllabum esset (cf. Prolegg. p. 214. Müller., Plautin. Prosodie p. 451 sq.), Both. Wagn. „Sin autem“ scripserunt. — *deorsum* h. l. non motum, sed quietem significat, cf. Varr. R. R. I, 6: „Qui colunt deorsum, magis æstate laborant, qui sursum, magis hieme sqq.“ — 360. *Superi . . . inferi;* ludit, quasi de diis sermo sit; quid autem indignius quam maiorem honorem inferis quam superis, mortuis quam vivis haberi? — *incenati sunt*. Camer. „sint“. Immo „erunt“ scribendum, nisi forte Plautus præsens pro futuro posuit, ut Most. 1071: „Numquam edepol dabit. TH. Dat profecto.“ — 361. *Sed* olim emendatum. — 362. *Rapacidae*, i. e. rapacium filii, quos ipsos rapaces esse facile credimus. Patronymicon a Plauto comice formatum ad genus et mores significandos, ut „plagipatidæ“ Capt. 471, ‚collicrepidæ, cruricrepidæ“ Trin 1022. Ceterum quia secunda vocis syllaba longa est, *siet* aut una syllaba pronuntiandum, ut voluit Müller. p. 68, aut pro iambo pyrrhichius factus est.

---

363. Euclio domum revertitur. Quum exibat, pro certo constituerat hoc die laute et liberaliter se habere; sed in macello omnia nimis cara invenit; quare in antiquos mores relapsus

inanis redit, cf. Theophr. Char. 10, μικρολογίας, ubi est: ὀψωνῶν μηδὲν πριάμενος εἰσελθεῖν. — 364. *me*, quod incuria excidit, in B supra lineam additur, sed post „haberem“. Cf. Mil. 718: „si te bene habes“; ib. 724. Merc. 540: „hanc se bene habere aetatem nimio aequiust“. — *filiae nuptiis*, cf. 287. — 365. In *macello* et alia, quae ad cenam pertinebant, prostabant et maxime pisces, cf. Pseud. 168: „Ego eo in macellum, ut piscium quidquid est pretio praestinem“. Idem forum piscarium vel piscatorium dicebatur, v. Curcul. 473; Liv., qui XXVI, 27, 3 „forum piscatorium“ arsisse, XXVII, 11, 16 „macellum“ restitutum esse narrat; cf. Varr. L. L. V, 146. Qui quod viri alicuius nomine appellatum esse et ipse credit et Plutarcho (Quæst. Rom. 54) persuasit, non est quod curemus. Cf. Nissen, Pompeianische Studien p. 279 sp. — *indicant caros*, i. e. magnum pretium statuunt; verbum in hac re proprium, v. Pers. 574: „quanti indicet“. 585: „Indica, fac pretium. DO. Tua merx est; tua indicatio est“. ib. 587. Cic. Off. III, 15, 62: „quum postulasset, ut sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur“. Liv. XXVIII, 46, 5: „indici praemium constitutum, quantae pecuniae ager indicatus esset, pars decima“. Apud Plinium et verbum extat et substantiva „indicatio“ (H. N. XXII, § 109) et „indicatura“ (XXXVII, 18). — 367. *Uitulinam* iam in codd. emendatum. *cetum*, item, cf. Capt. 845. Graecum κῆτος apud antiquos Latinos secundae declinationis factum est, vid. ad Amph. 99. Magnus quidam piscis significatur, fortasse thynnus. Inde „cetarii“, qui haec sale condita vendebant. — 368. *eo fuerunt cariora* parenthesis modo interponuntur. — 369. Versus numeris destitutus. Camer. „illinc iratus“. Both. „illim iratus“; Ritsch. Neue Exc. I, p. 63 praeterea: „quid emam“ cum *d* suo paragogico. Francken.: „Iratus illinc abeo“ et postea „nilst“ pronuntiat. Wagnerus versum pro spurio delevit; sed tum Weisii exemplo proximum quoque damnare debebat; nam *Ita* non habet, quo referatur. Abeundo enim se frustratum esse dicit, quos spe vendendi delectasset. *Adire manum alicui* est per lucri aut gaudii speciem fallere aliquem, v. Casin. 865: „satin lepide adita est uobis manus?“ Pers. 794: „Quomodo de Persa manus mihi adita est“. Poen. 456: „Ueneri pulchre adii manum“. ibi 461. Unde Bentleius in Ter. Heaut. 818

recte scripsisse videtur: „adisti mihi [manum]“. — 371. *inter uias*, i. e. inter eundum, cf. Poen. 1170. Ter. Eun. 629. Turpil. v. 196 Ribb. Nonius p. 496 „inter dum“ habet, versumque affert loco, quo nihil probet. — 372. *Festis* diebus lautius quam *profestis* vivere antiquos solitos esse, vel ex Horatio notum, Sat. II, 3, 143: „Qui Veientanum festis potare diebus Campana solitus trulla vappamque profestis“. — *prodegeris* profuderis, cf. Merc. 1010: „per nos quidem hercle egebit, qui suum prodegerit“. Sall. Or. Lepidi § 17. — 373. *egere liceat*, immo egebis, sed illo modo interdum loquimur. — *nisi peperceris*. De repetita condicione, quæ aliis verbis iam posita est, vid. ad Amph. 900. — 375. *ad meam sententiam* pravum est, siquidem non sententia magis quam animus eius fuit; necesse est scribatur *in eam sententiam*. Præterea *mihi* addendum esse, versus ostendit. — 377. *has* scribendum esse Weis., Gepp., Studem. viderunt; *ce* ex principio proximæ vocis ortum est, cf. ad 343. Priscian. Instit. III, 29 hunc versum sic affert: „Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas“. De eiusmodi sacrificiis vid. ad 24. — 378. *Haec* feminini generis est ut v. 524, qua forma ante vocales utitur Plautus, v. Schmidt. de pron. dem. formis Plaut. p. 42.

380. *apertas aedis*, contra imperatum v. 266. — 381. *Et* cf. ad Asin. 697. *strepitust* pronuntiandum; „strepitus est“ codd. — 382. Congrionis vox auditur intus maiorem aulam postulantis. *si pote e* (vel ex) *uicinia* Lambinus aliique. De adverbii forma v. ad 301; præpositio ægre desideratur. — 383. *capere non quit*; obiecto omisso movetur Euclionis suspicio (cf. Curc. 110: „capit quadrantal“ al.) — 384. Post *hercle* hiatus, quem tuetur Spengel., Plaut. p. 220 not., impugnat Müller. p. 512. Wagn. „Disperii“. — 385. Qui tam vehementer exclamat sibi currendum esse, is statim currat necesse est, nec otiose deos precabitur. Si igitur genuinus esset hic versus, scenam terminaret. Et Weisius quidem quattuor versus, qui sequuntur, damnavit, quorum extremus prorsus eandem atque hic continet hortationem festinandi. Verum horum versuum metrum scenæ convenit, trochaicus septenarius inter iambicos senarios ferri non potest; itaque Weisius deleto „propere“ et „ni“ pro „nisi“

scripto senarium fecit, Ritschelius vero in prolegg. Trinummi p. CXXX casu aliquo hunc versum putabat ex scena trochaica irrepsisse, et post v. 235 ponendum, eumque secuti sunt Wagner. et Francken. Nos quoniam ne illo quidem loco desideramus, simpliciter seclusimus. — 386 sqq. *Apollinis* opem implorat, qui *sagittis* suis (ut pote ἑκηβόλος) barbaros, qui *thesaurum* Delphicum spoliare conati erant, confixerat. Nam vehementer erravit Both. v. 388 antecedenti anteponens, ut *quoi* ad *mihi* referretur, siquidem Apollinem Euclioni antea subvenisse spectatorum nemo nec audivit nec suspicari audet. Rectius Kiessling. (Mus. Rhen. XXIII, p. 214) v. 388 „Quia" pro „Quoi" scripsit; sed nec solum Gallorum cladem respici verisimile est, quod si voluisset Plautus diserte elocutus esset, nec *iam* post *tali* in codd. extat, sed correcturæ antiquæ (ut *subueneisti*) debetur. Itaque tenui, quod ante multos annos mihi sensus loci requirere visus est, *Si quoi*; numeris autem *quoi* non magis obstat, quam „ei" v. 308. Si quis aliter sentit, cum Ritschelio, Prol. Trin. p. CLXXII „tu" addat. — 389. *Sed cesso . . . currere*, cf. infra 619. Improbatio sive obiurgatio moræ hortationem properandi habet. Vulgo editores eiusmodi sententiis interrogandi signum addunt, ac sane Men. 539 est: „Sed quid ego cesso . . . abire?" cf. ib. 864. Asin. 124. Pers. 741: „Quid ego cesso lamentarier?" Trin. 1135: „Quid ego cesso hos conloqui?" Rud. 454: „Sed quid ego cesso fugere?" neque in plerisque locis quo minus omissa interrogandi particula putetur, quidquam obstat, ut Mil. 892: „Cesso ego illis obuiam ire?" Merc. 129: „at etiam cesso foribus facere hisce assulas?" Casin. 217: „Cesso caput pallio detergere?" 684: „Attat! cesso magnifice ire aduorsum?" Pers. 198: „Cesso ire ego, quo missa sum?" 235: „Sed ego cesso?" Rud. 676: „Cesso ego has consolari?" Truc. 620: „Sed ego cesso hinc me amoliri?" Capt. 821. Ter. Eun. 265. Heaut. 410. Verg. Æn. VI, 51 sq. Sed iidem loci etiam sine interrogatione intelligi possunt. Epid. 338 „Sed ego hinc migrare cesso" utroque modo intelligi potest, sed v. 340 „Mihi cesso quom sto" interrogationem respuit; cf. Pseud. 241: „ego mihi cesso". Nec interrogatur, sed declarata re obiurgatur et monetur in eiusmodi locis, Pseud. 642:

„Uerba multa facimus“. ib. 393: „Tibi moram dictis creas“. Ter. Eun. 754: „Odiosa, cessas“. Quare, ut in re dubia, interrogandi signum omisi.

---

390 sqq. Dum Euclio domum intrat, Anthrax ex Megadori ædibus exit artoptam a Congrione petiturus. Interim quid faciendum sit, adiutoribus suis sive discipulis (v. 402) imperat, squamas piscibus tollendas, congro et murænæ ossa extrahenda, gallum plumis nudandum. Scriptura loci ex Nonio emendata est, qui p. 95: „*Desquamat*, squamis expoliat. Plautus Aululuria: Dromae desquama piscis, tu Macherio Gongrum murenam exdorsua quantum potes“. et p. 17: „*Exdorsuare*, dorso nudare. Plautus Aululuria: tu Macerio Congrum murenam exdorsua quantum potes“. Camerarius ne Plautinorum codicum scriptura cum Nonio pugnaret, excidisse aliquid putavit, ut legeret: „Congrum murænam exdorsua quantum potes [Atque omnia, dum absum hinc,] exossata fac sient“, parum feliciter. Gruterus intellexit ignoto verbo „exdorsua“ grammaticum aliquem substituisse „exossata etc.“ („desquammari et exdorsari pisces“ Apul. de Mag. 42.) *Congrum murænam*, asyndeton, v. ad Amph. 891. Pisces cognati generis sunt. Conger commemoratur etiam Mil. 760; uterque Pers. 111. Plin. IX, 20, 36, 72: „Marinorum alii sunt plani, ut rhombi, soleæ ac passeres . . ., alii longi, ut murena, conger. — *quantum potest* recte recentiores edd., v. ad Amph. 964. — 392. *Artopta*, *ἀρτόπτης*, vulgo dicebatur homo panis faciendi peritus, itaque intellexit Plinius H. N. XVIII, 11, 28, 107: „Pistores Romæ non fuere ad Persicum usque bellum; ipsi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus maxime erat, sicut etiam nunc in plurimis gentium. Artoptas iam Plautus appellat in fabula, quam Aululariam inscripsit, magna ob id concertatione eruditorum, an is versus poetæ sit illius, certumque fit Atei Capitonis sententia cocos tum panem lautioribus coquere solitos, pistoresque tantum eos, qui far pinsebant, nominatos“. Sed hoc loco vas intelligitur, quo ad panem faciendum aut torrendum utebantur, *τὸ σκεῦος ἐν ᾧ τοὺς ἄρτους ἑνοπτῶσιν*, quod eodem nomine appellatum esse testatur

Pollux X, 112; nec mirum est Græcum nomen masculini generis in femininum genus transisse, v. ad Amph. 99 et 117. Francken. „utendum" ausus est. — 393. *si sapis*, minantis est. — 394 ex Nonio emendatus, qui p. 530: „Quod ludis pueri præsules essent *glabri* ac depiles propter ætatem, quos antiqui Romani lydios appellabant, ut est in lib. I Varronis de vita P. R. Ideo Plautus in Aulularia: Tu istum gallum, si satis, Glabriorem reddis mihi quam vulsus lydius". *Ludius* autem histrio est in ludis saltans. Italicæ ac plerumque Etruscæ originis hi esse solebant, v. Liv. VII, 2, 6, unde „ludii barbari" Curcul. 150. Antiqua vox et Ciceroni et Suetonio familiaris posteriorum sæculorum hominibus ignota erat, librariique eos „lydios" quasi a Lydia appellare solent. Effeminatos homines fuisse et, ne adolescentiam egressi uiderentur, pilos omnes ex corpore studiose extraxisse solitos, ex hoc loco apparet. — 396. *officium suum*, vid. ad Asin. 172. — 397. Anthrax intro properat, ne adiutorum suorum culpa etiam in Megadori ædibus turbæ fiant. Post *turbæ* hiatus, quamvis in quarto pede, ferendus, v. Prolegg. p. 183; corrigendi varios conatus protulerunt Wagner. et Müller. p. 519. Versum affert etiam Nonius p. 525: „redeo intro ne quid hic turbæ fiat". Sed *fuat* iure editorum plerique, quia verus iambus requiritur, cf. 418.

---

398. Congrio ex Euclionis domo verberibus minisque eiectus in proscenium procurrit misericordiam hominum obtestans opemque implorans. Canticum vehementissime commotum trochaicis fere numeris compositum est et quidem in systematis modum continuatis. Ut enim apud nos eduntur, quattuor octonarios trochaicos excipit septenarius. Sequitur iambicus octonarius, qui spurius videtur; tum trochaicus octonarius; postremo septenarius trochaicus cum iambico octonario. In libris v. 402—3 ponuntur post 406, sed iure Acidalius animadvertit vv. 405—6 scenam claudere. Is igitur illos duo versus his anteposuit; Wagn. præterea v. 404 versui 400 anteposuit. Hoc quidem non est opus; illud quæritur, quo loco omissi sint illi versus, quos librarius extremæ scenæ adiunxit, nam Acidalius vix verum invenit. Mihi

quidem alterum utrum faciendum videtur, aut ut prior versus (Neque ligna) post 400 ponatur, alter (Itaque omnis) post 401, aut, quod unice probo, uterque post v. 401. Omittendi causa fuit simile versuum principium.

298. Codicis B scriptura *Optati uires* manifesto corrupta est. In ceteris *Optati ciues* emendatum est; sed nec ciues apte invocantur nisi a cive, Congrio autem servus est (v. 302), nec „optati" ferri potest, quamvis „exoptatos" interpretentur et Cic. ad. Q. fr. II, 8 („Vale, mi optime et optatissime frater") conferant. Bothius corruptum esse intellexit, sed parum feliciter „obdati" scripsit. Nos id, quod sententia loci postulare videbatur, *Opitulamini* posuimus. — *Populares* simili ratione invocat Trachalio in Rud. 615, Sannio in Ter. Adelph. 155. *Incolæ*, qui in sua terra habitant, *accolæ*, qui in alienam migrarunt (*μέτοικοι*), *aduenæ*, qui peregre profecti fortuito adsunt. — 400. Cum *bacchis* sæpe comparantur furiosi homines, v. Amph. 696. Bacch. 51. 368; cf. etiam Men. 822. *Bacchanal* et sacra Bacchi significat et locum, ubi fiunt talia sacra, cf. infra 405. SC. de Bacchan. (C. I. L. 196) extr. „utei ea bacanalia ... faciatis utei dismota sient". Liv. XXXIX, 18, 7: „bacchanalia diruerent". — *coquinatum* codd. et Non. p. 85, qui enarrat: „ad quoquendum", et hunc versum affert. Item Pseud. 858 et 879. Et est Pseud. 796 „forum coquinum", apud posteriores „ars coquina", „vasa coquinaria", similia, sed et hæc vocabula i longum habent, nec verbum, quod h. l. desideratur, ab illo adiectivo deduci debebat, sed a coquendi verbo, quare admodum verisimile est errasse librarios Plautinos et *coquitatum* scribendum esse, quod præbet Festi Epit. p. 61: „Coquitare pro coctitare, i. e. frequenter coquere, Plautus posuit". — 401. *contuderunt*. Unus Euclio fuit, nisi forte adiuvit Staphyla; coquus verberatus rem auget. — 402. *Ligna* ne deessent, nuper veritus erat (v. 349 sq.); iam plagis male tractatus fustibusque, ut dicebant, *onustus* (403, cf. ad Epid. 371) perquam liberaliter ligna præberi dicit; nam vel in dolore et timore ridicula quærit. — 403. Versus priorem partem affert Nonius p. 290: „*exigere* est excludere"; immo eiicere. Sed quamvis et codd. Plautini et grammaticus in voc. *Itaque* consentiant, tamen, si versus retinendus est, necesse

est scribatur „Ita“, ut fecit Francken. Sic duo inferuntur membra a „Neque“ incipientia, utrique causalis sententia additur ab „Ita“ incipiens; sed tam accurata sententiarum descriptio magis rhetorem quam Plautum deceret. Præterea *exegit* non habet quo referatur, nec post pluralem *contuderunt* ferri potest. Quare versum iambicum inter trochaicos inepte intrusum eademque omnia dicentem, quæ v. 401, pro circumlocutione huius delendum censeo. Si genuinum putarem, cum Schmidtio, Pron. dem. p. 38, pro *hos* „hosce“ scriberem. — 404. *oppido perii*, cf. Amph. 295. infra 721. 793. Bacch. 678. — *me gymnasium habuit*, i. e. me verberando se exercuit; cf. Asin. 295: „gymnasium flagri“. — 405. *Attat*, cf. Amph. 259. Novus timor oritur, quod Euclionem furentem ex ædibus prosilire videt atque etiamnunc se aggredi cupientem. — *aperit*, sc. senex, quod ex antecedenti auditur. Lamb. „aperitur“, sed tum requiritur subiectum verbi *adest*. Versus fulciendi causa potius *eccum* addatur, quod etiam oratio commendat. — 406. *Sequitur*, i. e. persequitur me, cf. Verg. Æn. XI, 674. Ovid. Met. II, 498. al. — *Scio, quam rem geram:* me defendam; vim vi repellam; nam vi uti ipse Euclio me docuit; eum magistrum imitabor. Simul cultrum promit, v. 409. — Pro *docuit* Acidalius „docet“, ne iambicus exitus desideretur; Wagn. transpos. „docuit me“.

407—438. Euclionis et coqui altercatio canticum est novo versuum genere conscriptum, quod tractavimus in Prolegg. p. 191. Versus enim compositi sunt ex dimetro iambico et clausula in trochæum exeunte, quæ aut ex duobus iambis et trochæo constat (vv. 408. 410. 412. 417. 418. 421. 422. 426. 428. 430. 434. 436), et ita quidem ut pro duobus iambis choriambus poni possit (423. 427) vel etiam creticus (415. 416. 425. 429. 437. 438), aut ex duobis iambis et syllaba (407. 409. 411. 413. 414? 419. 420. 424. 431. 432. 433. 435).

407. *Tene tene* sc. fugientem; cf. 705. Prius „tene“ ultimam brevem habet, alterum longam, ut „Mane mane“ v. 647. — 408. *trisuiros*, capitales, vid. ad Amph. 155. — 409.

Congrio ut se defenderet, cultrum protulit. Quod quum primum Euclio vidit, se eum apud magistratus accusaturum ait, causamque rogatus, si editores sequimur post „habes“ plene interpungentes, respondet: *Quia cultrum habes*; inepte, siquidem etiam lege Cornelia de sicariis non in eum advertebatur, qui cum telo fuisset, sed in eum, qui hominis occidendi furtive faciendi causa cum telo ambulavisset, v. Marcian. in Dig. XLVIII, 8, 1. Qui error quum latuisset interpretes, alterum animadverterunt, *Quid conminatus mihi?* nimis languere; quare „alius“ ait Acidalius „correxerat: Quid? quod minatur mihi?“, ipse maluit: „Quin comminatus mihi“. Both. „Quia conminatus“. Francken. „Quod“. Utrique vitio simul medemur, si *qui* scribimus pro *quid*. Hæc enim Euclionis accusatio est, quod cultro sibi minatus sit, vel quod cultrum habeat, quo sibi minatus sit. Posteriorem dicendi rationem Plautus prætulit, quo lepide illi interlocutioni locum daret, qua sententiam nondum absolutam coquus interrumpit, more in comœdiis pervulgato, vid. ad Amph. 1136. *Coquom decet*, cultro enim ad plerasque res ei opus est, unde etiam coqui nomen v. 390 „Machærio“ fictum est. — 410. *quia*, i. e. quod, v. ad Asin. 55. Id unum se peccasse dicit, quod solis minis usus sit nec cultrum in latus Euclioni impresserit. — 412. Post *amplius* voc. *plus* ita offendit editores, ut alii hoc alii illud delendum censerent; equidem ne hoc quidem Plautinæ abundantiæ exemplum tollere audeo, præsertim quum utrumque non eodem referatur; *plus* enim obiectum est verbi *faxim*, *amplius* cum *de industria* iungi possit. Quod Weisius pro *male* scripsit „mali“, eo non est opus; *quoi* autem pro *quo* recte in B emendatum est. — 413. *etsi* primam corripit, v. Prolegg. p. 205. *testis est* codd.; „testist“ legendum. — 414. *fustibus* se ita verberatum dicit, ut *mollis* sit factus, cf. Mil. 1415: „Mitis sum equidem fustibus“. Sed more suo ex obscenis risum quærens *cinædo* molliorem se dicit, cf. Mil. 669: „ad saltandum non cinædus malacus aequest atque ego“. cf. Men. 502. Pers. 801. Stich. 755. Lucil I, 31: „Stulte saltatum te inter uenisse cinaedos“. Scipio Africanus apud Macrob. Sat. II, 10: „eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinædos virgines puerique ingenui“. Nonius p. 5, qui hunc versum sic

affert: „ita fustibus submollior magis quam ullus cinaedus“. Hoc auctore cum Hario et Wagnero delevi voc. *miser*, ne versus iusto longior esset. *mollior magis*, cf. ad Amph. 297. — 415. *Quid tibi nos tactio est?* v. ad Amph. 515. — *Quae res?* v. ad Asin. 474. Euclioni hæc verba dedi cum Seyffert., Stud. Plaut. p. 2; rectius enim interrogationem incipiunt quam claudunt. — Altera versus pars constat ex cretico et trochæo, ut syllaba ab initio deesse videatur, quare Both. transpos.: „nos tactio est, mendice homo“, Weis. „mendice homo, nos tactio est“. — 416. *Etiam*, v. ad Asin. 669. *rogitas*, codd. et hic et 429. Both. „rogas“; sed feramus anapæstum. — *quam aequom erat* olim emendatum. Versus ne eodem quo antecedens laboraret vitio, Brixius „quam me aequom erat“ voluit, probantibus Wagnero et Müllero. — 417. His dictis Euclio manum ei iniicit; Congrio *Sine* clamat, i. e. omitte, cf. Trucul. 738: „Omitte, sine“. Curc. 92. 653. Casin. 521. Ter. Eun. 65. 381. Plenius „sine me“ Ter. Heaut. 90. Ad. 321. Euclio vero nihilo minus fusti caput eius plectit. Tum Congrio „*At*“ inquit „male hoc tibi eveniet, si quid ego sapio.“ Weisius quum non intelligeret, qua ratione nova sententia ab „At“ inciperet, ab hoc voc. Congrionis verba orditus est; sed quo sensu „Sine“ Euclioni tribuatur, parum intelligitur. — *cum malo tuo*, v. ad Amph. 786. *magno* versus causa transposuit Harius. — 418. *fuat* olim correctum, nam et significat „futurum sit“, et iambum versus postulat. — *caput sentit* proprio sensu Euclio, de dolore capitis. — 422. Hiatus inter *coctum* et *ego* parum veri similis; Both. transposuit: „Ego utrum crudum an coctum edim“; ego malim: „Utrum crudum an ego coctum edim“. Guietus omisso „ego“ „Utrumne“ scripsit; Seyff. „Utrum crudumne an“. — *edim* v. ad Bacch. 739. — 423. *sinas an non sinas*. Becker. in Studemundi Studiis I, p. 159 coniunctivum non ferendum ratus „sinin an non sinis“ scr., qua de re egimus in comment. Amph. 17. — 424. *ego item* hoc ordine codices, antiquæ edd. inverso. Vel propter voc. *item* parum veri simile est, ut proxima accusativum cum infinitivo efficiant. Interrogari recte viderunt antiquí edd. „meane“ scribentes, Both. autem „meaen“. De omisso verbo substantivo v. ad Amph. 569. —

426. „Ego“ inquit „meis contentus sum, ne me tua expetere existimes“. Euclio respondet, verbis nihil profici, se coquorum ingenia nosse. Erravit Weisius, quod personas invertit. Pro *Me* Camer. „Meûm“, Both. „mei“, sed obiectum facile intelligitur. *paenitet*, cf. ad Bacch. 1182. *expetam* olim emendatum. *ne* autem est „nedum“, ut Liv. III, 52, 9: „Novam inexpertamque eam potestatem eripuere patribus nostris, ne nunc dulcedine semel capti ferant desiderium“. cf. Gronov. ad h. l. — 427—32. Hos versus Wagnerus pro spuriis eiecit dittographiam censens versuum 423—26; sed nihil prohibet, quo minus longius in eadem altercatione morentur, et, quod maximum est, artificiosum hoc versuum genus hic quoque accurate servatur, quod interpolatorem facturum fuisse non est credibile. Götz. in Act. Lips. VI, p. 246 hos versus ante 423 ponit. In primo versu errores tollendi: *qua* olim emendatum; *nunc* cum Wagnero delevimus. Both. et Weis. „prohibes“; sed indicativus vereor ut ferri possit, nisi forte interpunxeris: „Quid est? Qua etc.“ — 428. *sequius* i. e. peius, v. Colum. III, 4, 3: „melius an sequius“. Senec. Benef. VI, 42, 2: „ne homines de me sequius loquantur“. Liv. II, 37, 3: „Invitus, quod sequius sit, de meis civibus loquor“. — 430. *peruium facitis* fuit, qui defenderet collato Tac. Hist. III, 8: „ne peruium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat“. Ac sane hoc mallem quam Turnebo credere, dici „peruiam ut obuiam“. Verum sensus aliud postulat, ac nisi longius a codd. abesset, reciperem quod coniecit Müllerus, Pl. Pros. p. 462 sq.: „pervestigatis“. Quod a singulari numero ad pluralem transitur, vid. ad Amph. 959. — 431. *Ibi* scripsi pro *Id*, nam demonstrativum ad relativum accommodandum est, vid. ad Amph. 1002. Francken. longius abscessit: „Quid? ibi tibi erat negotium?“ — 432. Hiatum ante *habeo* defendere non audeo, cf. Prolegg. p. 221 sq.; Wagn. „hoc“ addebat; ego „tu“ malim. Franck. „haberes nunc“. *fissile*, fissum, cf. Colum. IX, 1, 3: „stipes fissilis“. infra 446. *caput*, cf. 418. — 433. *Adeo*, Wagn. „At“, coll. Ter. Phorm. 1042: „Immo ut meam iam scias sententiam“. Sed legitur etiam Pl. Rud. 728: „Nunc adeo meam ut scias sententiam“, vid. ad Amph. 464.

436. Post *sententiam* edd. usque ad Franck. interrogandi signum ponunt, nec ceteri solum, sed etiam Both. et Weis., qui recte intellexerunt proxima verba, quæ codd. Euclioni continuant, coquo tribuenda esse. Euclio nihil interrogat, nec responsum expectat, sed sententia sua dicta domum redit, ut ollam servet; coquus eum manere iubet, ut vasa sibi reddat. — 437. Versum affert Nonius p. 152 omnibus iisdem verbis, nisi quod recte scribitur *reddi*. Ne altera versus pars a cretico inciperet, Both. „nisi si", Wagn. „iam iam" scripserunt. — Proximum versum affert Nonius p. 152 et 284: „Mihi vasa iubes, pipulo te differam ante aedis". Etiam Varro L. L. VII, 103, „pipulo te differam ante aedis". Sed *te* in tam brevi ambitu repeti non potuit; *hic* vero aptissimum est. Principium versus laborat, nisi aut transpositis verbis scribas „Iubes mihi uasa", aut ante „pipulo" addas „ego". Franck. „Mi uasa iubes mea, pipulod." Equidem, si fortiter corrigere licet, utrumque versum sic scripserim:

Ita me Laverna bene amet, *ut* iam nisi reddi
Mihi vasa iubes, te pipulo hic differam ante aedis.

ut enim ægre desidero; abest illud quidem Ter. Eun. 474 et 615, sed sequente præsenti. — *Lavernam* invocat, furum deam, notam ex Horat. Ep. I, 16, 60: „Pulchra Laverna, Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri, Noctem peccatis et fraudibus obiice nubem"; cf. comment. ad h. l. et supra ad 314. — *pipulum* convicium esse docet Varro; addit, quod minus certum est, declinatum esse a pipatu pullorum. Cf. Mil. 585: „satis pipulo impio merui mali". *differre* Nonius p. 284 enarrat „diffamare, divulgare" Lucilii et Varronis similes locos afferens; cf. Pseud. 359: „Iam ego te differam dictis meis". Ter. Andr. 408: „Orationem sperat invenisse se, Qui differat te". Cæcil. v. 157: „differor sermone misere". Sæpe posteriores, ut Tacit. Ann. 1, 4: „imminentes dominos variis rumoribus differebant".

439. Finito convicio reliqua septenariis trochaicis pertexuntur. — 440. *nummo*, argenti, ut est Pseud. 97. Nummum drachma maiorem esse apparet ex Pseud. 813: „Illi drachmis sunt miseri, me nemo potest Minoris quisquam nummo, ut surgam, subigere". Etenim ubi nummus simpliciter dicitur genere non addito, suus cuique populo usitatior ex argento

nummus intelligendus est. Hæc Athenis drachma est, et apud Terent. in Heautont. eadem pecuniæ summa v. 606 „mille nummum“ et 835 „minæ decem“ dicitur. Sed Æginetica ratio, quam et Corinthii et Corcyræi et Italiæ fere populi sequebantur nec Atheniensibus ipsis ignotam fuisse supra ad v. 301 vidimus, haud paulo maior fuit, ita ut sex obolos Æginæos decem Atticos æquasse dicat Pollux IX, 76 (accuratius 5=7, v. Hultsch. Metrolog. p. 134). Æginæa igitur drachma apud Athenienses aliosque *παχεῖα* appellabatur, apud Italicos autem nummus, quod Aristoteles in Tarentinorum re publica testatus erat, *καλεῖσθαι νόμισμα παρ' αὐτοῖς νοῦμμον, ἐφ' οὗ ἐντετυπῶσθαι Τάραντα τὸν Ποσειδῶνος δελφῖνι ἐποχούμενον* (Poll. IX, 80), quo nullus notior est antiquorum nummorum studiosis. Hunc igitur Plautus significavit et h. l. et Epid. 55. 368. 690. Most. 350. Men. 216. 287. 529. Pseud. l. l. Pers. 37. 438. 849. Rud. 1323. Trin. 844. Trucul. 559: „de mina una deminui modo quinque nummos; mihi detraxi partem Herculaneam“; ex quo loco qui accurate rationem exigere velit, nummum *δίδραχμον* fuisse efficere possit, quoniam Herculis pars decima esse soleat; sed nimis putida foret eiusmodi computatio. — *mercedist*, i. e. mercedis est, scripsi cum Bothio et grammatica et metrica ratione iubentibus. Müller. maluit: „[pro] mercede opust“; sed magis Plautinum videtur „medico merces“.

441. Congrio nondum abiit, quum Euclio ollam, quam domi effodit, sub pallio gestans exit. *Hoc* ait, i. e. aurum, se semper secum circumlaturum; cf. 456. Post *quoquo* hiatus, cuius vitandi causa alii „quoquod“ scribunt, alii „nunc“ ante „mecum“ addunt, alii „ego“ ante „ibo“, quod probat Müller. Pl. Pr. p. 755; Bergk., Beiträge zur lat. Gram. I, p. 76 „quoquomque“ scribendum censet. — 442. *istud* ferri nequit, quoniam nuper de eadem re „hoc“ legitur. Brix. et Wagn. „istic“ emend., Seyffert. propius ad codd. „isti id“; *isti* pro „istic“, ut „illi“ pro „illic“ (v. ad Amph. 245), cf. Curc. 434. Most. 1125. Mil. 257. — 443. *Ite* olim emendatum. — *nunc iam*, v. ad Amph. 38; cf. Müller. Pl. Pr. p. 357. — Quod idem V. D. in „Nachträge“ p. 86 „iam“ ad initium proximi versus (444) transfert („Iam etiam“), nullam veri similitudinem habet, quam-

quam fatendum est versum non constare, nisi hiatus fiat post *Etiam* vix credibilis. Dousam secuti Both. Wagn. Fr. „huc“ addiderunt. Neminem video animadvertisse gravius vitium, singularem numerum inter pluralia et antecedentia et sequentia, id quod mihi spurium versum esse persuasit. — *gregem uenalium*, i. e. servorum, cf. Cist. 562. — 445. *facite* omnes codd. Obiectum tam facile auditur quam in antecedenti verbo, cf. 355 „curate“, 265 „curata fac sint“. — 446. Versus incuria in B omissus postea additus est; in cod. D est: „Temperi abi opera“ omissis mediis, in I ceterisque: „Hem perii abi“. *Temperi*, i. e. iusto tempore, mature, cf. Capt. 183. Ep. 402. Most. 308. Men. 457. Merc. 980. Pseud. 387. Pers. 766. Stich. 651. Ironice dicitur; significat enim sero eum hoc iubere se facere, postquam caput suum fregerit, cf. Casin. 389: „Temperi, postquam oppugnatumst os“. — *inpleuisti*, cf. Casin. 123: „ego te inplebo flagris“. Lucian. Tim. 57: *φέρε σοι τὴν κεφαλὴν ἐμπλήσω κονδύλων*. — 447. Post *abi* hiatus; Ritsch. Neue Exc. I, p. 81 „Introd“, Müller. p. 675 „abite“, fortasse recte. — 448. *Heus* Both. em., superiores „Heu“. *pro uapulando*, quod vapulavi, cf. Madv. Gr. Lat. 416 not. 2. — 449. *ego* posteriorem producit, cf. Prol. p. 195. *dudum* i. e. nuper, v. ad Amph. 654. *conductus fui* ad Amph. 183. — 450. *Lege agito mecum*, „Si quid tibi a me iniuriæ factum esse putas, ius tuum experire et me in ius voca ex lege“ Lamb., cf. Mil. 455. Terent. Phorm. 984: „Una iniuria est tecum. CH. Lege agito ergo“; ad quem locum Donatus hunc Plauti versum affert, sed omisso voc. *I*; expunxit etiam D; Brix. et Wagn. omisso „et“ scr. „ei“, cf. Men. 425. Asin. 379. Aul. 760. 793. Bacch. 896. 1056. al., sed non minus recte dicitur „I ... et“ aut „I ... atque“, v. Amph. 964. Bacch. 1175. Capt. 630. Cas. 563. Merc. 273. Pers. 604. Trucul. 328, atque etiam coniunctum ut h. l. Merc. 278: „ei et hoc memento dicere“; de Poen. 1119 („Sed i atque euoca“) vehementer dubito. — *molestus ne sis*, loquendo, cf. Most. 71. al. — 451. *Abi in malum cruciatum*, cf. Mil. 281. al.

452. Euclio solus secum de condicione sua queritur trochaicis septenariis. — 453. *homine* olim deletum. Post *rem*

hiatus. — 454. *Ueluti me Megadorus* versus causa Guietus; Weis. et Ritsch. retento ordine, qui in codd. est, „Ueluti M. t. med“ scripserunt. — 455. *simulauit* iam in codd. emendatum. Hiatus inter *mei* et *honoris* (v. Prolegg. p. 224) si cui parum probabilis videbitur, cum Bothio „se“ addat. — 456. *ea causa qui*, i. e. ut. — 457. *Condigne*, convenienter, simili modo, cf. Bacch. 389. Capt. 107. Cas. 131. Men. 891. Poen. 462. — Hiatus post *me* vitandi causa Both. „med“ ed., Guiet. „intus me“, alius „me meus“. — Scripturam „gallinacius“ Bücheler. defendit Mus. Rhenan. XX, p. 441; v. 464 codd. vulgarem formam præbent. — 458. *anui* duabus syllabis legendum. Wagn. conf. Gell. IV, 16, 5 sq.: „Lucilius in eodem casu 'uictu' et 'anu' dixit, non 'uictui' et 'anui' in hisce versibus: 'Quod sumptum atque epulas uictu præponis honesto' et alio in loco 'Anu noceo'“. — *peculiaris*, cf. Asin. 536. *paenissime* infra 660. Most. 645. — 459. *haec*, olla. — *ibi* quod non primum sententiæ locum obtinet, v. Amph. 181. *scalpurrire* et codd. et Nonius p. 171 hunc versum afferens. Guiet. aliique „scalpturire“ scripserunt, sed non magis desideratiuum est quam ligurrio, scaturio, v. Madv. Gr. Lat. 197, 4, not. — *ungulis* iam in B emendatum. Ungues significantur, ut Pseud. 647. 857. 859. — 460. *peracuit*, acidum factum est, ira incensum est, cf. Bacch. 1096 et 402. — *ita* non sequente „ut“, vid. ad Amph. 952. — 461. *manifestarium*, manifestum, manifesto deprehensum, cf. Bacch. 913. Mil. 446. Trin. 895. — 462. Cf. Aristoph. Vesp. 100 sq. *Τὸν ἀλεκτρυόνα δ', ὃς ἦδ' ἀφ' ἑσπέρας, ἔφη, ὃψ' ἐξεγείρειν αὐτὸν ἀναπεπεισμένον παρὰ τῶν ὑπευθύνων ἔχοντα χρίματα.* — 463. *exemi ex manu manubrium*, sc. coquis. Wagn. „istis“ addidit post „manu“, vel metri causa, nam „manubrium“ u breve habet (Iuvenalis tamen 11, 133 longum facit), vel orationis, nam ægre desideratur personæ indicatio; idque commendat Ritsch. Opusc. II, p. 587 sq. Proverbium Gronovius explicat: „ansam vel facultatem rei agendæ alicui eripere“. Ductum est autem a malleo, cuius, si manubrium deest, exiguus usus est, cf. Epid. 517 sq.: „Malleum sapientiorem uidi excusso manubrio“. — 464. *Quid opus est uerbis.* Repetitio ex v. 460

ita offendit Guietum aliosque, ut versum damnarent; ego nihil decerno. — *in gallo*, non in coquis.

---

467. Megadorus Euclione non animadverso secum loquitur senariis. — 468. *condicione*, uxoria, ut supra 230. Stich. 122. 142. Trin. 159. al. Sueton. Galb. 5: „remansit in cælibatu neque sollicitari ulla condicione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem". Gai. in Dig. XXIV, 2, 2, 2: „In sponsalibus quoque discutiendis placuit renuntiationem intervenire oportere, in qua hæc verba probata sunt: condicione tua non utor". Unde Ritterhusius h. l. *filiae* pro „filiam" scripsit. Rectissime, rem enim laudant, non personam, quam novisse non possunt. Accedit quod, si „filiam laudant" iungas, desideretur verbum, unde pendeat „factum". *laudant* est autem: laudantes dicunt, cf. ad v. 1. — 470. *Nam* negligentius ponitur; nam in superioribus amicorum sententiam exposuit Megadorus, hic suam, ut re vera causalis nexus nullus sit. Audiri possit „Nec immerito". Cf. ad Asin. 122. — Eandem Platonem legem statuisse, *μὴ γαμεῖν πλούσιον πλουσίου* (Leg. VI, 773 C) animadvertit Vissering. Quæstion. Plautin. II, p. 101. — 474. *nos minore* hoc ordine Pylades, ut *inuidia* primam corripiat, v. Proll. p. 203, primusque versus pes proceleusmaticus sit, v. Proll. p. 184. Müller. transp.: „Et nos minore inuidia". — 475. *illae* (sic cett. codd.), uxores, si sine dote nupserint. — *malam rem*, malum, pœnam; vulgo dicitur „sibi malam rem quærere", infra 673. Casin. 244. Mil. 276. 435, „arcessere" Amph. 323, „reperire" Mil. 473. — *magis* sententiæ a *quam* incipienti postpositum, v. Madv. Gr. Lat. 303 not. 2. Bacch. 510. 675. Cas. 112. Trucul. 719. — 477. Maiori populi parti hoc aperte conducere ait; hos igitur libenter legem iussuros; cum opulentis solis pugnandum esse. *In* ponitur, quasi scriptum esset: „In maximam populi partem non est pugnandum, nulla altercatio est". — 479. *insatietas* hoc uno loco legitur. — 480. De ordine verborum v. ad 112. Pauciores hos tam avidos esse ait, ut satiari omnino non possint nec cupiditatibus eorum modus ullus inveniatur. Sed verba corrupta sunt; nam si ita enarres, legem, quamvis multa per-

mittat, tamen numquam satis laxam iis videri, non *modum*, sed libidinem eorum lex dicenda erat *capere* non posse; legis esset „modum statuere“ cupiditati. Etiam *sutor* dubium est, in qua scriptura D et I cum B consentiunt, nec tamen verius, quod antiqui edd. et deteriorum codicum librarii substituerunt, „tutor“, quoniam non de orbis aut pupillis sermo est, aut, quod Wolfius proposuit, „pudor“. Sensui conveniret: „Neque lex neque censor facere est qui possit modum“. *Sutori*, si hoc verum est, non lex sed rex opponi debuit. — 481. *qui dicat*, i. e. si quis dicat, cf. Bacch. 988 sq. Poen. 877: „qui eum norit, cito homo peruorti potest“. — 482 em. ed. pr. — *ponitur*, i. e. statuitur, lex iubetur. — 483. *lubeant* B. man. pr., sed inde rasura „iubeant“ factum est, quod ceteros codd. invasit. Apparet aut cum antiquioribus „lubeat“ scribendum esse, aut cum codd. „lubeant“. Priscianus quidem XI, 5, p. 561 H. „lubens“ affert, cf. infra 488. al. „lubeant“ est etiam in A Trin. 211 (Studem. Herm. I, 304), „me lubente“ Stich. 474. Trucul. 360, indeque emendandi Curc. 663. Men. 269, ubi codd. „iubente“. Cas. 815: „pudeo“. — 484. *si ita* codd. cum hiatu, cf. Proll. p. 220 et 223; edd. plerique: „ita si“. — 485. Pro dote, inquit, mores sibi parent secum ferendos meliores quam nunc ferunt. — 486. *faxim*, v. Amph. 507. — *Mulis* malebant quam equis uti, qui deliciarum causa vehiculis gestabantur, maxime mulieres, cf. 493. Martial. III, 62: „Aurea quod fundi pretio carruca paratur, quod pluris mula est quam domus empta tibi“. Iuven. 7, 181: „Hic (in porticu) potius (quam sub divo gestatur dominus), namque hic mundæ nitet ungula mulæ“. — 487. *Cantherii* sunt equi castrati, v. Varr. R. R. II, 7 extr. Fest. p. 46. Hos viliores fuisse etiam ex Capt. 808 intelligitur. — 489. *ad parsimoniam*, sc. spectantia. Deenik. contulit Ter. Andr. 482: „quae oportet signa esse ad salutem“. Cæs. B. Civ. III, 101: „reliquis rebus quæ sunt ad incendia“.

492. Quod hic versus in codd. in duos dividitur, nullius momenti est. *Enim*, i. e. enimvero, cf. Epid. 690. Most. 1126. Men. 832 („Enim haereo“). Mil. 431. 1012. Pers. 237. 320. 611. Trin. 1134. Ter. Phorm. 983. Hec. 238.

— 494. *Salutigerulos* olim emend., qui salutandi causa ad amicos vel amicas mittuntur. Cf. Apul. de deo Socratis 6: „δαίμονας . . . qui ultro citro portant hinc petitiones inde suppetias, ceu quidam utriusque interpretes et salutigeri". — *uehicla* Harius posterioresque. — *qui*, vid. ad Amph. 257. — 496. *Moribus præfectum mulierum*, γυναικονόμον vel γυναικοκόσμον. Cic. Rep. IV, 16: „Nec vero mulieribus præfectus præponatur, qui apud Græcos creari solet; sed sit censor, qui viros doceat moderari uxoribus". — 499. Hunc quoque versum ut 492 codd. in duos dividunt. *pulchrum est prae quam*, i e. minus fœdum est quam, cf. ad Amph. 628. — *ubi* vel propter temporalem sensum vel propter productam ultimam suspicionem movet; Müller. „qui" scribendum censuit; Francken. „quae in sumptus". — 500 sqq. Enumerantur, qui veniunt mercedem pretiumve postulaturi propter opera uxori præstita aut res in uxoris usum emptas, eaque *stant* expectantes. *Fullonis* est vestimenta, utique lanea, sordibus liberare, *phrygionis* vestimenta reconcinnare et acu pingere, cf. Men. 417: „Pallam . . . ad phrygionem ut deferas, Ut reconcinnetur, atque ut opera addantur, quae uolo"; ib. 459. Non. p. 3, qui ex Titinio affert: „frygio fui primo, beneque id opus sciui; reliqui acus aciasque ero atque eræ nostræ", ex Varrone: „frygio, qui puluinar poterat pingere". Quod nomen quum ex Phrygia antiqui ductum putarent — in quo sine dubio errarunt — hanc artem ibi inventam esse censebant, v. Plin. H. Nat. VIII, 196: „acu facere id Phryges invenerunt, ideoque phrygioniæ appellatæ sunt". Plaut. Trucul. 533: „pallulam ex Phrygia" coniectura satis certa videtur. Cf. Marquardt., Röm. Privatalterthümer II, p. 147. Francken. „phurgio" scripsit. — *linarius* B man. pr., „lanarius" cett. et corrector illius; sed mutandi nulla causa est; illud extat in titulo Gruter. DCXLIX, 3 = Orell. 4214. — 501. „*Caupones*" ait Acidal. „non concoquo, neque possum interpretari cum Lambino (mercatores et institores patagiorum), neque rursum audeo mutare: „Stant pone", quod alius videat si tentandum". Weis. „ciniflones", qui huc non pertinent, v. Acro ad Hor. Sat. I, 2, 98. — *patagiarii*, qui patagia faciunt. Est autem *patagium*, ut ait Nonius p. 540 „aureus clavus, qui pretiosis vestibus

immitti solet", ut Festi epit. p. 221 „quod ad summam tunicam assui solet, quæ et patagiata dicitur"; cf. Epid. 228: „tunicam . . . indusiatam, patagiatam". *Indusium*, si Nonio credimus (539), „est vestimentum, quod corpori intra plurimas vestes adhæret quasi intusium". Et Varro quidem L. L. V, 131 „intusiatam" et „intusium" scribit, itaque appellatum dicit, quod intus, quum, quod foris ac palam, palla diceretur; sed prava etymologia et formam et notionem corrupisse videtur, nam Epidici locus ostendit, ut patagium ita indusium tunicæ partem esse. Nisi me fallit sententia, illud summæ, hoc infimæ tunicæ adsutum fuit, indusiumque posteriores „institam" dixerunt, v. Hor. Sat. I, 2, 29: „subsuta talos tegat instita veste". Ovid. Art. I, 32: „quæque tegis medios, instita longa, pedes". — 502. *Flammarii* et Plautini codd. et Nonius bis, p. 541 et 549, nec est cur plerosque editores sequamur, qui „flammearii" scribunt. Significantur enim qui flammæ colore tingunt, ut *violarii* qui violaceo. Flammæ color flammeo nomen dedit, quod est velum lutei coloris, quo utebantur in nuptiis. — *Carinum* vestimenti genus est Epid. 230; Nonius p. 548 „caerinum" scribit „a caerae colore", et Ovid. Art. III, 184: „Et sua velleribus nomina cera dedit"; Romanos autem putant Doricam nominis formam (*καρόν*, non *κηρόν*) amplexos esse; hinc sequitur, ut a longum sit, quare Brix. et Wagn. „cararii"; equidem, quid sit, ignoro. — 503. Versum pessime corruptum esse particula *aut* ostendit, quæ ferri non potest. Non est igitur, quod „manulearios" a manuleatis tunicis (Pseud. 743) dictos putemus, qui manicas tunicarum facerent, aut in posteriore versus parte „Myrobrecharios" scribamus ex titulo Orell. 4237; emendatio illud „aut" complecti debet. Mihi duo nomina fuisse videntur ab eodem incipientia Græco adiectivo *ἀνθινός*. „Anthinomellarii" esse possunt, qui anthini mellis colore tingunt; anthinum mel commemorat Plinius H. N. XI, 34. Qui sequuntur „Anthin . . . . . arii" mihi ignoti sunt. Wagn. versum delevit, audacius. — 504. *Propolae linteones*, qui lintea vestimenta vendunt; „linteones" sunt ap. Serv. ad Æn. VII, 14. Inscr. Gruter. XXXVIII, 15. Henzen. 7239. — *calceolarii*, qui calceolos mulieribus faciunt, vox alioquin ignota. — 505. *sutores* olim

emendatum; *sedentarii* appellantur, qui semper sedentes laborant, quæ res prope in proverbium abierat, cf. supra 73. — *diabathrarii*, qui diabathra faciunt, quod Fest. Epit. p. 74 „genus solearum Græcanicarum" esse dicit. Extat in Nævii versu apud Varr. L. L. VII, 53: „Diabathra in pedibus habebat amictus epicroco"; tenuia esse apparet ex Alexidis versu Athen. XIII, 568 b. — 506. *Solearii* olim emendatum. „Muliebres soleas" commemorat Cic. Har. resp. 21, 44. — *molochinarii*, qui molochina faciunt aut vendunt. Sunt autem hæc, ut ait Isidorus Orig. XIX, 22, 12, tenuia vestimenta ex malvarum stamine confecta. *Σίνδονας μολοχίνας* Arrianus in Peripl. maris Erythræi §§ 7. 48. 49 commemoravit, v. Marquardt., Röm. Privatalt. II, p. 102. Eadem Cæcilius Pausimacho: „carbasina, molochina, ampelina", quem laudat Nonius p. 548, qui parum recte ad colorem hoc nomen referre videtur, additque: „Plautus in Aulularia institores molochini coloris molocinarios appellavit". Idem p. 539 et 540 Novii versum affert: „Molochinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium", male „mollicinam" scribens et a mollitie deducens. — 507. *fullones*, qui iam semel commemorati sunt v. 500, vix h. l. repeti potuerunt; Both. „ciniflones", de quo vid. ad 501; equidem, quid fuerit, ignoro; fuit, quum versum delere cuperem, ac notavit Francken., qui etiam antecedentem versum damnavit ceteraque sic ordinavit:

Strophiarii astant; astant semisonarii,
Incedunt infectores corcotarii;
Pro illis corcotis strophiis sumptum uxorium
Petunt: datur. Iam hosce absolutos censeas:
Trecenti circum stant phylacistae in atriis,
Textores, limbularii, arcularii,
Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat.

sarcinatores. Non. p. 175 hoc Lucilii affert: „sarcinatorem esse summum, suere centonem optume". Varro apud eundem p. 56 „sarcinatrix". — 508. *Strophiarii*, qui strophia faciunt, de quibus vid. Catul. 64, 65. Cic. Har. resp. 21, 44. Non. p. 538, qui ex Plauti Aulularia hæc affert: „Pro illis crocotis, strophiis, sumptu uxorio", quem versum Wagnerus pro eo, quem codd. Plautini præbent, in textum recepit, iusto audacius; alii post 516,

alii post 520 inseruerunt, quum neutro loco desideretur; nobis cautius visum est ad deperditam fabulæ partem referre, v. 825. — *Semizona* alibi non commemoratur. — 509. *Absolvi* proprie dicitur, qui sublata mora dimittitur, plerumque cui pecunia, quam petit, soluta est, v. Curc. 454. Epid. 622. Most. 638. Pseud. 1227. Ter. Ad. 277. 282. Cf. Amph. 1113. — *cedunt* i. e. incedunt, v. ad Asin. 402. infra 518. Nonius p. 251, qui hunc versum affert. — 510. versus corruptus. *Treceni* ferri non potest nisi addito genere, nec *cum* aut *quom* locum habet, et deest syllaba, quoniam *phylacistae* primam brevem habet. Acidalius, quem vulgo sequuntur edentes „Trecenti circumstant", nihil præter metrum correxit. Si *phylacistae* „servantes" sunt, necesse est in verbis *treceni cum* genus aliquod hominum lateat composito nomine sive a tricis sive aliunde. — 511. *textores limbularii*, qui limbulos texunt; est autem limbus, ut ait Servius ad Æn. IV, 137 et II, 616, „fascia quæ ambit extremitatem vestium, quæ instita dicitur". Ovid. Met. V, 51: „Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat aureus". Parum accurate Nonius p. 541: „Limbus muliebre vestimentum, quod purpuram in imo habet", sed in hoc versu afferendo veram adiectivi formam servavit (limbolarii). — *Arcularii* non ii intelligendi videntur, qui arculas mulieribus faciunt, quales commemorat Cic. Off. II, 7, 25, sed potius „textores arcularii", qui arculas texunt, i. e. scutulas sive rhombos, ut ait Censorinus p. 84 Jahn., unde scutulata vestimenta dicta sunt, v. Marquardt., Röm. Privatalterth. II, p. 140. Sed hoc voc. versus terminandus est. Quæ sequuntur hoc et proximo versu, et ἄμετρα sunt nec alioquin ferenda. *Ducuntur* pro introducuntur dici non potest. *Iam hosce absolutos censeas* mera repetitio est versus 509 errore facta. — 513 affert Nonius p. 549: „*Crocota* crocei coloris vestis. Plautus in Aulularia: cum incendunt infectores crocotarii". Cf. Cicer. Har. resp. 21, 44. infra 825. Epid. 228: „crocotulam", unde hic quoque metri causa Weis. Bothium secutus: „crocotularii", quum Francken. „corcotarii" malit. — 514. *Mala crux*, cf. 623. Bacch. 582.

515. *Conpellem* Acidal. em. — 516. *sic*, i. e. loquentem. — 517. *Ubi* cf. 190. — „*Nugiuendos*" ait Nonius p. 144 „Plautus dici voluit omnes eos, qui aliquid mulieribus vendant;

nam omnia, quibus matronæ utuntur, nugas voluit appellari"; tum h. v. affert. Plautini codd. „nugigerulis", sed illud præferendum videtur. — *res soluta est*, v. ad. Asin. 217. — 518. *cedit*, v. 509. — *aes*, militare, cf. 520. Poen. 1290. Vulgo notum est æs hordearium, sive pecuniam ex publico ad equos alendos equitibus datam, antiquo tempore ita solutum esse, ut equitibus attribuerentur viduæ et orbi, quo qui ipsi propter sexum aut ætatem militare non possent, stipendio rem publicam iuvarent. Neque hoc apud Romanos solos factum est (v. Liv. I, 43, 9. Plut. Camil. 2, 4), sed etiam apud Græcos, ut de Corinthiis testatur Cicero, Rep. II, 20, 36. Postea, quum etiam pedites de publico stipendium acciperent (ab anno a. Chr. 406, Liv. IV, 59, 11), hoc simili modo civibus attribuebatur, qui tribuni ærarii dicebantur, v. Varr. L. L. V, 181: „ab tributo, quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant, tribuni ærarii dicti; id quod attributum erat, æs militare. Hoc est, quod ait Plautus: Cedit miles, aes petit". Cato ap. Gell. VI, 10: „Pignoriscapio ob aes militare, quod aes a tribuno aerario miles accipere debebat". „Dicebatur autem" ait Gaius Instit. IV, 27 „ea pecunia, quæ stipendii nomine dabatur, æs militare"; idemque paulo ante: „propter stipendium licebat militi ab eo, qui æs tribuebat, nisi daret, pignus capere". Cf. Madvig. Op. ac. II, p. 259 sq. — 519. *putatur ratio* vulgo dicitur, v. Casin. 532. Most. 293. Trin. 417. Cat. R. R. 2, 5. Terent. Ad. 208. Cic. ad Attic. IV, 11, 1; cf. ad Amph. 586. Non. p. 369: „Putare, colligere, conferre", hunc versum affert. — 520. *Miles impransus*, hoc ordine codd., ut „Miles" ultimam producat, quod quum minime veri simile sit, Camerar. aliique ordinem inverterunt. — *censet dari*, i. e. datum iri expectat, v. ad Asin. 439. — 521. *disputata*, cf. Varr. L. L. VI, 63: „Disputatio et computatio a putando etc.", sed vulgari significatione, non de rationibus conficiendis. Non nihil offendit, quod exitus huius versus prorsus idem est ac v. 519; quod autem proximi quoque ultima vox eadem est, quis tolerare potest? Accedit quod versus 522 iusto longior est, qua de causa Both. voc. „plus", Weis. voc. „ultro" delevit. Camerarius, nisi fallor, casu, Brix. et Wagn. consulto versum omiserunt. Mihi quidem omnes tres

versus 520—22 spurii videntur, ac nescio an hæc ipsa causa sit, cur vv. 520—21 in codd. in tres divisi sint, quod ab initio in margine angustiore loco scripti fuerunt. — 524. *Haec*, vid. ad 378. — 526. *Nam quae* olim emendatum. — 527. *mactant*, vid. ad Amph. 1027.

528. Senes, qui hucusque separati pro se quisque locuti sunt, iam colloquium instituunt. In codd. quasi novæ scenæ eadem nomina supra scripta sunt, quæ ante v. 467, quæ cur omiserimus, in promptu est. — 529. *edi* ex Nonio emendatum, qui p. 454 s. v. „deuorare“ et Asin. 642 et hunc versum affert. Cf. etiam Cist. 549: „mihi cibus est, quod fabulare“. Most. 1046: „gustare ego eius sermonem uolo“. Iam Aristoph. Vesp. 462: εἴπερ ἔτυχον τῶν μελῶν τῶν Φιλοκλέους βεβρωκότες. Fragm. 205: Σθενέλου φάγοιμ' ἂν ῥήματα. Hor. Od. II, 13, 32 et Ovid. Trist. III, 5, 14 „auribus bibere“ dixerunt. — 530. *Ain*, cf. 290. Corrector codicis B radendo „An“ effecit, quod antiquiores edd. invasit. — Post *audiuisti* hiatus in cæsura. Müller. „Iam usque“ volebat. — 531. De prosodia vocis *tamen* v. Proll. p. 202. *e* Both. del. *meo* in unam syllabam contrahitur. Nimio brevium syllabarum numero offensus Koch. in Annal. philol. CVII, p. 841 „animod aliquam“ ausus est. Nullius momenti est, quod hic versus, ut mox 540 et 559, in cod. B in duos dividitur. — 532. *filiae*, vid. ad 287. — *nitidior*, mundior, cultior, cf. Pseud. 779: „ut curet nitidiuscule“. — 533. In exitu huius versus edd. ante Franck. interpungunt, quo fit, ut et hic versus ellipsin habeat minime probabilem et proximus hoc quidem loco sensu careat. Iungendum: Qui pro re ... habent. Non magis dubitandum, quin in proximo versu recte codd. D, I, al. indicativum præbeant, *meminerunt*; poeta eos dicit, qui nitorem et splendorem cultus ad rei familiaris rationem accommodent, prudentes esse suæque condicionis memores, qui ultra rem gloriari studeant, eos stultos esse suique oblitos, cf. Hor. Ep. I, 18, 22: „Gloria quem supra vires et vestit et ungit“. Vidit idem Koch. Ann. phil. CVII, 841. — 535. *quoiquam* olim emendatum, item 536 *res structa est*, i. e. congesta, coacervata. Euclio Megadorum credere vetat aut sibi aut cuiquam pauperi rem familiarem esse domi ampliorem quam videatur. — 537.

Excidisse aliquid numeri ostendunt: Weis: „Immo Euclio est. EU. Est? ME. Et d. f.“ Francken. modestius: „et amplius di faciant“. Sed *Immo est*, si nihil additur, ab excultis Megadori moribus abhorret. Forsitan dixerit: „Immo est, quod satis est, et di etc.“ Olim tale quid suspicabar: „Immo si animo æquo sis, di faciant ut siet“, cf. 180. In proximo versu cum Müllero *tibi* addiderim; Wagner. male: „istuce“. — *sospitent*, cf. Asin. 676. — 540. *hoc*, aurum, quod secum habet, v. 441. — 541. *e senatu*, i. e. consilio, cœtu, sermone nostro, quoniam antecedentia Euclio aversus secum locutus est; cf. Epid. 160. „Iam senatum conuocabo in corde consiliarium“. Most. 1032: „ut senatum congerronum conuocem“. Mil. 593: „redeo in senatum rursus“. — 542. *ut te* transposuit Acidalius versus causa, nec pluribus mutatis opus est. Wagner. ex Brixii coni.: „Pol ego te ut accusarem meditabar“; sed nec *merito* omitti debet, modo cum accusandi, non cum meditandi verbo iungatur, nec temporum consecutio minus accurata apud Plautum offendit, vid. ad Amph. 192. add. Bacch. 350 et 531. — 544. *mihi* bis positum, vid. ad Amph. 532. Koch. in Ann. phil. CVII, p. 841 „meis“ substituebat. — 545. *mihi* vel mi cum proximo voc. coalescit, ut v. 550. *intromisti* Acidalius, *in aedis* olim emendatum, cf. ad Amph. 1064. — *quingentos* Plautus ut sexcentos pro quovis magno numero ponit, v. Curc. 587. Mil. 52. — 546 sqq. *Geryonaceo* olim emendatum. De Geryone triplicis corporis monstro fabula satis nota; nec minus de *Argo*, centum oculis instructo, qui alibi „oculatus“ dicitur, v. Fest. p. 178, h. l. *oculeus*, v. Fest. Epit. p. 28. Apul. Met. II, 23: „hominem insomnem, certe perspicaciorem ipso Lynceo vel Argo et oculeum totum“. Priscianus VI, 4, 18 propter formam *Ioni* utrumque versum affert, Nonius p. 487 alteram. Cf. Accii v. 387: „Custodem assiduum Ioni adposuit uirgini“. Etiam Servius ad Verg. Æn. VI, 90 („Teucris addita Iuno“) nostrum locum affert et explicat. — 549. *Is* abesse potuit, cf. Bacch. 1075. 1121. Ter. Eun. 16: „ne frustretur ipse se . . ., is ne erret, moneo“. Cf. etiam ad Asin. 523. — *praeterea* ceteri codd. — „*tibicinam*“ inquit „tam vinosam, ut vel uberrimam illam Acrocorinthi fontem, Pirenen, si vino flueret, sola ebibere posset“, vel, ne *mihi* omittamus: „quæ mihi vini omnem

copiam, etiamsi Pirenes fontis ubertatem æquaret, ebibere posset". *interbibere* est ita bibere, ut ceteris bibendi occasio intercludatur. Donatus et ad Terent. Andr. 496 („Interminatus sum") et ad Eun. 80 („intercipit") hunc versum affert. Is priore loco, nam altero omittit sententiam interpositam, *scateat* scribit, nec indicativus, quem Plautini codd. præbent, ferri potest; sed tertiæ coniugationis formam, *scatat*, versum requirere vidit Lambinus, quæ forma ex Lucretio nota est, vid. Munro. ad Lucr. V, 40. — 551. *fontem Pirenen* scripsit Guietus, Goeller. et Wagn. „Pirenam", quoniam Græca declinandi ratio parum Plautina videtur. — *potest*, de indicativo v. ad Amph. 167. — 552. *opsonium* in B radendo emendatum; *legioni sat* man. sec. Sed ut Euclio queratur, quod multum opsonii missum sit, nullo modo fieri potest, quamquam nec Acidalius nec Wagnerus hoc viderunt. Viderant iam antiqui edd. verba *Pol* etc. Megadoro tribuentes. Euclio de tibicina dicturus erat: „*Tum opsonium autem* omne sola comedere potest" (meminerimus „pinguiorem tibicinam" Euclioni missam esse v. 324); sed eum interrumpit Megadorus, opsonii dicens tantum esse, ut vel legioni sufficiat, ac præter opsonium, i. e. pisces et salsamenta, etiam agnum se misisse. — 554. „*beluam* indifferenter posuit auctoritas veterum", ait Nonius p. 455 h. v. afferens. Quod autem et codd. et Nonius præbent, *curiosam*, verum esse non potest, quoniam Megadorus in proximo versu *curionem* repetit. Idem vocabulum hic quoque positum fuisse Gulielmus intellexit, et secuti sunt Both. et Weis.; „curiosam" antiquus error est. Euclio hic non curiositatem agni accusat ut v. 461 sq. garrulitatem galli, sed ut tibicinem bibacem ita agnum nimis macrum esse queritur. Ridiculi causa vox ponitur hac significatione ignota, nam curiones sunt sacerdotes curionalia sacra administrantes. Megadorus rationem quærit; Euclio curionem se dixisse ait, qui cura confectus esset; tam macrum enim esse agnum, ut hoc suspicari liceret. Commemoravit hoc Plauti dicterium Festi Epit. p. 60. Quod Franckenio in mentem venit, *κούρειον*, i. e. agnus Athenis, quum puer in phratriam inscribebatur, immolatus, nimis remotum est. — 555 affert Nonius p. 86. — 556 idem p. 509, ex quo *macet* emendatum est. — *ossa ac pellis*, cf. Capt. 135. Theocr. 2, 89: *αὐτὰ*

δὲ λοιπὰ ὅσα· ἔτ' ἧς καὶ δίφμα. — 557. *etiam* antiquæ edd., Gruter. minus feliciter: „ei". Exta mactatarum hostiarum inspiciuntur; hic agnus tam macer esse dicitur, ut in sole eius exta etiam vivi inspici possint; totum enim pellucidum esse. „uiui" scribendum censet Jörgensen. — 558. *lanterna* B, quæ genuina forma esse videtur, nec Prisciano (IV, 1, 5, p. 120 H.) credendum a latendo, quod *a* breve habet, laternam *a* longo dictam esse, v. Bücheler., Mus. Rhen. XVIII, 393, cf. Schmitz. ibid. XIX, 301. Cornea lanterna commemoratur Amph. 337; alia genera apud Marquardt. Röm. Privatalt. II, p. 303; *Punica* qualis fuerit, ignoratur; vitream fuisse suspicantur Weis. et Wagner. — 559. „Non opus est" respondet Megadorus „vivi exta inspicere; immolabitur". Nonius p. 272: „*caedere*, immolare, Plautus in Aulularia: caedendum conduxi ego illum", et p. 274: „*conducere*, emere", iisdem verbis eodem ordine citatis; veriorem ordinem retinuerunt codd. Plautini. Sed recte animadvertit, *conducere* insolito modo dici, nam Megadorus proprie non agnum cædendum conduxit, sèd coquum ad agnum cædendum, ac Lambinus quidem etiam „locaui" substitutum voluit, cf. Capt. 813. Immo notanda, sed relinquenda est negligentia sermonis. — *optumum est*, olim emendatum, cf. ad Asin. 445. — 560. *iam mortuus est*, fame et inopia. — 561. Post *hodie* hiatus in cæsura. Varia conatur Müller. p. 696; Ritsch. Neue Exc. I, p. 89: „hodied." Seyffert. Stud. Plaut. p. 8 „ad te" addebat. — 562. Megadorus, sive festivitate leporis delectatus sive ut ægrum Euclionis animum deleniat, eum ad potandum invitat; illo vero insidias metuens abnuit. Sed scriptura versus parum certa est. Numerorum incommoda, *ego* producta ultima (v. Proleg. p. 195) et hiatus post *hercle*, forsitan ferri possint; sed *Non potem* pro „potare nolim" vix est Latinum. Müller. proposuit: „Non poto tecum hercle ego quidem"; ego Seyffertium (Stud. l. l.) secutus, *quod* et *habeo* addidi. — *iussero*, iubebo, v. Madv. Gr. Lat. 340 not. 4. Holtz., Syntax. prisc. scr. lat. II, p. 86 sq., cf. Bacch. 770. Capt. 313. 340. 494: „sic egero". — 563. *unum* abesse potuit, cf. Ter. Andr. 118: „forte unam adspicio adulescentulam" et Donat. ad eum locum. Plaut. Epid. 445: „unum quaero, meas (sc. pugnas) quoi praedicem". Most. 967: „Unus istic

seruos est sacerrumus". Stich. 538: „apologum agere unum uolo". — *a me*, domo. Wagn. affert Cist. 485: „Haec cistella numnam hinc ab nobis domo est?" Mil. 341. — 565. *madidum*, cf. Asin. 850. — *si uiuo*, cf. Bacch. 762. Cas. 116. Most. 1050. Men. 888. Ter. Andr. 866. Eun. 990. Heaut. 918. — 566. *Tibi quoi*, attractio demonstrativi, v. ad Amph. 1002. Epid. 325: „Quid illum facere uis, qui, tibi quoi diuitiae domi maxumae sunt, nummum nullum habes?" — 567. *Ut me deponat uino*, „ut me somno quasi sepeliat ebrium factum." Lamb. Nonius p. 279: „deponere est alienare" h. v. afferens. Rectius Gronovius, Lect. Plaut. p. 56: „Deponere vino aliquem est vino obrutum et quasi depositum ac sepultum reddere; etenim mortui depositi dicebantur, cf. Verg. XII, 395. Ovid. Trist. III, 3, 40. Wagn. confert Aur. Vict. Vir. illustr. 75: „Cæpio cum aliter vincere eum non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriathum vino depositum perimerent". — *eam adfectat uiam*, i. e. id agit, nam adfectare viam est insistere, cf. Men. 673: „Quae conmisi ut me defrudes, ad eam rem adfectas uiam". Stich. 483: „adfectauero apertiorem magis uiam". Ter. Heaut. 301. Phorm. 964. Cic. Rosc. Am. 48, 140. — 568. *Post*, i. e. ubi sopitus ero, id aget, ut *hoc*, *quod habeo*, i. e. aurum meum, locum *mutet* alioque migret; *colonia* est enim ubi habitamus et incolæ sumus, vid. ad Asin. 296. — 570. *operam et uinum*; iam in codd. ceteris sic recte verba separantur. — 571. *nisi quid me uis*, cf. 255. — Ante nuptias sacrificandum, ante sacra autem lavandum esse, satis notum est, cf. 604. His dictis Megadorus abit. Versum, quo Euclio ei valedixerit, sine causa Wagnerus desideravit.

573. *concreditumst* olim emendatum. — 574 sq. *factu* olim emendatum. Codicum scripturam *te* hiatus vitandi causa Camerarius in „ted" mutavit, Müller. transp. „te ut"; sed iidem aliique in proximo versu „Aula" scribunt, codd. *Aulam* quod mihi quidem aptius videtur, quam ut hic denuo ollam ipsam alloquatur. Itaque malim in priore versu scribere aut „hanc ut auferam", aut „ut mecum auferam". *Fidei*, pænultima longa, ut „rei". Charis. p. 55 ed. Keil: „Si producta *e* littera finiatur ablativus, *i* accepta faciet genetivum, ut ab hac die huius diei, ab hac

specie huius speciei, scilicet *e* manente in productione, quod *i* ante se habet; nam si non habeat, corripietur in genetivo, ut ab spe spei, re rei, fide fidei, quamquam in Aululari Plautus fidei dixerit, non fide"; sic enim scribendum. — 576. Quum omnino antiquorum mos esset securitatis causa pecunias in deorum templis deponere, tum præter ceteros huic rei apta Fides Euclioni visa est. Fidei se notum esse dicit, quia ipse semper fidem servaverit, eamque hortatur, ne ipsa a nomine suo recedat. — 577. *tu* numerorum causa delevit Weis., priores Acidalium secuti *me* sustulerant. — *concreduo*, cf. Cas. 456: „concredui"; antiqua forma, unde coniunctivi formæ creduam et creduim, v. Bacch. 473.

---

579. Lyconidis servus, cui Strobilus nomen, ab hero missus, ut de Megadori nuptiis, quæ agantur, exploret, trochaicis septenariis secum de servi condicione loquitur. Frugi servi se operam præstare affirmat. Principium versus affert Nonius p. 310 „*Facinus* factum" enarrans. *persequor*, i. e. exsequor, cf. 585. Merc. 545: „hoc ut dico factis persequar". Stich. 145: „Certumne est neutram nostrarum persequi inperium patris." Ter. Hec. 616: „ex usu quod est, id persequar". Cic. ad Qu. fr. II, 14, 2 et 3: „ut mea mandata digeras, persequare, conficias". — 580. *Ne habeat*, i. e. nolit habere; sic codd.; edd. pleræque „Nec", male. *molestiæ* aliquid habere est moleste ferre, *moræ* segniter agere. — 581. Versum affert Nonius p. 375 s. v. *postulare*, de quo v. ad Amph. 357. — *ex sententia*, sc. heri, nec opus esse arbitror cum Nonio „eri" legere, quamquam possessivum addi solet, v. Men. 270. 998. 1177. Ter. Heaut. 683. — 582. *in erum matura in se sera condecet capessere*, i. e. „in negotiis herilibus maturare et diligentem esse, in suis cunctari et tardum esse". Nonius p. 266 „perferre" enarrat, et Verg. Æn. I, 77: „mihi iussa capessere fas est" confert. Cui simile Plautus Trin. 299: „si capesses mea inperia". — 583. *dormitet* altero loco iam in codd. emendatum; priore loco Wagnerus „dormitat"; sed ne illud quidem a Plauto abhorrere arbitror. — Pro *sese* Müller., Pl. Prosod. p. 181 not. „se esse" postulat; cf. tamen ad Amph. 1011. Asin. 67.

Versus 584—87 in codd. leguntur post 594; sed ab 583 divelli non posse facile apparet. Versus incuria omissos librarius, quum errorem animadvertisset, posteriore loco scripsit. Brixius quidem, Annal. phil. 1865, et Seyffert., Stud. Plautin. p. 11, septem versus, qui intercedunt, (588—94) a Plauto abiudicatos retractationi posterioris poetæ tribuunt, nec huic loco aut huius fabulæ argumento aptos censent, ubi non de meretricio amore sed de matrimonio agatur. Quod mihi secus videtur; nam et oratio prorsus Plautina est, nec servum miror varia amoris genera parum distinguentem. *Nam* vero non h. l. magis offendit quam Asin. 122. Amph. 951. 104. 120. — 584. *Herile* codd., sed hæc vox ut mediam corripiat, fieri non potest. Salmasius extrema voce superioris versus (594) huc tracta: „Tamque erile imperium". Weis. „Eri imperium" cum hiatu, Müller. „Eri ita imp.", quod secutus sum. — *quod*, num „quid"? — „*frons* eri, *oculi* servi" Wagn. Ceterum *frons* olim recte emendatum est; in D „fronos" est; in B mihi idem fuisse videbatur, sed propter rasuram res incerta est. — 585. *citis quadrigis citius*, celerius quam quod celerrimum cogitari potest, cf. ad Amph. 418. — 586. *abstinebit*, liber erit ab. „*Censionem bubulam* festive vocavit verbera lori bubuli, cuius censura in servos animadvertitur. Itaque censio, quæ proprie est æstimatio, *τίμησις*, hic est animadversio, *τιμωρία*", Turneb. Cf. Fest. Ep. p. 54: „Censionem facere dicebatur censor, quum multam equiti irrogabat". Lora autem „exuuiae bubulae" dicuntur Most. 868, „corii bubuli" Poen. 139, „monimenta bubula" Stich. 67, „cottabi bubuli" Trin. 1011. — 587. Post *umquam* hiatus in diæresi. — *rediget in splendorem*, terendo, ut Capt. 882.

588. *ero* posteriorem corripit; Müller. „ero amanti" maluit. — *quasi* v. ad Amph. 159. — 589. „Si videt amorem plus posse quam herum, ita ut herus vincatur et succumbat", Lamb. — 590. *noenum* em. Wagn. ut 67. — *quo incumbat, eo impellere*, cf. Cic. Orat. III, 14, 55: „ut eos, qui audiunt, quocunque incubuerit, possit impellere". Alibi „præcipitantem impellere", ut Cluent. 26, 70. — 591. *scirpea induitur* recte Festus p. 166 et Schol. Crucq. ad Hor. Sat. I, 4, 120 et cum leviore errato Donatus ad Ter. Andr. 5, 4, 38; cf. Festus p. 330: „Scirpus est id quod in palustribus locis nascitur leve

et procerum, unde tegetes fiunt. Inde proverbium est in eas natum res, quæ nullius impedimenti sunt: in scirpo nodum quærere etc." *pueri* codd., quod per attractionem dici posse videtur, v. ad Amph. 1002. „pueris" ex schol. Hor. Camerarius aliique. Pueris natare discentibus plerumque cortex supponebatur, v. Horat l. l.: „nabis sine cortice"; ubi scirpi copia abundabat, scirpeas rates circumdabant. — 592. hunc quoque versum schol. Hor. affert. — 594. *toleret* olim emendatum. Significat „sustentet". Harius „eum" addidit; mihi non servus, sed adolescens subiectum videtur, cf. Tac. Annal. IV, 40: „posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum an in penatibus isdem tolerandum haberet." — *pessum abeat*, fundum petat, cf. Cist. 211. Rud. 395. Trucul. 36. Most. 1152. Lucret. VI, 589: „multæ per mare pessum Subsedere suis pariter cum civibus urbes". Senec. Qu. nat. III, 25, 5. al. — Extremam versus partem, quæ periit, egregie supplevit Lambinus *tamquam catapirateria* scribens, nam καταπειρητήρη, ut Herodotus II, 5 et 28, est plumbum, quod in mare demittitur altitudinis explorandæ causa.

595. *Nunc* codd.; „Nam" Brix. Müller. Seyff. — *amat* posteriore brevi; Franck. *meus* omittit. — 597. *quae fierent*, om. „eorum", v. ad Amph. 38. — *fieret* olim em. — 598. *omni* correpta priore syllaba, v. Prolegg. p. 200. — *sine omni suspicione*, i. e. sine ulla s., cf. 208; suspicionem autem dicit aliorum, non suam. — *Aræ* in proscenio esse solebant, v. Polluc. IV, 123: Ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς καὶ ἀγυιεὺς ἔκειτο βωμὸς πρὸ τῶν θυρῶν. Talis commemoratur apud Terent. Andr. 726: „ex ara hinc sume uerbenas tibi". Most. 1074: „Ego interim hanc aram occupabo". Merc. 667: „hanc uicini nostri aram", quam Apollinis fuisse ex v. 669 apparet; quo animadverso etiam Bacch. 170 huc referri potest. Aras occupabant supplices, quo se deorum tutela defenderent, cf. Most. l. l. Ter. Heaut. 975: „nec tu aram tibi nec precatorem pararis". Sed etiam otiosi homines in altarium gradibus sedere potuerunt, qualis h. l. Strobilus videri vult. — 599. *arbitrari*, i. e. arbitrum esse, spectare aut audire alienas res; vulgo dicimus „sine arbitro", ut Cas. 90. Capt. 220: „ne arbitri dicta nostra arbitrari queant".

600. Euclio ex Fidei fano, ubi ollam condidit, egreditur; Strobilo non animadverso secum loquitur. Modo Fides ipsa rem nulli indicet, non veretur, ne quisquam aurum suum inveniat. *quoiquam* olim emendatum; *indicassis* D. — 601. *probe* item. — 602. „*agere praedam* propria phrasis est de alienas terras, agros, villas populantibus et diripientibus" Gronov., cf. Liv. I, 5, 4. al. — 603. *onustam auri*, cf. 609. Sæpius Plautus h. v. cum ablativo iungit, ut supra 403. Bacch. 1066; vid. Studemund. in Annal. phil. 1876 p. 75, qui etiam affert Pacuv. 291: „oneratus frugum et floris Liberi". — 605. „*me* delerunt Harius et Bothius; nam sponsa est arcessenda, non senex". Wagn. — 606. *ut* iam in B emendatum. — 607. *fidei* bisyllabum est (fide) ut 659. 668. Amph. 387. Trin. 117; cf. ibi Brix. — *luco et fano;* lucus totum τέμενος est, fanum quoque complectens. — *modo* olim deletum est.

608. Strobilus his auditis statim ad ollam furto auferendam se adcingit. *audio loqui*; ne versus in duos iambos exiret, Luchs. in Studem. Stud. I, p. 53 „audiui" postulavit. — 609. *in fano fidei* codd., cf. 607. Antiquæ edd. „Fides", vocativo casu, ne ignoraretur, quem Strobilus proximo versu alloqueretur. *O* add. Gertzius, cf. 613. — 611. *Atque* v. ad Amph. 948. Excidisse aliquid numeri ostendunt; olim suppletum est: „erus meus"; nos cum Müllero, Nachtr. p. 121, *uirginis* addidimus. — 614. Versum affert Nonius bis, p. 313: „*facere*, rem divinam religionibus exhibere" et p. 543: „*Fidelia*, Samium vas ad usus plurimos"; Samium autem fictile dicit. Pers. sat. 3, 73 et 5, 183: „tumet alba fidelia uino". Plautus vero quod hoc nomen aliis vasorum nominibus prætulit, leporem aliquem ex soni similitudine quæsivit, quasi Fidei potissimum fidelia conveniret. *congialis* magna est, quæ congium capit. *facere* sacra aut rem divinam vulgo dicitur, ac sæpe omisso hoc obiecto, ut Rud. 709: „Tun legirupio hic nobiscum dis [te] facere postulas?" Cic. Att. ad I, 12, 3: „quum pro populo fieret"; sacrificiumque ipsum, ubi opus videtur, ablativo casu additur, ut Stich. 253: „quot agnis fecerat?" Verg. Buc. 3, 77: „faciam vitula pro frugibus". Tib. IV, 6, 14: „Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero". Sed hoc loco accusativus ponitur, quia res ipsa, quam sacrificio oblaturus

est, facienda est; *mulsum* enim fit ex melle et vino, v. Columel. XII, 41; cf. Bacch. 967. Pers. 88. Stich. 217. — 615. Numeris claudicantibus alii aliter succurrerunt; Both. „id ubi fecero" scripsit, Wagn. „ubi id ecfecero"; mihi *id* delendum videtur, ut post *uerum* hiatus sit in diæresi, tum autem „ego mi" legatur. — *Id adeo*, cf. supra 283. Amph. 464.

616. Quum primum Strobilus in ædem se insinuavit, Euclio malo omine admonitus, auro suo timere incipit et in ædem propere redit, ut videat, num quis thesauro insidietur. *Non temere est*, v. ad Asin. 260. *coruos ab laeua manu*, malum omen, v. Cic. Divin. I, 39, 85., cf. not. ad Asin. 258. — 617. Non. p. 455; „Cum sit *grocire* corvorum, Plautus in Aulularia *cantare* eos dixit", h. v. allato. Græci κρώζειν, Plautini codd. *grocchibat*, Nonius p. 45 versum 617 afferens „croccibat" et „crochitum". Grammaticus, quem Suetonium esse putat Reifferscheid. p. 250: „coruorum crocitare". Nonio debetur vera scriptura *Simul*. Codicum „Semel" ortum est ex scriptura „Semul", de qua vid. Ritsch. Proleg. Trin. p. XCVII. Bacch. 574. 575. 589. — 618. *meum* et *coepit* et *ludicram* iam in codd. emendata. *artem facere ludicram*, i. e. saltare, vid. ad Capt. 631. — 619. *in pectus emicare;* propria eius sedes interior esse videtur. — *Sed ego cesso*, vid. ad 389.

620. Euclionem suspicio non fefellit, nam in ædem ingressus, quam nuper vacuam reliquerat, Strobilum videt. Quem cum summa animi perturbatione ex fano eiiciens intelligere se negat, unde venerit, nisi forte *lumbrici* modo ex terra erepserit. Excidisse vocabulum apparet. Camerarius voc. *foras* geminabat, eumque fere omnes secuti sunt „Foras foras" pro pæone quarto legentes ut „Mane mane" v. 647; mihi lenior visa est Lambini emendatio *I* addentis. — 621. *comparebas* D ceterique. *peri* Brixius emendavit; nec enim „peris" pro peribis intelligi posse videtur. — 622. De forma *præstrigiator* v. Amph. 775; sed altera vocis syllaba longa est, quare cum Müllero, Nachtr. p. 68, *pol* scripsi. — *miseris modis accipiam*. Wagn. confert Ter. Ad. 166: „indignis quom egomet sim acceptus modis". — 623. *Quid tibi mecum est conmerci*, cf. Bacch. 115. Rud. 724: „Mihi cum uostris legibus [Nihil est] conmerci". — 624. *adflictas*,

pulsas, cf. Bacch. 152. Pseud. 1293. Rud. 645. Stich. 606. Mil. 1026. 1323. Most. 325. Curc. 83. — 625. *Uerberabilissume*, verberibus dignissime, „μαστιγωσιμώτατε" Deenik. — *trifur*, cf. 318. — 626. *Rogas* antt. edd.; vox in B omissa est, cett. „Rogitas". — 627. *Nihil* pro una syllaba legendum. *Nihil tibi abstuli*, i. e. nulla re te privavi; sed Euclio aliter accipit, quasi *tibi* dativus commodi esset, in tuum usum, tui usus causa. Wagn. comparat Capt. 860. — *abstuleras*, cf. ad Amph. 379. — 628. Leviculi errores codicis B, quod inversa sunt personarum nomina, et „Hæc quid" pro ecquid scriptum, olim sublati sunt, nec Francken. Camerarii scripturam „ST. Hem quid agis? EU. Quid agam?" referre debuit. *Ecquid agis?* sic dicit morae impatiens, cui nihil agi aut effici videtur, cf. Epid. 677. Idem significat, quod Wagn. substituit: „Age si quid agis"; substituit autem versus causa, quamquam idem (in notis) hiatum post *agam* ferri posse censet; sed productam ultimam huius verbi quomodo feremus? Guietus „Hoc auferre" edidit Müller., „Hinc", Francken. „Mea", quod probavi. — *non potes*, non licebit. — 629. *Pone*, i. e. depone ollam. Recte et ex communi more hoc dicitur omisso obiecto, cf. Merc. 766: „dum illi ponunt", sc. vasa. Hor. Ep. I, 16, 35: „Pone; meum est, inquit. Pono, tristisque recedo". — *Id quidem* Pareus em.; plerique: „Equidem". Mox quum *data re* intelligi non possit, edd. „datare" scribunt, id autem eodem modo intelligunt, quo „dare" Casin. 339. „Servus" inquiunt „obscenum iocum captans, quum Euclio „Pone" dixisset, hoc verbum pro adverbio accipit, quasi „a tergo"; ac re vera tali ambiguo Plautus utitur Poen. 614 sq.: „Pone nos recede. CO. Fiat. AD. Nos priores ibimus. CO. Faciunt scurrae quod consuerunt; pone sese homines locant". Sed inde non sequitur idem h. l. factum esse. Cavillationem inesse apparet, turpitudinem non apparet. Equidem *dicture* Plautum scripsisse credo. Postquam Euclio servum, quod secum portaret, ponere iussit, ut in Horatiano loco, quem laudavimus, servus respondet, latronis hanc vocem esse, sed se facile credere Euclionem ea uti solere. — 630. *hoc* Wagn. quasi „huc" accipit, cf. Brix. ad Capt. 477, nos ad Bacch. 1150; nec „hic" necessarium, v. ad 698. — *aufer cauillam*, desine cauillari, cf. Capt. 959. Curc. 245. Men.

595. Poen. 1038. Pers. 795. Trin. 66. Trucul. 848. Ter. Phorm. 223. Hor. Sat. II, 7, 43: „aufer me vultu terrere". — 631. *ego* iam in codd. emendatum. Ante *quicquid* quum sine idonea causa spatium vacuum relictum esset, rubricator codicis B Euclionis nomen inseruit. — 632. Nonius p. 396: „*Sumere* est accipere, tollere", paulo post h. v. sic corruptum affert: „non equidem ego qua uoluptate sumsi neque tetigi". — 633. *Em* v. ad Amph. 771. *ostendi* D et I, cett. „ostendo"; de perfecto cf. ad Amph. 52. Epid. 672 legitur: „Uincire uis? em, ostendo manus". Gruter. et posteriorum plerique sic distinguunt: „STR. Em tibi. EU. Ostende. STR. Eccas". — *tertium*, ridicule; homo suspiciosus numquam contentus est, quamvis apertum sit, Strobilum nihil habere. — 634. *Laruae*, v. Amph. 770. *intemperiae*, supra 71. — 635. *Facisne mihi iniuriam*; versus longior videtur; Weis. „mihi", Wagn. „Fateor" del. Mihi magis probatur Bothii lectio: „Facin mi iniuriam". — Euclio respondet: „Profecto maximam tibi iniuriam facio, quod te nondum suspendi, ut verberarereris", cf. ad Asin. 297. — 638. *Niue . . . uellem*, i. e. „vel potius di me perdant, nisi vehementer doleo, quod nihil abstuli"; nam quum se nihil abstulisse affirmet, tum id dicere studet, quod Euclio aegre ferat. Haec verba, quae in codd. Euclioni tribuuntur, Strobili esse intellexit Bothius, sed errat, quod eum secum haec loqui putat. Post *uellem* hiatus in diaeresi; Müller. „me" addebat. — 639. *Tuo arbitratu*, ut tibi placet, cf. 646. Bacch. 871. Asin. 326. Pseud. 665. — *tunicas* v. ad Amph. 364. Haec Both. Weis., quasi interrupta Strobili verbis sententia, cum antecedentibus iungunt: Excute pallium, . . . ne habeas; sed nihil impedit, quo minus etiam excusso pallio inter tunicas aliquid celetur. Immo *ne* est „modo ne" suppressa non optandi sed verendi notione, cf. Cic. Fin. V, 3, 8: „Sed ne, dum huic obsequor, vobis molestus sim"; ad quem locum Madvigius confert Ter. Eun. 183: „Uerum ne fiant isti uiginti dies". Heaut. 617: „At ut satis contemplata modo sis". Ad. 835: „Ne nimium modo . . . nos . . . tuus iste animus aequos subuortat". Plaut. Stich. 600: „At ille ne suscenseat". Most. 907: „At enim ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi". add. Pers. 540: „Ne quis uero ex Arabia peni-

tissima persequatur". Interdum eiusmodi sententiæ, non mutata particulæ vi, cum antecedentibus iunguntur, v. supra 39 et annot. — 640. „*quam benigne*, quam liberaliter potestatem facit exquirendi!" Lamb. — 641. *Noui sycophantias* olim emendatum, sed versus hiatu laborat, qui nec post „rursum" nec post „ostende" verisimilis est, nec Euclioni dicendum erat, se sycophantias nosse, quod sibi laudi tribuere non potuit, sed Strobili sycophantias se perspicere. Desideratur „istas", quod quoniam metrum non fert, *tuas* scripsi. Licentius Brix., quem sequuntur Wr. et Fr.: „ostende huc dexteram. STR. Em [tibi]. EUC. Nunc ..." — 642. *Dexteram* olim emendatum. — 646. *penes* non postponitur solum, sed etiam longius a *me* separatur, cf. Ter. Hec. 535: „quae te est penes". — 647. *qui* pro „quis" olim emendatum. Si versus recte scriptus est, *intus* priorem corripit. Quo numeri faciliores fierent, Wagn. „mane" semel scripsit, Both. Weis. Müll. „ille"; Müller. præterea „tecum erat", improbante Luchsio, Studem. Stud. I, p. 45. Franck. „quis illic est alter, qui intus tecum erat simul?" — Suspiciosus homo, quoniam apud Strobilum nihil invenit, iam se alterum cum eo vidisse imaginatur. — 648 sq. *Perii ... habet*, hæc Euclio secum. *turbat*, turbas facit. — *hunc*, Strobilum, *hic*, alter, δεικτικῶς; Both. et Fr. „hinc"; scilicet „ille" expectabant, sed cf. Capt. 1006. Mil. 379 et 420: „quo modo hæc hinc huc transire potuit". Stich. 644: „Cadum modo hinc a me huc cum uino transferam". Truc. 692: „Quom hoc iam uolupest, tum hoc [est] nimio magnae melliniae mihi". — *amitto*, dimitto, v. ad Asin. 604. Ne quis „Sed" ante „hunc" desideret, v. ad Amph. 350. — 649. *hunc iam*, hoc ordine Nonius, qui bis versum affert, p. 317 et 469. *perscrutaui;* activa forma præterea ex uno Ammiano affertur. — *nihil habet* olim emendatum. — 650. *dique*, antiqui edd. „omnes" addiderunt, idque in B inveniri affirmavit Gruterus, falso; nec omissum offendere debet, cf. Capt. 862. 903. 917. Casin. 253: „Hercules dique istam perdant!" Hæc verba cod. B. Strobilo tribuit, proxima autem (*Haud male ... gratias*) Euclioni, recte; Euclio sibi gratias merere videtur, quod Strobilum dimiserit. Deteriores codd. et editorum plerique personarum ordinem invertunt; verum si

Strobilum dicentem faciunt: „Euclio potius gratias mihi agere debuit, qui nihil abstulerim", id nos intelligere volunt, quod nusquam significatur. Sed hiatus post „male" parum verisimilis, quare Weis. „agit male", Wagn. „gratias agit"; Müller. „egit", quæ omnia improbat Luchs., Studem. Stud. I, p. 23, ipse coniiciens: „Uah! ut male". Koch. in Ann. phil. CVII, 842: „Haud male hic agit gratias". — 651. *hinc* omisit Nonius p. 172, idque metrum commendat. *Sociemus* est socius, rara vox; restituenda videtur Trucul. 434: „Sed socienni unanimantis" (codd.: sotie). — *interstringam*, cf. Rud. 655: „Qui sacerdoti scelestus fauces interpresseris". — 652. *te uideam* codd.; Both. et numeris et sensu postulante: *reuideam*, cf. Trucul. 319: „Nunc ad eram reuidebo". De omisso obiecto vid. ad Asin. 392.

653. Dum Euclio fanum intrat, Strobilus senariis secum loquens promittit fore, ut aurum auferat. *Emortuum me mauelim*, cf. Amph. 1011. — 654. *dem insidias*; Gron. conf. Mil. 305. Pseud. 598. 1235. — 655. Post *Nam* hiatus. Camer. „Namque". Müller. „iterum" addebat. — 656. *ecferet* olim em. — 657. *foris crepuit*, cf. Amph. 492. Si versus recte traditus est, hic proceleusmaticus est. — 658. *ad ianuam*, Megadori ædium, credo, in cuius umbra latebit. Acidalius „hinc ab ianua" fani fores intelligens.

659. Exit Euclio ollam secum ferens, quam in Fidei fano parum tutam credit. Charis. p. 70 Keil.: „fides cum chordam significat, huius fidis facit, cum deam, huius Fidei, quamvis Plautus dixerit: Fidei censebam etc." Charisius „fide" scripsisse videtur, ut ipsa scriptura vocem bisyllabam esse significaret, v. ad 607. — 660. *subleuit* et Varro apud Charis. p. 189 K. et Nonius p. 45, qui: „Subleuit significat illusit et pro ridiculo habuit, tractum a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur". Eiusmodi ludibrium Petronius commemorat c. 22, a Plauto alienum est. Os sublinere alicui est præstigiis oblatis oculos turbare et cæcos reddere, cf. Capt. 650. 777. Curc. 589. Epid. 425. Mil. 110. Merc. 476. Pseud. 724. Trin. 558. — *paenissume*, cf. 458. — 661. *coruos*, v. 616. *periissem*, Guiet. — 662. *coruom ad me ueniat uelim*, nota

structura vulgaris sermonis, qua subiectum sententiæ pendentis ita anticipatur, ut obiectum regentis sententiæ fiat. Quod quum in faciendi verbo sæpissime fiat, ut Asin. 28. Aul. 435. Epid. 597. Most. 382. Mil. 149. 1249. 1314, tum fit etiam in verbis voluntatis, ut h. l. et Men. 750: „expetiit me, ut ad sese irem"; et in declarandi et sentiendi verbis, ut Men. 866: „ne me indicetis, qua platea hinc aufugerim", ut supra 534. Most. 799: „Non tu uides hunc, uoltu ut tristi sit senex?" Merc. 474: „Responde, quo leto censes me, ut peream potissumum?" Lucret. III, 870: „ubi se videas hominem indignarier ipsum post mortem fore ut putescat". cf. Madv. Gr. Lat. 439 not. 1. — 663. Post *illi* hiatus; Wagn. „illic" scripsit, quasi „illice", ut Ritsch. Men. 304 al.; sed talis forma ferri vix potest. Müller., Pros. p. 537 „mihi" post „fecit" addit; Fr. „illi aui". — 664. *dicam*, *παρὰ προσδοκίαν*. Expectabatur „faciam", sed avarus homo, qui nihil perdere sustinet, ne corvo quidem, quod edat, dare vult. *duim* et *perduim* Camer. em.; coniunctivi potentiales sunt, Madv. Gr. Lat. 350 b. *edit* coniunctivus, ut Trin. 102. 473 sqq. Cic. Fin. II, 7, 22 cum not. Madv. — 665. *cogito locum*, i. e. excogito, invenire studeo. — 666. *Siluanus* apud Græcum auctorem fortasse Pan fuit. *lucus* et *auius* Nonio debentur, qui p. 396 „*Sumere*" dicit „est etiam eligere". — 667. Nonius: »Creber salictu opletus; ibi". — 668. *Certum est*, *credam*, cf. 673.

669. Postquam Euclio abiit, Strobilus, qui verba eius excepit, triumphat. *Euge*, *euge*, olim emendatum. — 670. *præcurram* cod. I ceterique dett. — 671. *Indeque* priorem corripit, cf. 699. 358. Prolegg. p. 203. Guiet. aliique: „inde". Post „obseruabo" hiatus in cæsura; Müller. „Atque inde" voluit. — 672. *me erus* cum hiatu legendum, v. Prolegg. p. 220. — 673. *malam rem quaeram*, v. 475.

674. Lyconides adulescens Eunomiæ matri suæ narravit se Euclionis filiam compressisse, agitque cum ea, ut Megadoro persuadeat, ut sibi puellam cedat. *Iuxta mecum*, una cum me, tam bene quam ego, cf. Mil. 236. Pseud. 1159. Pers. 250. Sall. Cat. 58: „iuxta mecum omnes intelligitis". Nonius p. 322 „similiter" interpretatur, hunc versum afferens ita ut „mecum rem"

scribat. — 676. *Resecro*, i. e. iterum obsecro, cf. Pers. 48: „obsecro resecroque te“. Explicaverat hunc locum Festus p. 282, sed præter paucas litteras cetera perierunt. In epitoma hæc cum alia eiusdem verbi significatione iunguntur: „Resecrare est religione solvere etc.“; quæ res in fraudem et alios induxit et Pithœum (Advers. I, 10). „Obsecrare“ inquit „est religione iurisiurandi solvere. Obtestatus erat matrem Lyconides, ne eorum, quæ ipsi de Euclionis filia aliquando dixerat, apud avunculum mentionem faceret; nunc obsecrationis religione eam absolvit rogatque, ut cum avunculo de amica colloquatur“. Immo nunc primum filius cum matre hanc rem communicavit, quoniam res cogebat, ut cum Megadoro ageretur. *dudum* autem constat apud Plautum non olim significare, sed nuper, v. ad Amph. 654. Casu hunc et proximum versum in codicibus permutatos esse Bothius intellexit. — 677. *fac mentionem cum*, cf. Cist. 131: „quae saepe mecum mentionem fecerat“. Pers. 110. — *auonculo* alteram syllabam, quam v. 35 longam habet, hic et 771 et 792 corripit, v. Müller., Pl. Prosod. p. 232 sq.; de 775 res dubia est. Brixius aliique duas primas contrahendas censuerunt. — 678. *uelle me quae* olim emendatum. — 679. *a* addiderunt edd. antt. *inpetrassere*, fut. inf., ut Capt. 168: *reconciliassere*. — 682. *te aduorsum*. Nonius p. 232: „Advorsum ... apud significat“, inter alia hunc quoque versum afferens; add. Poen. 397: „ne mendax me aduorsum siet“. Ter. Andr. 265: „de illa me aduorsum hunc loqui“.

683. Opportune auditur vox puellæ parturientis intus. *uterum* neutro genere Nonius p. 229 ex h. l. et ex Afranio et Turpilio affert. — 684. *Iunonem Lucinam* Romanæ mulieres, ut Græcæ *Εἰλείθυιαν* invocabant, v. Ter. Andr. 473. Ad. 487. Cic. Nat. deor. II, 27, 68. — *tuam fidem*, cf. Curc. 196. al. — 685. *rem potiorem*, „verbis‘ audiunt interpretes, nimis obscure. Scripsi, quod sensus postulare videbatur, *patere*, cf. Capt. 519. — 686. *Ei* B, i. e. I, v. ad Asin. 482. — 687. *efficiam tibi* pro glossemate delendum esse vidit Scioppius; cf. etiam Gœtz. Act. Lips. VI, p. 236. — 688. *I, iam* edd. antt. — 689. *iusseram*, v. ad Amph. 379. — 690. Pro *Nunc* Seyffert. Stud. p. 8 „Quom“ proposuit; cf. tamen Bacch. 526. — 691. *iniuriumst*, cf. Cist.

104. 307. Ter. Hec. 71. 72. Cic. Off. III, 23, 89. „iniurius“ Rud. 1152. Ter. Andr. 378. Heaut. 320. — 692. *ubi* ultima longa; vehementer dubitat Müller., Pl. Pros. p. 28. — *de capite meo sunt comitia*, i. e. de salute mea agitur; cf. Trucul. 806: „meo illic nunc sunt capiti comitia“. Pseud. 1228: „Pseudulus mihi centuriata habuit capitis comitia“; nam de capite civis Romani nisi comitiatu maximo agi non poterat. Plauto autem in promptu erat, ut consilium cum senatu, ita iudicium cum comitiis comparare.

693. Strobilus ollæ potitus ingentibus laudibus divitias suas prædicat et, quicquid aut ex fabulis aut ex historia opulentissimum commemoretur, se superare dicit. Fabula autem erat antiquitus notissima, cuius Herodotus IV, 13 Aristeam Proconnesium auctorem affert, de Rhipæis montibus aurum ferentibus sed aditu difficillimis propter grypes aurum servantes, quibus ea de causa cum Arimaspis vicinis continuum bellum esset. Ex Herodoto hæc repetit Plinius H. N. VII, 1, 2, 10: „(Arimaspis) assidue bellum esse circa metalla cum grypis, ferarum volucri genere, quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum, mira cupiditate et feris custodientibus et Arimaspis rapientibus“, et Mela II, 1, cui „gryphi sævum et pertinax ferarum genus“ sunt. De gryphis autem Servius ad Verg. Buc. 8, 27: „Omni parte leones sunt, alis et facie aquilis similes“, nec aliter in imaginibus vel sculptis vel pictis apparent. In Italiam hæc fabula mature admodum pervenit, si quidem antiqui Romani mutato nomine non grypos sed aut *pices* aut *picos* appellarunt, sive de feris illo modo formatis cogitarunt, sive ad picos aves auri cupidissimos fabulam transtulerunt. Res dubia est, nam Nonius p. 152: „*Picos* veteres esse voluerunt, quos Græci grypas appellant. Plautus Aululariа: Pici diuitis, qui aureos montes colunt, Eos solus supero“; Plautini autem codd. *Picis* habent, quam antiquam nominativi formam eiusdem nominis (pici) esse censuit Ritsch., Mus. Rhen. IX, p. 156. Et attractionem quidem nominis ad sequens pronomen relativum sæpius apud Plautum fieri constat, vid. ad Amph. 1002; sed hoc loco attractionem interposita vox „diuitiis“ impedit, quæ isto modo a verbo, ad quod pertinet, divulsa in alteram sententiam trans-

ferri non potuit, quare etiam Fleckeisen., dum nominativum „pici“ commendat (Ann. phil. CI, p. 459) pro „diuitiis“ „Rhipaeos“ substituebat. Quod quoniam licentius fieri videtur, non dubito, quin accusativi casus sit *picis* (nam „picos“ scribere non audeo). Illud quæri potest, utrum heteroclitos illa nominativi forma, quam ex antiquissimis inscriptionibus novimus, etiam ad accusativum pertinuerit, an, quæ Bothii sententia fuit, huius nominis nominativa forma non „picus“ fuerit, sed „pix“; *Φίξ* enim a Bœotis dicebatur, quæ vulgo *Σφίγξ* erat, ac fieri potest, ut eodem nomine antiqui Itali hæc quoque monstra (*γρῦπας*) appellaverint. Ceterum antiqui Romani etiam situm aureis montibus alium adsignasse videntur, nec Scytharum eos sed Persarum credidisse, v. Stich. 29: „Neque ille sibi mereat Persarum montis, qui esse aurei perhibentur“; et ex Varrone Nonius p. 379 affert: „Non demunt animis curas ac relligiones Persarum montes, non diuitis atria Crassi“. — *colunt*, incolunt, cf. v. 4. — 694. *Nam* ad sequentia refertur, v. ad Amph. 104. Cum Philippo solo, Macedonum rege, cuius nomine circumferuntur aurei nummi, se comparat, nam ceteros reges quasi mendicos præ se spernit. — 695. Post *nolo* hiatus in cæsura; quod Müllerus addi posse putavit „immo“, minime aptum est. Versum affert Nonius p. 138, sed male enarrat: „mendicabulum pro mendicatione“; dicendum erat: pro mendicis, ut servitia pro servis. — 697. *abii* olim emendatum. *illuc* ut pro pyrrhichio sit, vix verisimile est; Lamb. „illo“ scripsit, Both. „adueni illuc“, alius ueni“. — 698. *conlocaui in arborem.* Taubm. confert Cat. R. R. 88: „in patinas in sole ponito“, ib. 52: „in arborem relinquito“; Wagn. Men. 965: „Postquam in tabernam uasa et seruos conlocaui“. Trin. 739: „te in crimen populo ponat atque infamiam“. Rud. 1237: „in eas esca inponitur“. — 699. *Indeque*, cf. 671. *exspectabam* ferri non potest, nisi et „ibi“ scribas pro „inde“, et „dum“ cum coniunctivo adiungas. Gulielmus vidit *aspectabam* scribendum esse. Hiatum post h. v. cæsuræ causa facile ferrem, nisi sequeretur malus anapæstus „ubi abstru-“. Antt. edd. verba transposuerunt. — 700. Versum affert Nonius p. 284, sed corruptum: „ubi ille abit, ego me duco serium de arbore“. *me duco* v. ad Amph. 1058. — 701. *Exfodio*

codd. h. l. Si proxima recte tradita sunt, aut post *plenam* hiatur aut versus in duos iambos exit; sed ultima corrupta videntur; nam *inde ex eo loco* si cum antecedentibus iunguntur, repetitionem habent inutilem; cum sequentibus autem multo minus iungi possunt, nam ante quam senex abiit, servus ollam effodere non potuit. Non ferendum esse „ex eo loco se recipere“ intellexit Gulielmus, qui coniecit: „Inde exeo. Ilico uideo etc.“ non abitum senis ex luco, credo, sed reditum in lucum intelligens. Ac sane quoniam mox Euclio introducitur raptam ollam esse vehementer querens, necesse est spectatoribus indicetur, eum ad lucum redisse thesauri inspiciendi causa, neque hæc loci significatio abesse potest. Requiritur igitur tale quid: „In eundem mox locum Uideo etc.“ — 702. *se* D, B man. sec., cett. — *ille* primam corripit; dubitat Müller. p. 332. — 703. *non* cum v. „paulum“ Both. iungit, quasi multum, sed nec hoc dicendum erat, nec talia divelli possunt. Antiqui edd. „modo“ substituerunt; alii omiserunt, quo facto versus causa Harius „paululum“, Wagn. „med“ scripsit; forsitan post *Nam* hiatus ferri possit; sed tum cæsura interit. — 704. Post *ipsum* hiatus in cæsura; Müllerus p. 683 sq. varia conatur.

705 sqq. Euclio, qui in Silvani lucum redierat, ut videret, num olla salva esset, postquam ablatam animadvertit, vix sui compos de infortunio suo anapæsticis numeris queritur. Sunt autem septem octonarii cum septenario; tum duos octonarios (713—14) sequuntur duo versus dubii metri; postremo duo octonarii cum clausula. Huc pertinet locus Rufini de metris p. 385 Gaisf.: „Sisenna in Aulularia*m* sic: hæc scena anapæstico metro est, sed concisa sunt, ut non intelligas“. Versus maximam partem in B sic discripti sunt; sed primorum turbatus est ordo, nam propter longitudinem versuum duo octonarii in tres versus dividuntur, quorum primus in „non curram“, secundus in „atque“ terminatur. 705. *occidi* ultimam corripere videtur ad rationem iambicarum vocum, v. Prolegg. p. 207. *tene tene*, proceleusmaticus pro anapæsto. Furem prehendi iubet, ut v. 407; sed fatetur, se nec novisse nec videre quem aut quos prehendi velit. *quis* si nominativus singularis est, sensu caret, nec enim unum aliquem, sed omnes furem prehendere iubet; si quis pro accusa-

tivo pluralis habeat, exempla talis formæ desunt, nam „sei ques“ in SC. de Bacchan., C. I. L. I, 196, v. 3 et 24, nominativus est; quare scripsi id, quod sententia postulat: *quos*. — 706. *nihil* una syllaba legendum ut *mihi* in proximo v.; post *quo* hiatus. — 707. *cum animo*, cf. Most. 690: „cogito cum meo animo“. Ter. Ad. 500: „hoc tu facito cum animo cogites“. Sall. Jug. 11, 8: „ea cum animo habere“. — *certum*, i. e. pro certo, cf. Ter. Eun. 921: „ut certum sciam“. Phorm. 148: „Non certum scio“. Cic. Fam. IX, 23. al. — 708. *quis* codd. B et D, deteriores et edd. „qui“; sed anticipationi (v. ad 662) hic quoque locus esse videtur. — 709. *Quid est quod ridetis?* De indicativo vid. ad Amph. 167. Hunc versum errore omissum, deinde post duos proximos scriptum, in suum locum reduxit Acidalius. Euclio spectatores alloquitur, quod non in prologis et epilogis solis fit, sed etiam in mediis scenis, v. Rost. Opusc. Plaut. I, p. 10 sq., ut Most. 697: „Uostrae“. Men. 866: „ne me indicetis“. Mil. 859: „ne dixeritis, obsecro, huic“. ib. 1124. Poen. 553 sq. Amph. 991. Alloquitur autem comico more, ut vitia eorum corripiat. — 710. *uestitu et creta*, i. e. vestitu cretato, nitido; creta enim in laneis vestibus purgandis utebantur fullones, v. Plin. H. N. XXXV, § 198. Theophr. Char. 10 extr. cum annot. mea, cf. etiam Poen. 972 et annot. ad Asin. 898. Ceterum h. l. tam Lipsius errat, qui tenuiores solos sub ludorum dies togas incretasse putat, quam Koepkius, qui candidatos honores petentes significari censet. Omnes paulo honestiores nitidi ludos spectabant, et sedentes quidem, nam inferior plebs fere stans spectabat (vid. Ritsch. Parerg. p. 218). — 711. *tu*, certum aliquem ex spectatoribus alloquitur. *ex* pro *et* olim emendatum, cf. v. 759. — 712. Ille, quem allocutus est, significasse videtur, neminem eorum, qui adsunt, habere. *Occidisti*, sc. me, v. ad Asinar. 392. Versus septenarius est, ut h. l. systema terminetur. Fuerunt, qui octonarium restituendum putarent, ut Wagn., qui pro *quis* „si quis“ scribit, parum apte (quamvis non concesserim Beckero in Studemundi Stud. I, p. 129 „igitur“ ad sequentia trahenti); Schmidt. de pron. dem. p. 49 „horunc“ voluit, quo fit, ut versus diæresi careat, v. Studem. Ann. phil. 1876, p. 69. — 713. *misere* olim emendatum est;

Seyffert., Stud. p. 9 maluit „misere miserum“. — *ornatus* primam corripit, v. Proll. p. 204. Significat autem „affectus“, cf. Rud. 730: „Ita ego te hinc ornatum amittam, tu ipsus te ut non noueris“. Capt. 992. Ter. Ad. 176: „ornatus esses ex tuis uirtutibus“. *eo* autem est „incedo“, ut v. 706 „caecus eo“. — 714. *gemiti* ex antiquis grammaticis emendatum; nam propter hanc secundæ declinationis formam versus affertur et a Nonio p. 487, qui cum Plautinis codd. in errore *mali* consentit, et a Prisciano VI, 73, p. 258 H., apud quem recte *malæ* scribitur. Vox pro pyrrhichio est, v. Proll. p. 206. *mihi*, vel „mi“ cum sequenti syllaba coalescit. Post *optulit* olim *et* addideram, ut restitueretur octonarius; quem perdidit Camerarius contra codicis testimonium versum in „obtulit“ terminans; iam cum Müllero, Pl. Pros. p. 195, eum verborum ordinem præfero, quem et Priscianus et Nonius habent: „mihi hic dies“. Quod autem copulativa coniunctio inter duo priora membra deest, v. ad Asin. 564. — 715. *Perditissumus* et *perdidi* (717) primam corripere videntur, v. Proll. p. 204. — 715 sq. unum Müllerus octonarium facit non nullis mutatis: „Perditissumus sum ego homo in terra“ aut „Perditissumus sum omnium ego in terra. quid“. — 717. *concustodio* extat in inscr. Mus. Veron. p. 170, 1. *Egomet* ultimam non producit. „*defraudaui* . . . *genium*“ ait Wagn. „legitur etiam Ter. Phorm. 44. Lucil. ap. Non. p. 117; contrarium autem Pers. 262: genio meo multa bona faciam“. Cf. etiam Stich. 622. Truc. 185. Hor. Od. III, 17, 14. — 718. *eo* corruptum delevit Both.; immo aut cum Müllero „ergo“ scribendum aut, ut voluit Seyffert., Philol. XXVII, p. 438: „adeo“.

720. Lyconides eiulatione ante aedes audita auxilii, credo, ferendi causa exit, sed Euclione viso, quum eum de filiæ partu queri suspicetur, vehementer turbatur. Octonariis trochaicis loquitur. — 721. *Atque*, cf. 611. Both. Weis. Wagn. male „At“. — 723. haebam anima meam. Sic errores codicis B expunctis tribus litteris mature correcti sunt, et in D recte scribitur versus. Alterum errorem removit Acidalius deleto *an* ante *adeam*, nec enim una quæstionum series proponitur, sed duo dilemmata, atque adeo unum duobus modis enuntiatum. Quod autem versus iusto

longior est, nam vix dubitari potest, quin hic septenarius sit octonariorum seriem claudens, Harius intellexit verba *quid agam* errore bis scripta esse et priore loco tollenda esse. Restant hiatus post „maneam“ et post „agam“, quorum posteriorem Brix. Wr. Fr. addito „ego“ tollendum censent, quum priorem interpunctionis vi defendant.

724. Interroganti Euclioni Lyconides respondet, se esse; simul, quo misericordiam eius moveat, se miserum dicit. Euclio autem, quasi vox *miser* non appositum, sed prædicatum enuntiationis sit, respondet: „Immo ego sum miser“. Rem post Aldum expedivit Acidalius, Divin. p. 83 scribens: „LY. Ego sum miser. EU. Immo ego sum, et misere perditus“. Seyffertius autem, Stud. Plaut. p. 8: „Immo ego sum et miser et perditus“. In codd. alter versus incipit a voc. „Et“, tertiusque a voc. „Animo“, quartus demum („Sollicitat“) in ordinem redit. — 725. „*maestitudo* pro maestitia“ ait Nonius p. 136 et Accii locum et hunc afferens, in quo „qui“ pro „quoi“ errore scriptum est. — 726 sqq. Ridiculum colloquium, ubi alter de olla, alter de puella loquitur, neuter alterius verba intelligit. — 728. *uerum* I ceterique codd. dett. — *de te merui* edd. vett., sed lacunæ spatium, quod in B et D indicatur, maius est, nec hiatus post „merui“ verisimilis, quare addidi etiam *nam*; cf. Men. 479: „Quid de te merui, qua me causa perderes?“ Ter. Heaut. 83: „Quid de te tantum meruisti?“ — 729. *perditum ires*, i. e. perderes, ut Trucul. 556. Liv. XXXII, 22, 6; cf. Bacch. 563. 1170. Cist. 4: „honorem ire habitum“. 38: „eunt depressum“. Mil. 622: „ire opitulatum“. Pers. 64: „ire aliena ereptum bona“. — 730. *Deus*, ὁ θεός = τὸ θεῖον. — *fuit* ultimam producit, v. Proll. p. 196. — 731. Hiatus post *peccauisse* non verisimilis; Bentleius *me* addidit. — 733. *ausus* secundam personam esse facile apparet; „Cur es ausus?“ familiaris Plauto locutio, v. Capt. 698. Epid. 699. Men. 482. Mil. 1393. Pseud. 348. Trucul. 596. 598. — *esset* olim emendatum. — 735. *ni uellent*, i. e. nisi voluissent, v. Madv. Gr. Lat. 347 b not. 2 et Francken. ad h. l. — 736. Euclio Lyconidi vincula minatur. *nervum*, cf. ad Asin. 544. *apud te me* codd.; errore Lorenz. „me te“ tradit; sed sic scribendum esse

olim et alii et Meursius intellexerunt; male Acidalius: „ob te me“. — 737. *meam tactio*, cf. 415. — 738. cf. 788. Ter. Ad. 470: „Persuasit nox, amor, uinum, adulescentia“, Ovid. Am. I, 6, 59: „Nox et amor vinumque nihil moderabile suadent“. Wagn. — 740. *Nam si istuc ius est* cet., cf. Merc. 975: „Nam si istuc ius est, senecta aetate scortari senes, Ubi locist res summa nostra publica?“ ubi Ritsch. licenter coniunctivos intrusit, id quod Wagn. Franck. minore etiam iure nostro loco facere student, nam coniunctivi qui sequuntur („deripiamus, excusemus“) optativi sunt, non hypothetici. Nec aliter indicativus ponitur v. 743 sq. Rud. 190. Trin. 1166. — *istuc excusare*, cf. Madv. Gr. Lat. 223 b. — 741. *Luci claro* ex Nonio restitutum est, qui p. 210 huius formæ non hoc solum exemplum affert, sed etiam duo Varronis et unum Ciceronis (Off. III, 31, 112, ubi cod. c: „cum primo lucis“, cett: „cum prima luce“) et unum præterea, cuius verba extant, auctoris nomen excidit una cum antecedentibus Ciceronis verbis. „Cum primo luci“ posuerunt etiam Plaut. Cist. 355. Ter. Ad. 841. Atta apud Non. p. 468 s. v. „auspicavi“. Inde Nonius aliique „lucem“ etiam masculini generis esse putarunt, quod non sequitur ex Capt. 1003, alii, ut schol. Bemb. Terentii, rectius „luci“ genetivum pro „lucis“ esse censent, v. Bergk., Beiträge zur lat. Gr. I, p. 146 sq. (De ablativi forma *luci* cf. ad Amph. 163.) — *deripiamus* de detrahendis aureis ornamentis recte dicitur, ne quis Franckenium „clarod eripiamus“ scribentem sequatur. — 742. *Postid* cf. Cas. 33. 130. Trin. 529. Trucul. 420. 749; „locorum“ additur Cas. 120. Poen. 144. Trucul. 650; „postidea“ Stich. 101, „postidea loci“ Cist. 618. Stich. 753. v. Ritsch. Opusc. II, p. 270. — *deprensi* scripsi cum Wagn. versus causa, priores „prehensi“. — 743. *Nimis uile est*, i. e. nimis parvum pretium est; si vino atque amore impunitas emi potest, nimis vili pretio constat. Nec enim res solum, quæ emitur, sed etiam pretium, quo emitur, vile dicitur, v. Martial. I, 77, 1; cf. Mil. 735 „annona uilis“. Epid. 52: „Quanti eam emit? TH. Uili“. — 744. *licet* iam D. — 747. *non attactam oportuit*, v. ad Amph. 733. — 750. *oportere*, cf. 786. Ter. Andr. 780: „Coactus legibus eam uxorem ducet“.

Ad. 490. — 751. *iam* emendavit Brix. Idem „illam meam“ scribebat, ne versus diæresi careret. — 752. *Nisi refers*, inquit, *quod surripuisti, te ad prætorem rapiam*, hæc una enuntiatio est interlocutoris verbis non turbata, v. ad Amph. 1136. Antiqui enarratores quum perperam aposiopesin h. l. statuissent, Acidalius proximum versum huic anteponendum censuit, quod et ipse fortasse præferrem, si per codd. liceret. — 753. *Ad prætorem rapere*; in ius rapere tam Romanis quam Græcis moribus convenit; sed apud prætorem Romanum res fere sponsione aut alia quadam formula agebatur, Græci scriptis libellis utebantur (*δίκην γράφειν* s. *γράφεσθαι*). Itaque Romani poetæ in hac re Græcum nomen *dicam* ponunt, v. Poen. 803: „Cras subscribam homini dicam“. Ter. Phorm. 127. 329. 668. Cic. Verr. II, 15, 37. — 754. *Subripui* I ceterique deteriores, recte. — *amabit* olim emendatum. Tam certus est, eum hoc scire, ut, si nesciat, Iovis ei amorem optet; solemnis iurandi formula. — 755. Lyconides „Nescio profecto“ inquit „nisi tu mihi dixeris“. — 758. *immo* secundo loco positum semel præterea inveniri videtur, Capt. 353: „Optume immo“. Wagn. — 759. *neque scio nec noui*, cf. Mil. 454: „neque uos qui homines sitis noui neque scio“. — *ex* iam in codd. emendatum. *abstuleras*, cf. ad Amph. 379. — 760. *dimidiam partem diuidam*, v. ad Amph. 1141. — 761. *ero fuero* B et D, i. e. *fuero*, quod librarius, quum errore „ero“ scripsisset, statim adscripsit; de futuri forma cf. ad 562. Sed propter hunc errorem versus longior factus vocem extremam perdidit, quam *modo* fuisse suspicatus sum. Superiores retento voc. „ero“, alterum mutarunt; emendator cod. B *i* pro *f* scripto: „I uero, refer“, et sic Francken. I et plerique codd. et edd.: „Molestus non ero furi, refer“. Weis. „Molestus non ero. Fur, i, refer.“ Gertz. „non ego fuero“ malebat. — 763. *De alia* cum hiatu legenda videntur. Weis.: „De alia re rescisse censui, quod ad med attinet“. Pro *quod* editorum plerique: „quae“, cum antecedentibus hæc iungentes, quasi „attineret“ scriptum esset; equidem post „censui“ plene interpungo. — 764. Versus iusto longior, atque adeo octonarius iambicus, nisi „otiose“ pro tribus syllabis sumas (cf. 179). Weis. voc. „res“ omittebat, quod omitti non potest;

potius „Magna“ omittatur. — *loqui*, cf. 134. — 765. *Bona* Lyconidi tribuendum esse, olim intellectum est, sc. fide dico; cf. Capt. 884. Trucul. 580: „Inpudens mecastor, Cyame, es. CY. Egone? PH. Tu, bona fide“. Ter. Heaut. 761: „CH. Bonan fide. SY. Bona“. — 766. *Neque scis, qui abstulerit*, hæc verba ceteris anteponenda esse edd. vett. viderunt. Quod „quis“ scripserunt, non erat opus, vid. ad Amph. 127. Versus causa Both.: „quis id abst.“, Müller.: „qui abstulerit mihi“, ego *tu* addere malui. — *id* pro „ut“ B man. sec. et D. — 768 ex Nonio emendari potuit, qui p. 128 sq. „*Indipiscere*, petere, usurpare. Plautus Aulularia: nec partem tibi Adeo cui indipisces neque furem excipies?“ et p. 293: „*Excipere* excusare vel celare. Plautus in Aulularia: nec partem tibi Adeo cuivis indipiscis neque furem excipias“. Sed Plautini codd. etiam in prioribus errarunt: „Ab eo cuiquam est“. Camer., quem vulgo secuti sunt: „Ab eo, quiqui est, inde posces“; sed quis fur sit, nihil ad rem refert. Wagn. „Ab eo, quoi sit“, i. e. in cuius possessionem venit, quod significare vix potest. Müller. licentius: „Neque partem tibi Herculaneam indipisces“. Ego *adeo* Nonianum recte cum *neque* iungi arbitratus scripsi: „Neque partem tibi Adeo umquam eius indipisces“. *indipisces* est autem accipies. Euclio eum vetat id facere, quod Gripo Trachalio proponit in Rudent. 958 sq. „Ego istuc furtum scio quoi factumst; nunc mihi si vis dare dimidium, Indicium domino non faciam“. „*Excipere*“ ait Gronov. „est recipere, dare locum delitescendi, cf. Cic. Manil. 9, 23: hunc in illa fuga Tigranes rex excepit“. — *Ita* cf. Amph. 358. Men. 1074. Ter. Andr. 849. al. — 769. *Quid, si fallis* scripsi cum Camerario et plerisque. Wagn.: „It si fallis“ aut „falles“. Cf. Amph. 388: „Quid, si falles?“ aliter 926: „Id si fallo“. — *Tum me* edd. vett.

770. *Sat habeo*, cf. Most. 643. Ter. Eun. 485. Andr. 705 et 335, ad quem locum Donatus: „Sic antiqui pro „sufficit“ satis habeo dicebant“. — 771. *auonculus*, cf. 677. — 772. *pater* ultimam producere statuit Fleckeis., Annal. phil. LXI, p. 32; Ritschelius (Proleg. Trin. p. CLXXVII) *hinc* excidisse statuit. — *uocor* olim emendatum. — 773. Codices in personis distribuendis secutus Wagn. Lyconidi hæc tribuit: „Id

uolo noscere: filiam ex te tu habes?“ Verum Lyconides non id interrogat, quod optime novit. Recte superiores editores priora Euclioni tribuerunt: „Nunc quid uis, id uolo noscere“. Tum Lyconides: „Filiam ex te tu habes“. Hic si respondisset Euclio: *Immo*, negaret se filiam ex se natam habere; nam quod dicunt, affirmandi vim huius vocabuli esse posse Holtziumque Syntax. II, p. 307 id probasse, ille quidem negavit et exempla ab eo allata ostendunt, tum demum „immo“ affirmare, si antecedat interrogatio negativa. Recte igitur Wagnerus „immo“ sensu cassum esse dixit, nec male „intus“ coniecit, coll. Mil. 546: „Philocomasium eccam intus“. Pers. 247: „eccillum domi“. Ter. Ad. 389: „ellam intus“. Verum h. l. „eccillam“ nec admodum aptum est nec, si accurate rem exigas, in codd. est, nam et B et D „ecillam“ habent. Accedit in iisdem codd. lacuna ante „immo“ ulterioris corruptelæ indicium. Reponendum igitur id, quod Euclio respondere debuit sive iisdem sive similibus verbis: „Habeo filiam domi“. — 776. *renuntiare repudium*, cf. Ter. Phorm. 677: „illis repudium renuntiet“. 929: „repudium alterae remiserim“, ut hic infra 792. Iurisconsulti animadvertunt, diuortium tantummodo in uxore dici, repudium etiam in sponsa, v. Paul. Dig. L, 16, 191. — 777. „*Exornare*, ornare“ Non. p. 105 hoc versu allato, in quo recte omittit *atque*. — 778. *quantumst*, i. e. omnium, cf. Pseud. 37. Capt. 829. Merc. 654. Ter. Heaut. 810: „omnes di deaeque quantumst“. Pl. Bacch. 1169. Epid. 210: „meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit“. Ter. Phorm. 853: „Omnium quantum est, qui uiuont, hominum homo ornatissume“. Catul. 3, 2 al. — 780. *et* delevit Goeller. — *benedice*, noli maledicere, v. ad Asin. 738. — 781. *Ita di faxint*, cf. 143. *inquito*, cf. Rud. 1342. Pseud. 539: „Dabo, inque“. Ter. Heaut. 829. Phorm. 919. — 784. Both. „Quom pudeat, quin purget“ correxit; quid autem si non pudeat? Immo alterum *quin* in *quom* mutandum; hoc enim ait: Non sine pudore me purgare possum. — 785. *ego* extat in D, in B manus secunda addidit. — 786. *Ut* delerunt edd. plerique, alii in „id“ mutarunt; sed offendere non debet repetita nonnullis interiectis particula, cf. Capt. 247. Bacch. 775. Cas. 489: „ut id, quod alius condiuit coquos, ego

nunc uicissim ut alio pacto condiam". Pseud. 585: „ut, ubique cum hostibus congrediar, . . . facile ut uincam". Rud. 1256: „deos quaeso, ut quidquid in illo uidulo est, . . . omne id ut fiat cinis". Ter. Phorm. 153 sq. Cf. etiam Trin. 141—44. Madv. Cic. Fin. III, 13, 43. — *leges*, non populi suffragiis, sed communi hominum sententia sanctas. — *iubent* olim emendatum. — 787. *fecisse filiae*, hoc ordine edd., contrario codd. — 788. *Cereris uigiliis*, cf. 36. — 789. Mutato ordine: „Quod ego facinus audio ex te", ut v. 814, Seyffert., Stud. p. 9. — 790. *filiae*, v. 287. — 791. *numerum capc.* Nonius p. 254 hæc affert s. v. „Capere, accipere". Idem paulo póst: „Capere, invenire. Ter. Heaut. (964): Cepi rationem, ut neque egeres neque ut hæc posses perdere". Cf. Pseud. 600: „Ut ego oculis rationem capio". — 793. *I* in B exciderat; addidit altera manus. Servavit Priscianus I, 51 de *ae* diphthongo: „transit in *i* productum, ut quaero inquiro, exquiro, quamvis exquaero Plautus dixit in Aulularia: I intro, exquaere cett." Eandem vocalem præbent optimi libri Bacch. 718. Capt. 292. Cist. 599. Merc. 624. Pseud. 450. Stich. 111. In miliario Popiliano (Corp. Inscr. Lat. I, 551) est „conquaeisiui". — 795. *quid huius ueri sit* corruptum est: dicendum erat aut „quid huius uerum sit", ut Both. voluit, aut „quid hic (in hac re) ueri sit", ut Ter. Heaut. 237: „Pergin istuc prius diiudicare, quam scis quid ueri siet?" Fuit quum Plautum scripsisse coniicerem „quid suptus ueri sit", i. e. quid veri subsit. Weis. et Wagn. ex malis codd. „quid huius rei sit" ediderunt, quod prorsus damnandum est; nam Latine dicitur: „quid hoc rei est?" nec demonstrativum pronomen genetivo generis addi potest.

796. Postquam abiit senex, adulescens spem suam hilari animo eloquitur iambicis septenariis. — *in uado salutis*, quasi in portu, cf. Ter. Andr. 845: „Omnis res est iam in uado", ubi Donatus: „in vado, in securitate, nam ut in profundo periculum est, ita in vado securitas". — *uidetur* iam D. — 798. *Nisi*, v. 357. — „operiar" D; *opperiar* edd. — 800. *gnatum* iam in B expunctum est. *anu; ea rem* ed. pr.

801. Nova scena incipit septenariis trochaicis scripta. Dum Lyconides ante ædes Euclionis expectat, Strobilus advenit olla

inventa gaudens. Ultima scenæ pars periit; quod autem in suprascriptis nominibus etiam Euclionis nomen invenitur, is altercantibus hero et servo supervenisse videtur. — 802. Versus ut in codd. scribitur, duplici hiatu laborat, post „aulam“ et post „onustam“; Spengelius, Plaut. p. 222, utramque defendit; Müller. et transponit: „auro onustam aulam“ et extremo versui addit „homo“, Ritsch. „aurod“. Mihi alter hiatus in diæresi ferendus videtur, priore autem loco excidisse vox potuit, quæ utrum „hanc“ fuerit, ut Wagn. voluit, an „hic“, an „mihi“, iudicare non ausim, vid. ad 815. — *Quadrilibrem*, quattuor libras capientem, satis magnam, cf. „bilibrem“ Mil. 851. — *diuitior* contractis duabus prioribus syllabis legendum, v. Proll. p. 214. — 803. *Quis . . . quisquam*, v. ad Asin. 779. — 804. *mi* pro „me“ em. Wagn. — 805. *Uideone*, edd. — „Strobilum“ delevit Brix. — 806. *alius* olim emendatum. — „*Contollere*“ ait Nonius p. 81 sq. „contra tollere; Plautus Aulularia: contollam gradum“. Rectius Lambinus: „conferre“. — 807. *iussi*, v. 793. — *eampse* olim emendatum est. Post *adisse* hiatur in diæresi. Franck. transp. „adisse anum“. — 808. *atque eloquar* in codd. et huius et proximi versus exitus est. Hoc ferri non posse apparet, nec multum iuvamur, quod edd. h. v. „eloquor“ scribunt. Wagn. versum aut versus excidisse putavit, quamquam nihil desideratur. Equidem non dubito, quin errore librarius exitum proximi versus h. l. præceperit; hic quid fuerit, ignoramus. — 809. *Igitur*, i. e. tum, v. ad Amph. 207. — *manu emittere* Plautus dicere solet, ut Curc. 616. Most. 959. Pers. 484. Ter. Phorm. 830. al. — *Ibo* edd.

810. *Repperi*. L. *Quid* rubricator codicis B, D ceterique. — *Non quod pueri clamitant in faba se repperisse*, i. e. non leve quiddam aut nugatorium. Lamb.: „ne existimes rem nihili, puta vermiculum, quem „midam“ vocant, me repperisse, sed quiddam pretiosum“. Quæ posteriores repetiverunt, vix recte; nec enim pueri in fabis vermes aut quærunt aut inventis exsultant gaudio, immo horrent et abiiciunt. Aliud fuerit necesse est. Quod si suspicionem proferre licet nullo antiquitatis testimonio nixam, ut nostri pueri in fabarum et cicerum siliquis aperiendis si novem fabas aut cicerculas eadem siliqua inclusas inveniunt,

quasi certo oblato felicitatis omine lætantur, ita antiquis crediderim eundem numerum felicem visum fuisse, eosque simili invento gavisos. — 812. Hic versus et sequentium plerique octonarii sunt; vehementi enim altercationi systematis forma optime convenit; sed, ut fit, hic illic interponuntur catalectici versus. — *mane;* nam adulescens nugis detineri se ægre ferens abiturus erat. — 813. sq. *inquam* Weis. uncis inclusit; nec sane hæc simplex superiorum repetitio est; verum „inquam" non solum in singulis vocibus repetendis ponitur, sed etiam in tota enuntiatione aliis verbis accuratius explananda. Et hic quidem sententia non in voc. „plenam" terminatur, sed ad eandem pertinent proxima: „Euclioni . . . subripui", nec structuram interrumpunt interiecta Lyconidis verba, cf. 409. Negari tamen non potest omnia facilius decurrere, si transponantur duo huius versus (814) membra, ut sit: „STR. Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam Euclioni huic seni subripui. LYC. Quod ego facinus audio ex te?" Ac si in archetypo codice hoc systema trochaicum non octonariis, sed quaternariis descriptum fuit — quod satis verisimile est, quoniam in A non raro duobus versibus scribitur, qui in B unus est — permutatio duorum versuum non incredibilis est. — *Quod* iam emendator cod. B. Post *te* hiatus in diæresi; Müll. aliique „ted". — 815. *in arca apud me.* Suspicari possis dicis causa eum hæc proferre ollamque re vera sub pallio conditam tenere; sed nihil impedit, quo minus vera sint, necdum enim mentiendi causa esse videtur. — Versus septenarius est; Weis., quo octonarium faceret: „manu me emitti". Verum etiam proximus versus, si cŏdd. sequimur, non octonarius est, sed duo dimetri catalectici, sequiturque quartus eiusdem generis. Quare nescio an versus sic potius describendi sint, ut voluit Seyffert., Philol. XXVII, p. 439 sq.:

LYC. Ubi id est aurum? STR. In arca apud me.
Nunc uolo me emitti manu.
LYC. Egone te emittam manu,
Scelerum cumulatissume?
STR. Abi, ere, scio quam rem geras.

816. *manu* et *cumulatissume* olim emendata. — 817. *Abi*, v. ad Asin. 697. — *scio quam rem geras*, i. e. quid agas, sc. ut

istis minis mihi thesaurum eripias. — 819. *potes probasse*, cf. Madv. Gr. Lat. 407. — 820. *inquam* priore correpta, v. Proll. p. 203. — 821. *modo*, v. 815. — 822. *Ita loquor*, cf. Amph. 1014: „MERC. Quis ad foris est? AMPH. Ego sum. MERC. Quid? ego sum? AMPH. Ita loquor". Sed talis asseveratio tum demum locum habet, si dubitatio intercessit. Quare hoc quoque loco simile quid intercessisse crediderim: „LY. *Nugas garris?* STR. Ita loquor". cet. — *At scin quomodo?* minantis est, v. ad Amph. 352. — *enica*, sc. me, vid. ad Asin. 392.

Reliqua fabulæ pars deest, cui defectui viri docti olim variis supplementis succurrere conati sunt. Pessimum est, quod profertur in editione Mediolanensi a. 1500, quamquam a multis postea repetitum; multo melius, atque adeo non exigua laude dignum est supplementum Codri Urcei, bonarum artium professoris Bononiensis, qui exeunte sæculo quinto decimo vixit; quæ, qui volet, in Gronovii, Bothii, aliorum editionibus legere poterit; nos aliena cum Plautinis iungere noluimus. Illud autem apparet vel ex iis, quæ commemoravimus, vestigiis vel ex Argumentis fabulæ præpositis, supervenisse Euclionem, ollaque restituta ita gavisum esse, ut repente alius homo factus sit et abiecta sordida avaritia Lyconidi non solum filiam, quæ filiolum nuper enixa est, uxorem det, sed etiam aurum in olla repertum dotem det.

Deperditæ partis fragmenta pauca apud grammaticos, maxime apud Nonium, servata sunt. Quæ quo sensu aut a qua persona dicta sint, admodum dubium est; nos exempli causa omnia Euclioni tribuimus omnesque versus statuimus trochaicos septenarios fuisse et ad extremam fabulæ scenam pertinuisse, qua Euclio mutato animo priorem vitæ agendæ rationem damnat et liberali animo totum thesaurum genero donat.

824. Septenarius sic expleri potest: *„[Postulo ut] qui mi olera cruda ponunt, allec [quoque] duint."* Euclio dicere videtur: „Sicut ipse, ubi cruda mihi olera apponuntur, postulo, ut addatur allec, ita tibi, cui filiam in matrimonium trado, etiam dotem addam." *allec* autem sive *hallec*, quod gari vitium dicit Plinius Hist. nat. XXXI, 8, 44, 95 (ubi „allex" scribitur), inter condimenta censæ erat, v. Pers. 107: „Ecquid hallecis?" Horat.

Sat. II, 4, 73. — 825. Dote autem opus esse dicit ad cultum uxorium comparandum eosque sumptus subministrandos, quos supra v. 499 sqq. tam lepide descripsit Megadorus. Septenarius expleri potest, si ab initio addas: „Quod tibi sit“. De *crocotis* v. supra 513, de *strophiis* 508.

826. Euclio miseram, quam adhuc degit, vitam describere videtur. „*Denos scrobes in die ecfodere*“ ait Wagn. „pro magno et ærumnoso labore, i. e. vita curis et anxietate vexata accipio“. Sed proprie accipi potest de eo, qui ollam decies in die effodiebat et decies abscondebat. Cf. autem Amph. 1033. — 827 cum superiore coniungi potest. Non. p. 98: „*Diu* pro die, unde et „interdiu“ dicitur. Titinius Fullonibus: nec noctu nec diu licet fullonibus quiescant. Plautus Mercatore (immo Casina 768): noctuque et diu ut uiro subdola sis. Idem in Aulularia cet.“ Charisius p. 185 P. ex Sallustio affert: „Noctu diuque stationes et vigilias tentare“. — *eram* Bothius emendavit.

828. „Hæc“ ait Wagn. „esse possunt verba Liconidis, qui scilicet Strobilum libertate promissa (quam antea negaverat) ad aurum reddendum impulerit“. Non credo. Longe aliter dicitur hoc verbum Pseud. 1123: „habet argentum; iam admordere hunc mihi lubet“. Pers. 265: „lepidumst triparcos, uetulos, aridos bene admordere“. Hertzius „admemordit“ edidit, unde profectus olim conieceram: „Namque ut admemordit hominem rabida atque auida auri fames, Numquam quiescere potest“, aut simile quid. De forma verbi præter ea, quæ Gellius affert, cf. Poen. 1077: „ludenti puero quod memordit simia“.

COMMENTARIUS

IN

BACCHIDES.

Bacchidum principium una cum exitu antecedentis fabulæ interiit. Interierunt simul periochæ, quas anteposuerant grammatici, v. Proleg. p. 149 sq., nec eorum auxilio, quid in deperdita fabulæ parte fuerit, divinare possumus; sed quantumcunque hoc detrimentum est, summa tamen argumenti clare perspicitur.

Nicobulus, civis Atheniensis locuples, Mnesilochum filium adulescentem in Asiam misit, ut pecuniam, quam olim ipse Ephesi apud hospitem deposuerat, inde sublatam reportaret. Adulescens Sami in amorem Bacchidis meretricis incidit, sed deficiente pecunia eam retinere non potest, et dum negotii conficiendi causa Ephesum proficiscitur, Cleomachus miles eam in annum conducit secumque Athenas abducit. Quod Mnesilochus ubi comperit, litteras mittit ad Pistoclerum amicum et sodalem suum, ut Bacchidem inveniat eamque, si fieri possit, sibi servet. Bacchis ut Athenas venit, ibi sororem invenit geminam et cognominem, et ipsam meretricem, quam ubi permissu militis invisit, ab ea abire non vult. Pistoclerus autem, adulescens etiam nunc pædagogi imperio subiectus, dum amici amicam quærit et reperit, ipse meretriciis blanditiis victus in amorem incidit eius sororis, quæ Athenis habitabat, nec convicio minisque Lydi pædagogi ab ea abstrahi potest. Mnesilochus confecto negotio Athenas reversus Chrysalum servum statim a portu præmittit, ut quam primum Pistoclerum conveniat et, quid de Bacchide effecerit, resciscat. Is ubi Bacchidem inventam esse comperit nihilque magis cupere, quam ut a milite discedat, sed annuo tempore nondum exacto nisi ducentis Philippis numeratis, quantum pro reliqua anni parte acceperat (v. 588. 1095), liberari non posse,

ut hanc pecuniam hero suo comparet, Nicobulo seni narrat, filium eius parvam aliquam pecuniæ partem secum ferre, reliqua Ephesi relinquere coactum esse. Interim Lydus pædagogus Philoxeno Pistocleri patri indicat filium eius Bacchidem meretricem perdite amare. Quod ubi casu audit Mnesilochus, suam Bacchidem Pistoclerum amare credens, et amici et amicæ perfidiam graviter culpans, quum nihil iam opus esse putet ea pecunia, quam servus comparavit, totam summam patri reddit. Mox, postquam ipsum Pistoclerum convenit, meliora edoctus, sera pœnitentia stultitiam suam accusat. Chrysalus autem re comperta novis insidiis iterum eandem atque adeo maiorem pecuniæ summam seni eripere conatur. Mnesilochum iubet patri epistolam scribere, qua se accuset quasi auro reddito iratum semperque nova consilia struentem, quibus senem circumveniat; quare vinctum eum teneri oportere. Qua epistola adductus quum Nicobulus Chrysalum vincire et punire aggrediatur, Chrysalus impudenter affirmat, fore ut brevi eum pœniteat et, quum, qualis filius suus re vera sit, perspexerit, magni eum facturum esse, si data pecunia filium gravi periculo eximere possit. Atque apertis foribus pater filium cum meretrice accubantem videt. Chrysalus autem non meretricem, sed uxorem Cleomachi militis esse narrat, et opportune ipse miles advenit maledicta in Mnesilochum ingerens. Itaque Nicobulus Chrysalum vinculis solvit; is autem a Cleomacho quasi magni aliquid impetrat, ut ducentis Philippis acceptis ab iniuria ulciscenda desistat. Nec duplici triumpho contentus Chrysalus tertium addit, novoque nomine alteros ducentos Philippos seni aufert, quasi Mnesilochus hanc summam mulieri iuratus promiserit. Tandem omni re detecta Nicobulus et una cum eo Philoxenus, ut filios a Bacchidibus abstrahant, in earum ædes irrumpunt; sed meretrices levissimos senes primum illudunt, deinde suis artibus ita illiciunt, ut et ipsi filiorum exemplo cum meretricibus accumbant et potent. Ita pro gravi convicio bacchanal sequitur, ipsique, ut ait Bacchis, qui filios capere volebant, capiuntur.

In argumento turpiculo summa hilaritas et festivitas est, nec iniuria hæc fabula egregium Plautini leporis exemplar habetur. Ex Menandro ipso expressam esse Ritschelius monstravit,

Parerg. p. 405 sqq. Huius enim fuit nobilis fabula *Δὶς ἐξαπατῶν*, cuius mentionem facit Martialis XIV, 214:

Pueri comœdi.

Non erit in turba quisquam *Μισούμενος* ista,
Sed poterit quiuis esse *Δὶς ἐξαπατῶν*.

Fragmenta collegit Meineke, Hist. crit. comic. Græc. IV, p. 105. Plautus, ut sæpius, nomen mutavit, Bacchidesque appellavit*); sed qui fabulæ argumentum reputaverit, facile concedet aptissimum esse Græcum illud nomen. Quin bis saltem in ipsa fabula ad illud nomen alludi videtur, v. 1087, ubi Nicobulus „Perii," inquit „pudet; hocine me ætatis ludos bis factum indigne!", v. 1126, ubi Bacchis de eodem sene, quem ovem appellat: „Pol hodie altera iam bis detonsa certost". Accedit quod, qui ex Menandro sæpius affertur versus, *ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος*, qui a Stobæo Serm. CXX, 8 ad *Δὶς ἐξαπατῶντα* refertur, is Latine legitur Bacch. 811 sq. Ex ceteris autem, quæ laudantur, Menandreæ fabulæ fragmentis, unum (*Ἐμοὶ παράστα, τὴν θύραν κόψας ἐγὼ καλῶ τιν' αὐτῶν*) cum Plautinæ fabulæ v. 1114 comparari potest, alterum Ritschelii acumen cum v. 305 comparavit, ad quem locum annotata vid., tertium ad principium fabulæ pertinuisse videtur, vid. infra p. 373. Quod autem Ladewigius (Philolog. XVII, a. 1861, p. 261 sqq.) Plautinam fabulam ex duabus Græcis conflatam, vel, ut Lusciano convicio usi dicere solent, contaminatam esse affirmavit, eius ne minimum quidem vestigium video. Si accuratiore refutatione opus est, vid. Goetz., Act. soc. philol. Lips. VI, p. 315 sqq.

Quo anno hæc fabula acta sit, non est traditum. Epidico posteriorem fuisse efficitur ex v. 212. Ad senilem poetæ ætatem referendam esse etiam alio documento monstravit Ritschelius in Parergis p. 425 sqq. Nam quod Chrysalus v. 1070 triumphandi honorem quasi nimis vulgatum spernit, hoc tertio ante Chr. n. sæculo dici non potuit. Usque ad finitum alterum bellum Punicum rari fuerant triumphi, sed paulo post mire multipli-

*) Quod Fulgentius p. 564 versum huius fabulæ 275 sq. in Chrysalo extare dicit, huius personæ verba sunt; fabulæ nomen idem fuisse, tam levi auctori credi non potest.

cantur; anno 197 bis triumphatum est, 196 semel, 195 semel, 194 bis, 191 semel, 190 semel, 189 quater, 187 bis, ut non sine causa rideri potuerit, quod summus ille et divinus honor tam multis tribueretur.

Argumentum huius fabulæ etiam recentioribus poetis placuit. Redit ex parte saltem in comœdia Italica Nicolai Barbieri, quæ inscribitur „L'Inavertito", in Gallica Quinaultii, cui nomen „L'amant indiscret", in Molierii „L'Etourdi", in Anglica Drydenii „Sir Martin Marall"; vid. Dunlop., History of Roman literature I, p. 162.

Quod ad criticam fabulæ condicionem attinet, in Prolegomenis (p. 152) commemoravimus hanc fabulam suo loco avulsam ante Mostellariam repositam esse, ut alterius quasi voluminis principium fieret. Qua ex re id natum est commodi, quod hic non unius codicis testimonio nitimur, sed ad Vaticanum codicem (B) accedit Heidelbergensis, quem decurtatum appellarunt (C), v. Prol. p. 160, ut ætate illo inferior nec versuum distinctionem observans, ita non raro integriorem exhibens scripturam. Huius igitur non minus quam illius integram adscripsimus scripturæ varietatem, utramque ex Ritschelii editione repetitam. Ambrosiani etiam palimpsesti pauca quædam ad hanc fabulam pertinent folia. Ea sunt Studemundio teste (Festgruss der philologischen Gesellschaft zu Würzburg an die 26. Versammlung deutscher Philologen. 1868), quibus continebantur versus 493—559 (exceptis tamen vss. 539—50, qui in hoc libro scripti non fuerunt), 665—697, 918—939; sed si usquam, in his foliis difficulter inveniuntur antiquæ scripturæ vestigia. Nobis in hac re præter Ritschelii copias præsto fuerunt, quæ adnotavit Geppert. in Studiis Plautinis (II, p. 33 sqq.). Varias autem palimpsesti scripturas A littera signavimus, ut Vaticani et Heidelbergensis B et C. Ubi nulla littera additur, significatur in ea scriptura, quæ affertur, utrumque codicem consentire; si in A idem lectum est, in commentario affertur, si aliud, infra textum adscribitur.

Personarum nomina, ut par est, cum ingeniis et condicionibus conveniunt. *Bacchis* (Codd.: Bachis) meretricium nomen est, notum vel ex Heautontimorumeno et Hecyra Terentii; in titulo Amiternino Corp. Inscr. Lat. I, 1299 „Bacis" scriptum est.

Quod utrique sorori idem nomen est, id in puellis fieri potuisse videtur, nec ut in Menæchmis fratribus certa eius rei causa quærenda est; sed legentium causa distinguantur necesse est. In cod. B, cuius unius in hac re auctoritas est, in prima scena soror, quæ semper Athenis habitavit, nota A, altera, Mnesilochi amica, quæ Samo advecta est, nota E significatur; in extrema fabulæ scena illa „Bacchis", hæc „Soror" inscribitur. Hanc significationem Camerarius adoptavit, et Ritschelius in altera editione retinuit, quum in priore hanc „Bacchidem I", illam „Bacchidem II" appellasset. Nos quoque, quia utraque eodem iure et Bacchis et soror appellari potuit, aliud maluimus et alteram Atticam, alteram Samiam (cf. v. 197), Bacchidem A. et Bacchidem S. diximus. *Chrysalus* (Codd. fere „Chrisalus") servus ab auro dicitur, sive aureus, sive qui aurum comparat, ut v. 700 sq.: „quantum lubet me poscitote aurum; ego dabo. Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo?" cf. 226. 237. 639. *Pistoclerus* fidus amicus est, quasi sortem sibi commissam fideliter servans, cf. v. 195. 384 sqq. *Cleomachus* gloriosum militis nomen est. *Nicobulus* (B plerumque „Nicobolum" scribit) quasi consilio victor ironice appellatur senex, qui identidem ludibrio fit. In *Philoxeni* et *Mnesilochi* nominibus nihil ultra quærendum est, nec magis in *Lydi* pædagogi nomine, quem codd. prope constanter „Lidum" scribunt, Fl. „Ludum", quod ne quis propter v. 127 necessarium censeat, ne nostra quidem scribendi ratione soni similitudinem tolli arbitramur.

Initium fabulæ excidisse apparet, nec defuerunt, qui huic defectui succurrerent. Nam supplementum, præter argumentum prologum et scenam primam continens, in editione Iuntina a. 1514 Nicolaus Angelius edidit, opus minime laudandum, quod Lascaris grammaticus Græcus Messanæ invenisse se dicit, Ritschelius autem in egregia illa disputatione de Bacchidibus, quæ legitur in Parergis p. 391 sqq., Antonio Panormitano vindicare conatur. Repetierunt tamen editorum plerique usque ad Bothium. Immo si, quæ perierint, animo informare volumus, alia potius adiumenta quærenda sunt; nam apud Charisium, Nonium aliosque

grammaticos quasi triginta afferuntur versus ex Bacchidibus Plauti, qui in hac fabula hodie non leguntur. Quos qui ad alteram quandam eiusdem nominis fabulam referre maluerunt — ne Weisium commemorem, qui ex genuina fabula illa sola relicta esse censet, eam, quam servarunt codices, spuriam arbitratur — ii cur remota proximis, ignota certis præferant, difficile intelligitur; nam huius quidem fabulæ principium desiderari certum est, Rostiique in hac re errorem satis refutavit Ritschelius. Parerg. p. 412 sqq. Fragmentorum autem tantus numerus est et tanta numerorum varietas, ut non unius scenæ initium sed plures scenas intercidisse appareat, nec si quis vel ducentos versus perisse censeat, habemus, quod obiiciamus.

Ritschelius, diligentissime examinatis fragmentis, eorum sensum et ordinem constituere conatus est, vid. Mus. Rhen. IV (1846) p. 567 sqq., Opusc. II, p. 292 sqq., ac multa quidem sagaciter invenit, in non nullis sine dubio erravit. Quod enim fragm. II (vss. 8—10) Cleomachi verba esse putat ad Bacchidem Samiam dicta, id sine gravi interpolatione effici non potest. Immo militis in principio fabulæ nullæ partes fuerunt, nec illi versus ad Bacchidem, sed ad senem aliquem („istac ætate") dicta sunt; is autem nec Nicobulus nec Philoxenus esse potest; alia persona fuerit necesse est, quæ in reliqua fabula non prodeat. Nec alia desunt huius personæ vestigia. Nam quæ antiqua fuit personarum significandarum ratio, quam in Prolegg. p. 158 commemoravimus, ut Græcis litteris signareptur, eam in prima scena codex B ita servavit, ut Bacchis Attica A, Samia E inscriberetur, Pistoclerus autem G (v. Ritsch. ad v. 39), i. e. Γ. Iam quum hæ litteræ eum ordinem sequantur, quo personæ in scenam exeunt, primam videmus prodisse Atticam illam Bacchidem, Samiam aliquanto post, ut videtur quintam, Pistoclerum tertium fuisse. Secunda aut quarta persona senex ille esse potuit, quem illis versibus Bacchis alloquitur. Qui ne nomine careat, Demea appelletur; nam ad eum retulerim Menandri fragmentum apud Fulgentium, Mythol. III, 1: „Bellerophonta posuerunt quasi *βουληφοροῦντα*, quod nos latine sapientiæ consiliatorem dicimus, sic ut Homerus ait *οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα*, id est non decet tota nocte dormire consilia-

torem virum. Nam et Menander similiter in Disexapatonti comœdia ait:

βουληφόρως
τὴν ἡμετέραν, ὦ Δημέα, προκατέλαβες
ὄρασιν,

i. e. consiliarie nostram, Demea, præoccupavisti visionem". Ritschelius (Mus. Rhen. IV, 587 sq.), Demeam Nicobulum esse putavit, Chrysaloque illa verba tribuit; nos Bacchidi tribuimus. Dubia hæc esse, minime negamus; atque utinam certa potius quam veri similia sequi liceret! Sed quoniam simplici fragmentorum enumeratione lectores parum contentos fore arbitramur, nos quoque ordinandi aliquam rationem instituimus, si quis meliorem proposuerit, libenter cessuri.

---

1. Bacchis servis imperat, ut ædes mundas faciant et ad hospites accipiendos paratas. Huic 2—3 tam similis argumenti sunt, ut non sine causa Ritschelius eos proxime adiungat, et tres senarios sic redintegrare conetur:

Conuorrite *aedis* scopis, agite strenue,
Munditias facite, spargite. Ecquis euocat
Cum nassiterna et cum aqua istum impurissumum?

cf. Merc. 391. Stich. 348 sqq. „Nassiterna" ait Festus l. l. „est genus vasi aquari ansati et patentis, quale est, quo equi perfundi solent", et præter h. l. affert quasi ex Nervolaria: „Ecquis huc ecfert nassiternam cum aqua? etc.", qui versus Stichi est 353.

Demeam senem vicinum advenire suspicor et Bacchidem interrogare, in cuius honorem ædes suas ornet. Quæ quum sororem sè expectare dixerit, senem respondere: „Ego te potius novum amatorem expectare putabam, vel adulescentem illum, qui tam sæpe his ædibus adpropinquat et quem quum maxime advenientem conspicor". Cui Bacchis, quæ nondum Pistoclerum viderat: „Tu profecto, Demea, providi consiliatoris modo adspectum meum prævorteris" (Menandri verba sunt, quæ supra citavimus). „Sed tu, nostine quis sit aut quid velit? Ego errantem vidi, sed numquam conveni". Errores eius cum Ulixis comparat. — 5. Post *uiginti* hiatus in cæsura. Bothius et Ritsch.

transp. „uiginti annis“. — 6. Hiatus vitandi causa Both. Ritsch. „antidit“ scripserunt; tum Keil. ante h. v. „iam“ addebat, R. transp.: „Ulixem multo adulescens“, Bücheler. in Mus. Rhen. XV, 439 „Ulixeum“ scripsit, quod potius probaverim. — 7. Post *Qui* hiatur, cf. Prolegg. p. 220; Ritsch. „hic“ addebat. — „*Ilico*“ ait Nonius p. 325 „in eo loco. Nævius belli Poenici lib. VI: „septimum decimum annum ilico sedent“. Accius Eurysace: „Ilico, inquam. Habitat quisquam“ (sic scribendum) „propius?“ Hemina Hist. lib. I: „et tum quo irent, nesciebant; ilico manserunt“. „His persuadetur, ilico manerent“. „Pars ilico manet“. Cæcilius Nothonicasione: „Manete ilico““.

8—10. Bacchis pergit: „Tu vero si adulescentem istum conciliare mihi vis, mercedis aliquid a me accipies; hoc enim ætati tuæ debetur“. In primo versu *facere* pro *forte* scripsi, cf. Epid. 573. Merc. 404. Quos locos quum ipse laudet Ritschelius, tamen h. l. lenocinium longe aliud significare censet, stuprum scilicet, id quod fieri non potest. Verum inde profectus quum sibi persuasisset militem hæc verba concubinæ suæ dicere, proximos versus sic refinxit: „Uideas mercedis quid tibist pactum dari. Ne istac me aetate sectarere gratiis“. — *sectere*, cf. Pers. 173: „te iam sector quintum hunc annum“.

11. Demeæ hæc verba esse suspicor Bacchidi respondentis, eam suo auxilio non egere, ipsam cuivis homini cor ex pectore elicere posse. His dictis abiisse videtur. „Excludere“ apud Nonium vix verum est; Ritsch. Mus. Rh. IV, p. 577 „excutere“ scribendum censet. Versus apud Nonium senarius est, apud Servium senarium excedit. Ritsch. utroque coniuncto septenarium trochaicum effecit: „Nam tu quidem, credo, excantare cuiuis facile cor potes“. Hæc autem ad eam scenam, quæ prima servata est, refert, Bacchidemque Samiam sorori suæ dicere putat; neque ego non accederem, si versus ita traditus esset.

12. Octonarius trochaicus ad soliloquium aliquod pertinens. Si servi alicuius in his scenis partes essent, ei tribuerem; quod quoniam secus videtur, Pistocleri esse arbitror secum de opere sibi imposito loquentis. Caute scilicet agendum esse nec cuivis facile credendum; adiutoribus opus esse, sed iis solis fidem haberi posse, quos hoc describit octonario. Quod

ingenium in animo esse dicitur, R. contulit Cist. 204: „ita nubilam mentem animi habeo". Epid. 523: „pauor territat mentem animi". *Modicum* ingenium, ut ait idem, i. e. modestum, opponitur *vernili*, i. e. procaci et lascivienti. — 13. *limaces uiri*. Adiectivum a lima ductum eum significat, qui identidem atterit aliquid. In Cistellariæ v. 298 sq. (Varro L. L. VII, 64) „limaces, liuidæ, diobolares, schoeniculæ, miraculæ" meretrices dicuntur non omnes, sed foedissimæ, quæ cum limacibus, bestiis terram limantibus, comparantur. „Limaces uiri" meretrices dici non possunt; saltem „uirorum" dicendum erat. Si *uiri* genetivi casus est, aliud subiectum audiendum est, velut curæ, quæ ab aliis edaces dicuntur; sed potius nominativum esse credo, ut significentur viri alterum atterentes, quales v. c. sunt parasiti. Eiusmodi hominibus Pistoclerus uti non potuit. — 14. Eam se quærere dicit, quæ sodalem suum amore, se investigandi labore fatiget. Cretici numeri sunt. — 15. Cretici vel bacchiaci numeri. Pistoclerus Bacchidem apud militem degentem invenisse videtur, sed quomodo eam inde eliciat aut qua ratione illud oppidum, i. e. militem, expugnare possit, ignorat, nam vera, non *subditiva*, i e. falsa, gloria frui arbitratur. *Neque haud* nihil aliud est quam „neque", cf. infra 1034. Epid. 654: „neque ille haud obiiciet mihi". Men. 364: „neque id haud inmerito tuo." Pers. 535: „neque mihi haud inperito eueniet". Ter. Andr. 205: „Neque tu haud dices tibi non praedictum". V. Ritsch. Opusc. II, p. 335.

16. Bacchis Pistoclerum alloquitur et, quid quærat, interrogat. Quod ubi cognovit, Bacchidem illam, quam quærat, suam ait sororem geminam esse et eodem nomine appellatam, quam quum maxime expectet; quod si paulo post redire velit, ipsam adspicere et convenire posse. Adiectivum *cognominis* legitur etiam infra v. 37; h. l. genetivum obiectivum sibi adsciscit. — 17 quo pertineat, incertum est. Ritschelius cum v. 32 coniunxit, quo anteposito trochaicus septenarius efficitur. Ladewigius (Philol. II, p. 361) *tibi* scribendum censet, fortasse recte, cf. quæ ad Amph. 360 attulimus.

18. Postquam abiit Pistoclerus, advenit altera Bacchis. Bacchis Attica sororem queritur parum florenti specie apparere,

et quærit, quæ eius rei causa sit, et quanam cura sollicitetur. Amorem esse suspicatur, eiusque duo genera affert, quæ quomodo posteriores discreverint, ex Afranii loco, quem Servius et Nonius laudant, apparet; Plautus vix tam subtiliter discrevit. Quod ad versum attinet, aut cum Ritschelio „confecit“ scribendum videtur aut „an“ pro „anne“. Afranii autem fabulam plerique Cinerariam esse putant, v. Ribb. v. 23. Ritschelius, Opusc. II, p. 328, sic Servii locum correxit: „Cupidinem . . . dicebant: nam alius est amor, alius cupido. Afranius enim contraria posuit „amant sapientes, cupiunt ceteri“ et Plautus etc.“

19 sqq. Soror res suas narrat sorori. Sami se amatorem habuisse Mnesilochum, quem ipsa pari amore amplecteretur, sed quum is negotiorum causa abisset, inopia coactam se militi Cleomacho in annum auctoratam esse homini et ridicule glorioso et sævi animi, qui se et male tractaret et peiora minaretur, ut ab eo abire quam maxime cuperet. Creticis numeris hæc scena composita fuit. Tetrametris exposuisse videtur (19—20), qua ratione Mnesilochus se alloqui solitus esset. — 21 eodem pertinuisse potest. — 22—23, quæ Nonius continuo ante illa affert, propter similitudinem illis opposita fuisse crediderim, ut Bacchis sævitiam militis identidem serviles pœnas crepantis depinxerit. Extrema verba, *Fit peior*, sine dubio corrupta sunt. — 24 sqq., quibus militis ingenium describitur, bacchiaci generis sunt. „*Latrones*“ ait Festus p. 118 „eos antiqui dicebant, qui conducti militabant, ἀπὸ τῆς λατρείας“. Varro L. L. VII, 52 alias quoque, nec meliores, etymologias profert; sed de vi nominis constat, cf. Mil. 74. 944. Poen. 666.669; inde latrocinari est mercede militari, v. Mil. 501. Poen. 707. Trin. 599. Cornicul. ap. Varr. l. l. — 25—28. Quattuor hos tetrametros bacchiacos Ritschelius ex variis fragmentis sagacissime concinnavit, v. Mus. Rhen. IV, p. 148 et Opusc. II, p. 373 sq., a quo non discessi, nisi quod ille „Dic“, ego „Sed“ supplere malui. Formam *cuiatis* Priscianus iterum commemorat Inst. XVII, 23 p. 122 H: „gentile cuias, cuius nominativum etiam cuiatis communi genere antiqui proferebant“. Tum affert Plaut. Poen. 996 et 997 et Men. 337. Addi potest Curcul. 407. — V. 26 *halitant* em. Hermann. Miles tam fortiter spirare

dicitur quam folles fornacum, quibus *petræ* s. lapides ferrum continentes liquefiunt. — 28. In transcursu, ut solet, Plautus Prænestinorum gloriandi cupiditatem tangit. Ceterum hi versus utrum inter plures personas distribuendi sint, quod Ritschelius fecit, an uni assignandi sint, admodum dubium est. — 29. Quo casu Plautus adiectivum posuerit, ignoramus. Fieri potest, ut militem commemoraverit *Arabos* aliasque nationes se vicisse gloriantem.

30—31. Bacchis Attica sorori consilium dat, ut quam primum a milite abeat, quod si ideo non possit, quia annus, in quem conducta sit, nondum exactus sit, pecuniam comparandam esse, qua exsolvatur. Huc pertinere arbitror hos versus, quos emendavit Mercerus, nam ad Bacchidem S. dictos esse et Cleomachum commemorari certum videtur. *Annuæ* tales condiciones esse solebant, v. Asin. 233. 747. Trucul. 392.

Redit Pistoclerus. Spectata indiscreta sororum similitudine vehementer miratur v. 32, comparatione usus solita, v. Amph. 595 cum annot. *lacte* vid. ad 1132. Sorores autem pecuniam, qua opus sit, ex eo elici posse sperantes, eius aggrediendi consilium ineunt. Hæc prima in codicibus Plautinis scena extat, et huius quoque initium desideratur. Scena trochaicis septenariis composita est; personas autem, quas cod. C non distinguit, cod. B, ut diximus, notis A, E, G significat. Sed confundi in primis versibus notas A et E, recte animadvertit Ritschelius in Mus. Rhen. IV, p. 355 sqq.; nam quæ v. 33 postulat et impetrat, ut sibi loquendi partes tradantur, Attica fuerit necesse est, quippe quæ re ipsa in proximis Pistoclero persuadeat. — *tu* servavit Charisius p. 204 Keil. — *Lepide;* altera soror consilium laudat. — *licet*, v. ad Amph. 540.

35—36. Corruptelas primum numerorum defectus arguit. Quare in priore versu Camerarius Pylade duce „defuat oratio" scripsit, Ritsch. Bernaysium secutus: „ne defuerit optio", i. e. adiutor, cf. Asin. 100; sed nec „defuerit" idem est quod „opus sit", nec cogitari potest, quo adiumento egeat Bacchis in suis ipsa rebus commemorandis. Nihil aliud respondere potest nisi sibi persuasum esse nulla admonitione opus esse. Itaque ironice dicit v. 36, profecto se vereri, ne lusciniam canendi facultas

deficiat. Huius autem loco ineptus interpolator versum 35 substituit, qui quum in textum receptus esset, voc. *quoque* in altero versu additum est, quod Ritsch. suadente versu delevit. In cod. B. ante *Sequere hac* spatium vacuum est, personæ nota nondum expletum. Hæc enim verba in eadem linea cum antecedentibus ponuntur, neque in proximis usque ad v. 40 versus servantur, sed tres lineæ explentur.

37. *cognomines*, vid. ad v. 16. Pistoclerus sorores alloquitur. Quod a tertia persona ad secundam transit, nihil offensionis habet, nec quod Ritsch. vss. 38 et 39 locum mutare iussit, opus videtur. Idem recte *consilio* scripsit ut 1153. — 39. *Quid esse dicis dignius?* Vulgata cantilena, mulieres quovis malo esse dignas. — 40 sq. Bacchis unam et quidem iustissimam rem se optare dicit, ut caveatur, ne miles post annuum tempus, quod sibi pepigit, exactum Bacchidem non Samum, unde Athenas eam abduxerat, revehi iubeat, sed pro ancilla retineat. Hanc operam ut sibi præstet, Pistoclerum orat. Pro corrupta codicum scriptura *Ut istoch militem* olim emendatum est „ab istoc milite", nec dum quidquam melius inventum videtur, nam quod Herm. Ritsch. Fl. ediderunt: „Ad istunc militem", hac significatione Latine vix dicitur. — *se* em. Pylades. — 43. *dederit* olim emendatum. — *operas*, cf. Asin. 714. 422. Capt. 428. Rud. 321.

45. *Sed hoc* cet. Verum hæc, inquit, intus melius quam in proscenio agentur. — 46. *sedens* alteram corripit, cf. Prolegg. p. 206. Ritsch. transp.: „atque ibi sedens, dum is ueniat". Versus in duos iambos exit. — 47. *Eadem*, sc. opera, ut Capt. 449, i. e. simul, cf. infra 520. Capt. 292. 456. Epid. 653. Mil. 305. Merc. 997. Poen. 620. Pers. 446. Rud. 329. Stich. 439. Ter. Heaut. 368. — 48. *Uiscus* (ἰξός) s. uiscum aucupis est viscato arundine aves capientis, cf. infra 1157. Verg. Georg. I, 139. *Arundinis* mentio fit Prop. IV, 2, 33. Mart. XIV, 218. Aucupandi rationem describit Petronius c. 109. Comparatio in hac re usitata, v. Asin. 214 sqq. — *Quia enim*, v. Amph. 659. — 49. Post *Duae* hiatus, v. Prolegg. p. 224. Fl. et R. „me" addunt, Müller. „ut", sed ne quem soluta oratio offendat, vid. ad Amph. 433; atque apud Nonium p. 219 versus

iisdem verbis laudatur. Altera versus pars iusto longior est. Guietus *alas* delebat, prob. Spengelio, Plaut. p. 208. Ego Ritschelio potius credo, *perii* corruptum esse, nam ut „peri“ legatur, quod voluit Fleckeisen., Exerc. Plaut. p. 26, ægre persuadetur mihi. R. „prope“ edidit; equidem *si* malui. — 51. *Bacchis, bacchas*; ludit in similitudine nominum, ut v. 368. Bacchæ mulieres erant Bacchico furore correptæ, quæ, ut in fabulis Pentheum dilaniasse ferebantur, ita in orgiis, quæ celebrabant, capras et si quid aliud libuerat, lacerare et rapere solebant, cf. Casin. 900 sqq. Plauti autem temporibus Romæ et tota Italia per initia et nocturna sacra varia perpetrabant flagitia nec a stupro nec a cæde abstinentes. Quæ res quum latius manasset et multa hominum milia initiata essent, tandem senatus Romanus vel terrore vel indignitate rei perculsus anno a. Chr. 186 Bacchanalia tollenda censuit et multis capitali pœna affectis rem repressit. Res ex Livio (XXXIX, 8 sqq.) nota est et ex aenea illa tabula, qua SC. sociis in agro Teurano propositum fuit (C. I. L. I, 196). — 52. *Quid est quod*, Gron. em. — *malitiam*, mali aliquid aut turpe; Lambinus „malaciam“ corrigebat, parum apte. — 53. *inlectum*, illiciendi rationem, vox a Plauto ficta, ut in similitudine lecti luderet. — *mala bestia*, cf. Catul. 69, 7. Serpentem Plautus Asin. 688 „proserpentem bestiam“ appellavit. — 54. *huic aetati* adulescentiæ meæ. — *latebrosus locus*, lustra, cf. 427. — 55. *quidquid* Gertz. em., Camer. „si quid“ scripserat; Fl. „ne quid stulte facere occupias“. In codd. proximus demum versus Bacchidi tribuitur, hic Pistoclero; emendavit iam Saracenus. — 59—61 B duabus lineis scriptos habet. *ille*, miles. Mox *medesse* C D. — 62. Convictum meretricis aculeum habere dicit, eumque cum stimulo comparat, quo fodiuntur boves, ut impellantur. — *distimulant*, hoc uno loco extat; videtur significare „stimulo dissipare“. Post hunc versum, fortasse omissa columna, errore scriptus est v. 71, mox suo loco rediens. Errorem codice B antiquiorem esse, inde apparet, quod prior huius versus pars cum v. 62 coniungitur. — 63. *Quid ab hac metuis?* Alterius Bacchidis hæc verba sunt sorori subvenientis. Ex personæ nota (E) ortum est *Et* cod. B. — *adulescens homo*, transp. Both. — 64. *Penetrem me*

scripsi Lysandro duce, Quæstion. critic. et gram. p. 57 sq., nam et *penetrare* alibi semper apud Plautum transitivum est, v. ad Amph. 246, et hac una ratione sententia recte formatur. Præierunt in infinitivo mutando Donati editores, qui ad Ter. Phorm. 484: „Eccum ab sua palaestra exit foras" hæc habet: „Bene palæstram eius dixit lenonis domum, in qua est exercitus amator assidue. Plautus Bacchidibus: abstine a palæstra, ubi damnis (ed. pr. demens) desudascitur". *Desudascitur* autem ibi libidine et *damnis* rei familiaris, non ut in vera palæstra virtute et honestis corporis exercitationibus. De indicativo verbi modo cf. ad Amph. 167. Mox vero ad coniunctivum transit, ut appareat in relativis sententiis non minus quam in interrogationibus obliquis (vid. ad Amph. 17) utrumque modum sine discrimine poni. Quod autem hunc v. Ribbeck. (v. Ritsch. Præf. Stich. p. XVIII) propter similem v. 425 spurium iudicavit, non probo. — 66. *Lepidè memoras.* Hæc B Atticæ Bacchidi tribuit, Ritsch. et hæc et duo proxima Bacchidis enuntiata (v. 71 et 71 sq.) alteri. — *Turturem* inter cenæ delicias antiquos habuisse constat, v. Most. 44; sed machærae parum apte opponitur cibus, quare interpretes vivum turturem intelligunt, et puerorum instar, qui cum coturnicibus ludebant (Capt. 998) meretricem et amatorem cum turture lusisse putant. — 67. Pro *cestu*, quo pugilis manus illigabatur, ei *cantharus*, i. e. poculum, in manum datur. — 68. *Scaphium* et ipsum poculi genus est, cf. Stich. 689, et rotundum quidem, fere cranii formam referens (cf. de nominibus vasorum p. 117 sq.), quo aptius cum galea comparatur. — Pro *insigni* galeæ, quod aut crista esse poterat, aut draco, gryps, sphinx aliudve monstrum, convivantium more caput corona ornatur, v. Hor. Od. I, 38. Lucret. V, 1397 sq.: „Tum caput atque humeros plexis redimire coronis Floribus et foliis lascivia læta monebat". — 69. Non hastam gerit, sed talis ludit, non loricam fert, sed pallium molle; *malacum* v. ad Amph. 311. Inde mox v. 71 *malacissare*, *μαλακίζειν*, est molliorem reddere. — 70. *Ubi mi* Hermannus, et sic pronuntiandum. *pro equo* olim emendatum est; item *accubet.* — 71. *mihi sum*; quid igitur tua refert? Cf. Epid. 340: „Mihi cesso, quom sto." — 72. *operariam* dicit, quæ operam dat; meretricis autem

operas magno constare non ignorat. — 73. *iocon* ultimam corripit, v. Prolegg. p. 206; Herm. „istuc“ omisit; Ritsch.: „Utrum ego iocon id simulem“. Charis. p. 220 K. cum Plautinis codd. consentit. *utrum ... ne*, cf. 497. Capt. 267. al. — 74. *Heia*, declinat a respondendo. — *hoc agere*, quod inceptum est, considerare, quo modo miles coerceri possit; cf. Ter. Phorm. 435: „Hoc age“; ib. 350, al. Eun. 348: „Alias res agis“. al. — 76. Ne post *ago* hiatus sit, Herm. R. Fl.: „Scio ego quid ago“. De indicativo vid. ad Amph. 17. — *quid ais?* vid. ad Amph. 414. — 77. *ueniat* codd.; „eueniat“ Camer. R., vix opus, cf. Capt. 545. Sall. Iug. 103, 2: „reputando, quæ sibi duobus prœliis venerant“. ib. 4, 4. 8, 2. al. — 79. *accubem* Camer. — 81 sq. Ritschelius numeris parum contentus edidit: „Ubi uoles tu tibi esse lepide“ et „Da tu qui bene sit, ego, ubi sit.“ — 83. Versum afferunt et Charisius p. 221 K. et Servius ad Æn. IX, 329, sed hic: „Magnus est hic fluvius.“ — 85. *Ah* olim emendatum; codd. „aha“. — *illecebrosius*, illecebrarum plenius. Locum laudat Charisius p. 203 K. et Donatus ad Adelph. 470, cuius ed. princ. hæc habet: „Quid hoc illecebrosius fieri potest, nox mulier uinum hominibus? quid hoc illecebrosius homini adulescentulo?“ Sed oratio misere hiat. Aut nomina vocabulo *istoc* apposita ablativo casu ponenda erant, aut *quam* addi debebat, quod in vulgari hominum sermone interdum post ablativum comparationis abundat, vid. ad Asin. 432; add. Plin. H. N. XXXV, 10: „Quo maius nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis“. Nec dubito, quin hæc coniunctio exciderit, ac scribendum sit, quod etiam Gertzio in mentem venit, „pote quam“. Ad sententiam comparari possunt loci ad Aul. 738 allati. De asyndeto cf. ad Amph. 891. — 87. *Age igitur*, *sisr.* Se rem parum curare simulat. Cf. Pseud. 1324: „Age sane“. Ter. Phorm. 662: „Age, age, iam ducat“. Ad. 202: „Age, iam cupio“. Cic. Mil. 19, 49: „Age, sit ita factum“. — 88. *tu* versus causa omisi; Ritsch. transp.: „nullus tu“. *nullus*, vid. ad Asin. 405. — 90. *Quid est quod metuas?* Hæc Atticæ recte tribuit Ritsch. — *emancupo.* Satis fuerat „mancupo“ ut Curc. 495. Cic. Cat. mai. 11, 38: „senectus nemini mancipata“; dicitur tamen etiam non

solum Cic. Fin. I, 7, 24: „filium in adoptionem D. Silano emancipaverat“, sed Cic. Philip. II, 21, 51: „venditum atque emancipatum tribunatum“, et Horat. Epod. 9, 12: „Emancipatus feminæ“. — 92. *Cena uiatica*, quæ ex longa via redeunti datur, cf. 99. 183. 534 sq. Epid. 8. Most. 987. Poen. 1159. Stich. 471. Plut. Sympos. V, 5, 1. al. — 93. *iubebo* ex Charisio emendatum, qui p. 201 K. hunc versum affert. Conspirat is cum codd. in *Ego*, pro quo Dousa „Ergo“ voluit, Herm. R. Fl. „Eo“. — 96. *mihi et* coalescunt. — 97. *Sine*, noli prohibere, cf. Merc. 440. Stich. 99. — 98. *Prius hic adero quam te amare desinam*; amorem properandi causam fore significat, nihil ultra. Donat. ad Ter. Eun. 640 („extrema linea amare“): „amare modo frui amore dicit; Plautus in Bacchidibus: „Prius hic adero quam te amare desinam“ et „Sine te amem“ (v. 21)“. Unde Ritsch. sic interpretatur: „Citius huc recurram quam nunc finem facio amplexui“. Sed nec ulla amplexus mentio facta est, nec amare et amplecti idem est.

99. Pistoclero digresso sorores inter se colloquuntur. „med“ hiatus vitandi causa Guietus, R., Fl. — 100. „Iocatur ex ambiguo; significat enim amatorem locupletem et copiosum ei hodie contigisse, quum aliud dicere videatur, nempe bonos pisces ei emptos esse“. Lamb. — 101. *Meus est*, cf. Curc. 431. Mil. 336. Pseud. 381. 604. — 103. *Aqua calet*, ad lavandum, quo recenti ex navigatione vehementer opus erat. Herm. R. Fl. inverso ordine: „Calet aqua“. — 104. Versum laudat Donatus ad Hec. 3, 1, 41, omisso priore *es*; id. ad Eun. 4, 2, 14 et Phorm. 2, 1, 54: „Nam ut ex mari timida es“. *timida* est affecta, non timore solum sed etiam motu maris. Vox non alibi hac significatione legitur. — 105. Corruptum versum olim sic emendarunt: „Simul hinc nescio qui turbat etc.“ Herm. „Simul hic nunc nescio qui turbat, qui huc it. quin decedimus?“ Ritsch. „Simul hic nescio qui turbare coepit: decedamus hinc“. Quorum nihil criticam verisimilitudinem habet. Qui hunc versum conscripsit barbarus homo, tale quid voluisse videtur: „Simul huic nescio cui, qui turbare (i. e. ut turbet) huc it, decedamus“. Sed inter v. 104 et 106 nihil omnino desideratur, nec ferri potest ista significatio proximæ scenæ, quæ ab hac prorsus discreta

est. Abiiciatur igitur additamentum Plauto indignum. Ladewig. in Philol. XVII, p. 268 ad deperditam aliquam scenam pertinuisse censuit. — 106. *lotum* em. Becker. de comicis Rom. fabulis p. 8. Seyffert. in Philol. XXX, p. 3 proposuit „in pyelum", coll. Stich. 568. — *ut sedes lassitudinem*, cf. Trucul. 327: „Mihi quoque prae lassitudine opus est lauem".

107. Pistoclerus redit a macello et foro, quo nuper abierat (v. 98). Ritschelius (in Mus. Rhen. IV, 599) eum tam brevi tempore opsonia emere potuisse miratus hoc loco novum actum incipit et sex huius fabulae actus fuisse affirmat. Quod quam nihili sit, in prolegomenis p. 164—69 monstravimus. Antiqui talia non curiose rimabantur nec in illa re veri speciem affectabant. Persaepe pauci versus in scena recitantur, dum extra scenam ea fiunt, quae accurate exacta temporum ratione spatium multo maius postularent, nec ea de causa spectatores morari sustinet poeta. Ritschelius ipse ex hac fabula exemplum attulit vss. 365—81; alterum addi potest, vss. 908—19. Alia permulta invenientur, velut in Heautontimorumeno, quem ex eodem Menandro Terentius vertit. Ibi dum versus 559—61 aguntur, Chremes in aedes intrat et animadversa lascivia filii cum eo inde egreditur; paulo post Syro undecim versus (668—78) pronuntiante filia a parentibus agnoscitur; dum Chremes quinque versus et dimidium (949—54) pronuntiat, filius a Menedemo comperit patrem suum consilium cepisse inauditum, ut omnem rem familiarem filiae doti diceret. — Pistoclerus autem incedit comitantibus servis opsonia portantibus coquisque, v. 112. 94. Lydus paedagogus eius, quid novi alumnus moliatur, miratus eum per aliquod tempus observavit, et domum suam, ut putabat, redeuntem tacite secutus est. Sed quum paternis aedibus praeteritis ultra pergat, indignabundus eum alloquitur et, quo tendat, interrogat. In hac scena festive pinguntur mores tam magistri severi et antiqui quam adulescentis amantis et hilaris. Prave argutatur Schneidewinus in Mus. Rhen. II, p. 416 sqq. „huius scenae sales" affirmans „perpetua quadam gravissimarum sententiarum παρῳδίᾳ contineri, et Pistoclerum quidquid a Lydo litterarum didicerit et quaecunque vitae praecepta acceperit, in ipsum

per ridiculum retorquere præceptorem". Immo omnia sincera et simplicia sunt, eoque merito placent.

108. *Inspectans* Hermannus em. versu iubente. — *hoc ronatu*, tali apparatu et comitatu, cf. v. 112. Curc. 2: „cum sitoc ornatu cumque hac pompa". — 110. *hic* ferri non potest, nec enim de loco agitur, sed de apparatu luxurioso, quo vel severissimus homo, qualis Lycurgus fuit, corrumpi posse videtur. Apparet *his* scribendum esse vel, ne a Plautina ratione digrediamur, *hisce*. *Lycurgum* autem, qui severissimarum legum Spartiatis auctor fuit, Romanis quoque pro severitatis exemplo fuisse facile intelligitur, cf. Cic. ad Attic. I, 13, 3: „nosmet ipsi, qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigamur". Amm. Marc. XXII, 9, 9. XXX, 8, 13, quæ omnia ad Atticum illum eiusdem nominis oratorem referre frustra conatur Meierus Ind. schol. Halens. 1852—53. — 111. *capessis te*, v. ad Amph. 258. — *aduorsa uia* nihil est, nisi forte Bacchides in monte habitare censeas. Scribendum est *aliouorsa*, quo facto etiam versus restituitur, nec iam opus, ut cum Guieto et Ritschelio „ted" scribatur. *hinc alio uorsa uia*, i. e. a nostris ædibus aversus. Cf. Aul. 279: „aliouorsum". — 112. Post „pompa" hiatus in cæsura. *Pompa* proprie continet quæ ad deorum sacra facienda adducuntur, cf. Pindar. Ol. 7, 80: *μήλων κνισάεσσα πομπά*. Poen. 1015; sed transfertur etiam ad privati convirii apparatum, ut Ter. Heaut. 739 sq.: „Transeundum est nunc tibi ad Menedemum et tua pompa eo traducenda". Casin. 680: „Redit eccum tandem opsonatu meus adiutor; pompam ducit". Truc. 546: „Quis is homost, qui ducit pompam tantam?" Bacchariæ fragm. apud Macrob. Sat. II, 12: „haec uentri portatur pompa". Stich. 679: „ferte pompam", de sola fere lagena vini, ut etiam Curc. 2. Cf. Capt. 765. — *Huc*; Bacchidis ædes digito monstrat. In cod. C personæ indicatio „Lydus" in textum transiit. — *habet*, habitat, v. Aul. 5. — 114. Versus repetitur Pseud. 65. Quod habent codd., *suauis sauiatio*, nec totius loci conformatio nec v. 118 patitur. Hermannus unam vocem esse vidit a poeta fictam, ut „suauisauiatio" quasi repetita saviatio sit; sed in tali geminatione vocis forma non est varianda, quare cum B man. pr. scripsi *suauisuauiatio*, ut etiam A in Pseud.

— 117. *nec recte* C, D, B man. sec., vid. Asin. 154. — 119. *umquem*, i. e. ullum omnino. Restituit Bergk., Philol. XVII, p. 52, ex Festo p. 162: „Nec umquem, nec unquam quemquam". — *barbarus*, i. e. rudis et indoctus, ut Aristoph. Nub. 492: Ἄνθρωπος ἀμαθὴς οὑτοσὶ καὶ βάρβαρος. V. 121 Romanum „barbarum" dicit, v. ad Asin. 11. — 120. *nimio plus*, multo plus, cf. 148. 162. 669. Most. 69: „nimio celerius". Truc. 661: „nimio minus", al. — *Thalem* pro sapientissimo homine posuit, cf. Capt. 273. Rud. 1003. Aristoph. Nub. 180. — 121. *I*, i. e. abi. Sic recte emendatum est in cod. B, ut ostendunt proxima „es" et „nescis". Festus quidem p. 217 in hoc versu laudando *est* scribit, idque Bergkius in Philol. XVII, p. 52 amplectitur ita, ut v. 122 anteponat versui 120:

„O Lyde, es barbarus,
Qui tantus natu deorum nescis nomina.
Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem,
Is stultior est barbaro Poticio."

Verum Thales Lydo, non Poticio opponendus est; a Poticii autem mentione causa, cur commemoretur, non est separanda. Ea ignoratio deorum vel rei divinæ est; nam Potitiorum familia, quæ Herculis sacra per multa sæcula administrasset, quum Appio Claudio censore auctore solemne ministerium servis publicis tradidisset, omnis intra triginta dies periisse narrabatur, v. Liv. I, 7, 14. Fest. p. 217 et 237. — 123. *ergo* vid. ad Amph. 172. — 124. *Hoc* olim emendatum, ut requirunt sequentia. Eodem modo erratum est et alibi et in Ter. Eun. 386. — 125. *me aduorsus*, cf. Amph. 743. Ritsch. temere: „med aduorsum". — *argutias*, nam responderat, quasi Lydus, quum diceret illum ornatum sibi non placere, de re sibi destinata locutus esset. Ladewigius in Philol. XVII, p. 269 nisi in vss. 121 sq. argutias non agnoscens versus 123—24 post v. 129 ponendos censebat; Goetz. Act. Lips. VI, p. 320 post 110. — 126. *mutum esse addecet*; discentes tacere debere, non Pythagoreorum solum sententia erat (v. Gell. I, 9. Diog. Laert. VIII, 10), sed communis omnium magistrorum, v. Diog. Laert. VII, 19. — 127. In *Lyde ludo* παρήχησις quæsita videtur ut infra 359: „Facietque ex-

templo Crucisalum me ex Chrysalo". *ludus* autem litterarius intelligitur; hoc se maiorem esse dicit. — 128. *in mentest.* Ritsch.: „Fortasse: in mentemst"; quod recepit Fl., cf. 159. — 129. *concuret* hoc uno loco legitur. — 130 sq. Interrogare Lydum priores edd. non significarunt. — 132. Charisius p. 201 K. versum ita laudat, ut est in B. Hiatum post *perdidi* interpunctione tuetur Spengel., Plaut. p. 221. Ritsch. voc. *ego* in hunc locum transposuit, probb. Fleckeis. et Müllero. *Ibidem* sq., ego non minus meam operam perdidi, quam tu tuam perdidisti. — 134. *praeligatum pectus,* quo sana admonitio penetrare non potest. — *Odiosus mihi es*, cf. Pseud. 30. Ter. Phorm. 937. Heaut. 1006: „Pergin, mulier, odiosa esse? ullamne ego rem umquam in uita mea Uolui etc."; sic enim scribendum. — 135. *Illuc sis uide*, v. ad Aul. 46. — 138. Corruptum locum alii aliter emendare conati sunt. *herum* pro subiecto desiderari vidit Pylades, unde Camerarius: „Cum herus hic intus sit", Both. „Quom hic ipsus intus siet", Herm. „Quom haece intus assint et erus cum amica", Ritsch. „Quom hic intus sit et una cum amica", in Novis Excurs. p. 69 autem: „Quom hic intus erus sit et cum amicad accubet". Müller., Nachtr. p. 87: „Quom hic intus erus sit et cum amica una accubet". Nos, quum ne *intus* quidem sanum videatur, scripsimus: „Quom erus in conuentu sit", i. e. ubi cum amicis ei convenit, vel, si hoc mavis, in coetu et convivio, cf. Cic. Verr. IV, 48, 107: „celeberrimo virorum mulierumque conventu". — 140 non minus corruptus traditus est. Scaligeri coniecturam Ritsch. amplexus est: „Præsente ibus una pædagogus ut siet", fictam ex „præsente nobis", de quo vid. ad Amph. 1040; sed, ne plura notem, „ibus" priorem longam habet, v. Spengel. ad Trucul. I, 2, 14. Schmidt., de pronominum demonstr. formis p. 67 sq., sublata voce *una* cetera sana censet, nec eum fefellit „præsentibus illis esse" pro „præsentem esse" dici non posse, sed *siet* pro „sies" Pistoclerum dixisse putat, Lydum imitantem, qui v. 136 „vocat" dixerat: id quod nihilo sanius est. Müller. Nachtr. l. l.: „Praesens simitu paedagogus ut siet"; nos propius ad codicum vestigia: „Praesens ibi ullus paedagogus ut siet". — 142. Gravitate

comica Pindari versum affert, Olymp. 13, 104: *Νῦν δ' ἔλπομαι μὲν, ἐν θεῷ γε μὰν τέλος.* Pro *eueniat* Ritsch. Fl. „euenat", v. Prolegg. p. 215. — 144. *iturus sum* codd.; Scriverius: „I tu rursum", unde Ritsch. „I rusum", quod retinui quamquam dubitans, nam „I mecum" aptius foret, ac nescio an magis placeat coniectura Bothii: „Iturus's domum?" — 145. *Omitte*, nam manu eum apprehenderat, cf. Ter. Eun. 765. Phorm. 486. Ad. 172. Plaut. Mil. 1329: „Si magis uis, eam omittam". Quod obiectum omittitur, vid. ad Asin. 392. — Pro *ac* Teuffel. in Mus. Rhen. XXX, p. 317 „aut" voluit; non opus. — *Caue malo*, solita minitantis formula, cf. Casin. 388: „Malo, Chaline, tibi cauendum censeo". Rud. 833: „Quid est quod caueam? LO. Em, a crasso infortunio". — 146. Hunc versum Both. post 136, Ritsch. post 150 ponendum censuit. Quorum illud præferrem, si quid mutandum censerem. — 147. Numerorum causa Herm. R. Fl.: „ubi es nunc". *Barathrum* si adesset, eo se præcipitaturus erat, ut apud Homerum Il. IV, 182 Helena: *τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.* Erat autem barathrum locus extra muros, quo Athenienses maleficos præcipites dare solebant, v. Plat. Gorg. 516 D. Becker. Anecd. 219: *βάραθρον Ἀθήνησι ἦν ὄρυγμά τι ἐν Κειριαδῶν δήμῳ τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς, εἰς ὃ τοὺς ἐπὶ θανάτῳ καταγνωσθέντας ἐνέβαλλον.* — 148. Versum a duobus anapæstis (*Uideo nimio*) incipientem non ferens Ritsch. „iam nimio" transposuit, postea Scaligeri coniecturam „Uiuo" amplexus est, atque adeo totum versum pro interpretamento proximi delebat. Me nihil offendit; nam *nimio multo plus* defenditur versu 669. — 151. Versus et *ἄμετρος* et aliis rationibus suspectus; nam et alius ingenii quam ceteri videtur, nec *plenos sanguinis* pro adultis poni posse Acidalius probavit. Hermannus fervidos et iracundos intellexisse videtur, nam deleto „iam" voluit: „Nil mihi moror discipulos plenos sanguinis"; Ritsch.: „moro". Equidem cum Guieto spurium putavi. — 152. *adflictat*, i. e. prosternit, quod pro futuro intelligendum videtur, v. ad Aul. 360. Amph. 714. Acidalius, quem vulgo sequuntur, „adflictet", quod si Plautus scripsit, pro interrogatione indignabundi ceperim. — *uaciuom*, i. e. vacuum, cf. Pseud. 469. Trin. 11, sed ibi A „uociuas" habet, eademque forma extat Casin. 29 et Ter. Heaut. 90 in cod. Bembino, eamque solam vindicat Plauto Ritschelius,

Nov. Exc. p. 59 sq. Affirmandi causa affertur, quod in inscriptionibus antiquioribus interdum „vocatio“ legitur pro „vacatio“, v. Mommsen. ad Corp. Inscr. I, p. 70 sq. Sed nec euphonica ratio apparet, et errandi occasio in promptu est; quare codicum scripturam retinui. — 153. Sane, inquit, fieri potest, ut ego Hercules fiam, tu Linus. Magistrum enim, quum se lyram male tractantem vituperasset, interfecit Hercules, v. Apollod. II, 4, 9. Jahn., Berichte d. Sächs. Gesellsch. d. W. 1853, p. 145 sq. — 154. Immo, respondit pædagogus, magis metuo, ne tu pereas, meumque futurum sit patri interitum tuum nuntiare, ut Phœnix Peleo Achillis mortem nuntiavit. Hoc Arctinum in Æthiopide scripsisse verisimile est. — *fuam*, non „sim“, ut infra 1030. Amph. 978 al., sed „futurus sim“, ut Poen. 1088: „Quin mea quoque iste habebit, si quid me fuat“. Trin. 594: „in ambiguost etiam nunc, quid ea re fuat“. Trucul. 697: „procul hinc obseruabo, meis quid fortunis fuat“. Vid. Brix. ad Milit. 299. — 156. *uereri perdidit*, i. e. pudorem amisit. Infinitivus pro substantivo, ut Capt. 726. Curc. 28. Lucret. IV, 765: „Præterea meminisse iacet“. V, 1186: „perfugium sibi habebant omnia divis tradere“. al. — 157. *Conpendium*, i. e. lucrum. Quod pro verecundia impudentiam acquisisti, lucrum fecisti adulescenti parum optabile. — 158. *nactus es* ed. pr. — 159. *Occisus est*, i. e. periit, cf. 678. Capt. 534. Cas. 662. Mil. 172. „Nam“ inquit v. 482 „ego illum perisse dico, quoi quidem periit pudor“. Commoto animo Lydus modo secum loquitur modo adulescentem alloquitur, nec opus est cum Ritschelio vss. 159—60 versibus 157—58 anteponere. — 162. „*Nimio docilior* hinc affert Charisius p. 186 P.“ R. — 164—67. Turbatum in codd. versuum ordinem esse, facile apparet, atque arguit ipse cod. B hos quattuor versus recto inter se ordine post v. 173 repetens. Seyffertum Stud. p. 10 versus 164—65 spurios iudicantem sequi non possum. — *furtum*, maleficium clandestinum, ut κλέμμα apud Græcos, v. Demosth. Coron. 31. al. — *in aetatem*, cf. 157. Teuffelio (Mus. Rhen. XXX, p. 317) vss. 164—65 propter hanc similitudinem spurios iudicanti, nemo facile accedet. — 167. *hac*, quod delevi, Both. et Ritsch. ante *me* posuerunt. Koch. in Mus. Rhen. XXV, p. 617 „Seque“ scribi voluit, assentiente Teuffelio.

168. Chrysalus Mnesilochi servus Athenas redux patriam deosque patrios salutat, cf. Stich. 646 sq. Simul orat, ut prius Pistoclerum conveniat et, quid effecerit, certior fiat, quam suum herum, Nicobulum videat. — 169. Post *Ephesum* hiatus in cæsura. Ritsch. „Posteaquam" scripsit, Müller.: „Post hinc in Ephesum quam". Præpositio autem quod nomini proprio additur, hoc sæpe fit apud Plautum, cf. infra 232 sq. 246. 351. 385. 589. 772. Curc. 341. 562. Epid. 533 sq. Most. 63. Men. 49. Mil. 113. 386. Pseud. 1098. Poen. 87. 94. 899. Trin. 112. 1103. Quod non mirabitur, cui Ciceronis in mentem venit ad Att. VII, 3, 10: „Venio ad „Piraeea", in quo magis vituperandus sum, quod homo Romanus Piraeea scripserim, non Piraeeum — sic enim omnes nostri locuti sunt — quam quod „in" addiderim; non enim hoc ut oppido præposui sed ut loco". — 170. *uicine Apollo.* Ara et columna Apollinis vicani sive Ἀγυιέως ædibus adiuncta esse videtur, cf. Aristoph. Vesp. 875: Ὦ δέσποτ' ἄναξ, γεῖτον ἀγυιεῦ, τοὐμοῦ προθύρου προπύλαιε, cf. Merc. 667 et 669 et annot. ad Aulul. 598. — 171. *uenero*, i. e. oro, cf. Aul. 8. Activa forma extat etiam Trucul. 473. — 174. *quem ad*, anastrophe, cf. ad Amph. 234. Vidul. fr. II, 35: „Quam ad redditurum te mihi dicis diem". Ter. Phorm. 524: „dies, quam ad dares huic, praestituta". Nec impedit, quod sequitur alter accusativus, cf. Lucret. IV, 804: „Nisi si quæ ad se ipse paravit". Plaut. Curc. 466.

176. Pistoclerus ex ædibus Bacchidis exiens amicam, quæ intus est, alloquitur. *quaesere*, vid. ad Amph. 1037. — 178. *uadatum*, quasi vadibus datis obligatum, ut adsim, cf. Curc. 162.

181. *Conpendi faciam*, vid. ad Asin. 305. Chrysalus properandi cupidus vernili licentia ea occupat, quæ Pistoclerum dicturum esse sperat. — 183. *Hospitium . . . pollicere*, cf. ad 92. — 184. *Peregre aduenienti*, affert Charisius p. 212 K. — 185. *ab sodali.* Neglecta positio ita Hermannum et Ritschelium offendit, ut „sodalis" scriberent. — 186. *ubi sit.* Respondetur *Uiuit*, ut infra 243. Apparet solitam hanc interrogandi et respondendi formulam esse. Ominis causa non quæritur: „Inter vivos est an mortuus?" sed: „Ubinam est?" Respondens autem, quid potissimum significetur, facile intelligit;

Male igitur Ritschelius „uenit“ scripsit. Si locus significandus esset, „hic“ dicendum erat. Licentius etiam Pistocleri verba refinxit: „Uiuitne et ualet?“ — 188. *Nullus plus.* Cf. Cist. 536: „Plus, qui uocat, scit, quid uelit, quam ego, quae uocor“. — 189. Corruptam codd. scripturam Spengelius, Plaut. p. 95, ita tuetur, ut „uiuit“ monosyllabum faciat; sed etiam „et“ pravo loco legitur. Bentleius ad Ter. Heaut. 2, 3, 3: „quam amat, uiuit et ualet“, coll. Heaut. 430. Plaut. Bacch. 243. Stich. 36. Trin. 773. 1075; quem cum Ritschelio secutus sum, nisi quod *ille* retinui. Sed accuratius considerato toto loco propter v. 186 non dubito, quin scribendum sit: *quam ille amat, recte ualet.* — 190. Hunc versum, quem Herm. et Ritsch. subditivum putarunt, recte defendit Spengel., p. 138. De exitu versus v. Proll. p. 201. — 191 sq. Amicam amantis animam esse dicit; nam absente amica quasi vita privatum videri. Addit, ne si adsit quidem amica, omnia esse salva; fem familiarem interire, ipsum restare, sed nequam et miserum. Scurriliter hoc quidem, sed prorsus Plautino modo, quare iniuria Ribbeckius (in præf. Ritschelii ad Stichum p. XVIII) hunc versum damnavit. — 194. *quod*, vid. ad Aul. 336. Post *illo* hiatus in cæsura. Ritsch. „illoc“ scripsit; Herm. Fl. „me“ addiderunt, quo careri posse ostendit v. 526. — 196. *Acherunticas*, inferorum, vid. ad Amph. 1022. — 197. *Eho, an* in unam syllabam coalescunt. — *Samiam*, nam Sami vixerat, v. 469. Ritsch. ante hoc voc. „Et“ addidit; non opus, v. 217. — 199. *Scis tu ut ... solet*, vid. ad Amph. 17. Beckerus in Studemundi Stud. I, p. 254 coniecit: „Scin tu? confringi“ coll. Rud. 382. Iocatur autem servus alludendo ad Samia vasa, quæ fictilia erant (cf. Capt. 290) et fragilia, v. Men. 177: „Metuis, credo, ne fores Samiae sient“. — 200. *Iamne ut soles?* cf. Trucul. 683. Plene Aul. 811: „Iamne autem, ut soles, deludis?“ — 202. *proxume uiciniae*, sic C et Charis. p. 223 K.: „Viciniae, „hic viciniae“ Terentius in Hecyra (immo Phorm. 95. Andr. 70 autem „huc uiciniae“) „ubi Celsus „adverbialiter“ inquit „ut domi militiæque“; Plautus in Bacchidibus: „proxime viciniæ“. Celso adstipulati sunt Bücheler., Lat. Declin. p. 62, et Brix. ad Mil. 273 „proxumae uiciniae“ scribentes, nescio quam vere. In Militis

loco A et C „proximae“ habent, B „proxime“. Most. 1045 A, B „proxuma uicinia“, C „proxuma uicina“. — 204. affert Charis. p. 223 K. male „plurimique“ scribens. — 205. *Immo* præter opinionem augentis est, cf. infra 695. Epid. 443: „Immo si audias Meas pugnas, fugias“. Ter. Heaut. 599: „Immo, si scias“. — *eam* Acidalius em., cf. Curc. 59. — *misere* idem; „misera“ Seyffert., Stud. p. 8. — 206. *Hem*, quod codd. Pistoclero continuant, Chrysalo tribuendum esse vidit Bothius. Ritsch. „en“ ed. — 208. *bachis* delendum esse vidit Bothius. *Tanto melior*, solita laudandi formula, cf. Pers. 327. Trucul. 940. Ter. Heaut. 549. Phædr. III, 5, 2: „Æsopo quidam petulans lapidem impegerat. Tanto, inquit, melior“. Quintil. VIII, 2, 18: „egregia laudatio: Tanto melior; ne ego quidem intellexi“. Senec. Ep. 31, 4: „adprobabo et clamabo: Tanto melior“. Tranq. animi 16, 3: „Laudemus et dicamus: Tanto fortior, tanto felicior“. Ep. 71, 28: „multo audire mavult Tanto melior, quam felicior“. Ovid. Met. XIV, 657: „Tanto potentior“. Plin. Paneg. 71, 4: „Tanto maior, tanto augustior“. Huic contrarium est „Tanto nequior“ Men. 424. Ter. Ad. 528. Cf. Stich. 744: „Tanto miserior“. — Post interruptum Pistocleri sermonem hiatur; Müller. „abiuero“ postulat. „*abiero potius*, quam audiam tam inepte narrantem“. — 210. *res* em. Both. *actor* est, qui in scena aliquid dicit. Plautus extra argumentum occasionem arripit actoris, quem parum probabat, vexandi. — *odio*, v. ad Asin. 443. — 211 sq. Oratio anacoluthos; expectabatur nihil amplius quam *inuitus specto*, cf. Capt. 376. Epid. 167 sq.: „Plerique homines, quos, quom nihil refert, pudet, ubi pudendumst, ibi eos deserit pudor“. Mil. 140: „Nam unum conclaue, concubinae quod dedit, ... in eo conclaui ego perfodi parietem“. Rud. 963: „Uidulum istum, quoius est noui ego hominem“. *Pellio* in codd. vocatur actor ille fabularum. Post Gulielmum editores plerique Pollionem appellant nomine magis noto, quod Symmachus hic legisse videtur, si quidem huc spectat Ep. X, 2: „Non idem honor in pronuntiandis fabulis Publio Pollioni, qui Ambivio fuit“; vid. Ritsch. Parerg. p. 392. Ambivius Turpio ex Terentianis didascaliis notus est, alterius mentio fit in didascalia Ambrosiani codicis, quam Ritsch. Parerg. p. 260 sqq.

ad Plauti Stichum, Geppertus de cod. Ambr. p. 14 ad Terentii Adelphos retulit. Ibi legitur C. PUBLILIVS P. LLIO; vocalis utrum E an O fuerit, parum liquet. — 213. *etiam*, vid. ad Asin. 670. — *fortis*. Nonius p. 306: „formosa“. Saltem vox inter amatores illo tempore usitata, v. Mil. 1099. 1104. Lucil. XXX, 115: „Omnes formosi fortes tibi, ego improbus. Esto“. — 214. Mnesilochi amicam ita laudaturus, ut suam multo præferat, „Nisi“ inquit „ipse Venerem nactus essem, illam“ — expectamus „Venerem dicerem“, sed sequitur *παρὰ προσδοκίαν* (cf. Asin. 875) „Iunonem“, cuius similior ei videbatur. — Noli igitur cum Lipsio pro *dicerem* „ducerem“ scribere. Nobiscum facit Teuffel., Mus. Rhen. XXX, p. 319. — 215. Si versus sanus est, *esse intel* . . pro anapæsto erit. Ritsch. Pyladem secutus „rem hanc“ ed., Bentl. „esse“ delebat, Schneider. et Müller. „hanc“. — *rem natam*, cf. Casin. 320. Trucul. 949. Vulgo dicitur „e re nata“, „pro re nata“. — 217. *istoc* codd., quod fuerunt qui defenderent, quasi ad istam rem, cf. infra 379, sed hic nullum verbum motum indicat, quare cum Ritschelio ed. principem secutus *istic* scripsi, cf. „Quid istic?“ infra 1046. — *auro* em. ed. pr. — *Philippeo*, vid. ad Asin. 152. — 219. *Et miles quidem?* Hæc verba codd. malo Pistoclero continuant. Interrogandi signum ponendum esse vidit Bentleius ad Ter. Heaut. 606: „mille nummum poscit. CH. Et poscit quidem?“ — 220. *Qui* orationem ab interlocutore interruptam continuat, vid. ad Amph. 1136. — *de amittunda Bacchide*, ut Bacchidem missam faciat. — *hic*; num „hoc“ scribendum? Bothius: „hinc“. Idem: „exiget“; quod nescio an recipiendum sit. — 221. Anapæstico exordio offensi Hermann. R. Fl.: „Adueniat q. u. a. ita ne sit morae“. Optat, ut quam primum veniat; *atque ita, ne* i. e. et ita quidem, ut ne, cf. ad Capt. 731 sq. — 222. *Domist*, apud me est nec foris petam, cf. infra 362. 647. Mil. 193 sq. Amph. 631 cum annot. Quod autem syllaba versui deest, Both. „neque ego“ scripsit, R. „metuo mihi“. — 224. *curabo*, sine obiecto. Sic Sallustius, Cat. 59, 3: „Manlium in dextra, Fæsulanum in sinistra parte curare iubet“, et sæpius.

226. Chrysalus, postquam intro abiit Pistoclerus, secum loquens sibi vindicat *negotium aurarium*, i. e. negotium auri

comparandi. — 227. *Philippum* Both. em., ut v. 270; Ritsch. „tulimus", sed Plautina perfecti forma est „tetuli", ut animadvertit Seyffert., Stud. p. 7, qui ad illud firmandum etiam affert Varron. ap. Gell. I, 16, 3: „plus mille et centum annorum". — 230. *Ut* emendavit Ritsch. — 231. *Quinam*, vid. ad Amph. 127.

232. Nicobulus exit, pater Mnesilochi, de longa filii absentia sollicitus. Si versus integer est, post *uisam* hiatur. Herm. „ecquaenam" scripsit, Müller., Nachtr. p. 122: „eo ecquae". — 234. *formidat* cum accusativo cum infinitivo pro „quod" (cf. Madv. Gr. L. 397), ut Mil. 1278: „uerear magis Me amoris causa hoc ornatu incedere". Capt. 595. Ter. Heaut. 673: „crucior bolum mihi tantum ereptum". infra 432. Curc. 337. Poen. 774: „his cerebrum uritur Me esse hos trecentos Philippos facturum lucri". Trucul. 732: „inuidere alii bene esse". Asin. 465. — 235. *desidere*, otiosum manere, cf. Pseud. 1045: „Quid tu intus, quaeso, desedisti tam diu". Ter. Hec. 800. — 236—39. Hæc Chrysalus secum. *Extexam*, spoliabo. Extexere (*ἅπαξ λεγόμενον*) est „telam sua textura aut lana nudare", Lamb. — 239. Emendavit Grosslot. in marg. Dous. „Divitem senem cum *Phrixi ariete* comparat, cuius aureum vellus Phrixus Æetæ donavit. Hic quin aurum omne inde detraxerit, Chrysalus non dubitat, et similitudine usus in hac re vulgari (cf. infra 1092. 1125 sqq. Capt. 265) ait se eodem modo senem *detonsurum*, et quidem *usque ad uiuam cutem*, i. e. ut nuda cutis relinquatur". Lamb.

241. *mihist* monosyllabum est. — 242. Ritschelius spondaicam vocem in secundo senarii pede non ferens „salutem primum" ed. — 243. *Uiuit*, cf. 186. — 244. *Euax*, interiectio gaudentis, cf. Men. 127: „Euax, iurgio hercle tandem uxorem abegi ab ianua", quem locum Varro L. L. VII, 93 affert addens: „Euax verbum nihil significat, sed effutitium naturaliter est". Cf. infra 721. Curc. 98. Casin. 777. — *aspersisti aquam*, quasi deficienti. Affert Charisius p. 240 K. cum glossemate „fili nuntio". Addit: „Ennius quoque: Aquast aspersa Latinis". Cf. ad Amph. 1074. — 245. Pancratice atque *athletice*, i. e. pancratiastæ et athletæ modo, cf. Epid. 21: „Ualet pugilice atque athletice". — 246. *Quid hoc, qua causa*, cf. Ter. Heaut.

935: „Quid hoc, quod rogo“. Phorm. 567: „Quid, qua profectus causa hinc es Lemnum, Chremes, Adduxtin tecum filiam?“ — Hiatus post *causa* in cæsura ferri potest; post *eum* non verisimilis est. Camerar. et sqq.: „eum hinc in“. — 248. *Heu* edd. — *Cerebrum* ira maxime percuti, ex Horatio aliisque notum cf. Poen. 773: „id nunc his cerebrum uritur“. — 249. *ubi ... quaque*, i. e. quocunque loco, hoc uno loco inveniri videtur; Ritsch. Lambini emendationem „ubi ... quomque“ recepit. — 252. *Uolcanum*, ignis deum, adsumit, quum ceteros lucis deos enumerat. *Luna Sol*, hoc ordine Guietus; Camer.: „Sol Luna et Dies“. *dei* in B emendatum est. — 253. *inluxere*, cf. ad Amph. 543. — 254. Nicobuli interrogationi Herm. R. Fl. addiderunt voc. „hem“, male. — 255. Chrysalus „Potius“ inquit „quærendum erat: Quid non fecit?“ — 256. *Primumdum*, i. e. primum, cf. Most. 117. 393. Mil. 299. Rud. 32. Trin. 98. — 258. Post *antiquom* hiatus in cæsura. Ritsch. Camerarium secutus „Continuo ibi“ ed. — 260. *Eo* monosyllabum fit. — *symbolus* (sic enim Plautus loquitur, non „symbolum“, v. Pseud. 57. 656. 722. 758. 1092, ut „syngraphus“ Asin. 236) signum et documentum est rei rationisve contractæ. Hoc varii generis esse potuit. De tesseris hospitalibus vid. ad Cist. 333. Pollux IX, 71 *σύμβολον* ait esse posse *ἡμίτομόν τι νομίσματος*, hoc autem *διαιρεῖσθαι, ὡς ἔχειν τὸ μέρος ἑκάτερον, τόν τε πιπράσκοντα καὶ τὸν ὠνούμενον, ἐπὶ συμβόλῳ τούτῳ τὸ μέν τι προειληφέναι τὸ δὲ ἐνοφείλεσθαι.* Sed hic potius signum intelligendum, ut Pseud. 55 sq.: „Ea causa miles hic reliquit symbolum, Expressam in cera ex anulo suam imaginem, Ut qui huc afferret eius similem symbolum, Cum eo simul me mitteret“. ibid. 653. Cf. infra 324. — 263. *eum* ut significet „eum quem esse debebat“, fieri non potest. Ritsch. ex Guieti em. „uerum“; sed potius *tuum* scribendum est, quod et Gertzio et mihi in mentem venit, cf. 324 sq. — 264. Hoc versu orationem terminari apparet, et Fleckeisenius eum proximo postposuit. Ego hunc v. (265) spurium habeo; nam *rebus ceteris* barbarum est, nec „præter cetera“ corrigere audeo. — 266. Si versus integer est, hiatur in cæsura et *mihi* ultimam longam habet. Pylades, Both., Ritsch. „primum“ addiderunt. — 267. *recuperatores*, Romano more; Romæ enim sive

peregrinus homo a Romano cive aliquid petebat, sive ex interdicto certabatur aut de fraude manifesta agebatur, ut Rud. 1282, ubi leno puellam, quam arrabone accepto vendiderat, secum abduxit, prætor recuperatores, plerumque tres numero, dabat. — 269. *Ducentos Philippum et mille*, sic transposui versus causa; Pareus: „Mille et ducentos Philippum"; Ritsch.: „Mille et ducentos Philippos", ut 227.

270. *pugnam dare*, cf. ad Capt. 580. infra 354: „turbas dabo". — 271. *Etiamne est quid porro?* Indefinitum *quid*, cf. Most 737: „Iam de istis rebus uoster quid sensit senex?" Pseud. 29: „An, obsecro hercle, habent quas gallinae manus?" Aul. 341. Rud. 487: „si quis cum eo quid rei conmiscuit." Trin. 257: „reputo, ubi qui eget, quam preti sit parui." Sed versus syllaba longior est. Ritsch. Hermannum secutus: „Etiam quid porro?"; equidem malim: „Etiamne porro?" *Em* monstrantis est, vid. ad Amph. 771. Male Herm. et R. Chrysali verba seni continuarunt. Optime autem Herm. *accipitrina* emendavit, ut cum accipitre avarum hospitem compararet. — 272. *Autolyco* emendavit Camerarius duce cod. D. „Hospes," inquit „cui aurum credidi, Autolycus alter fuit, qui, ut ait Hom. Od. XIX, 395, *ἀνθρώπους ἐκέκαστο κλεπτοσύνῃ θ' ὅρκῳ τε. θεὸς δέ οἱ αὐτὸς ἔδωκεν Ἑρμείας.* — 273. *Immo* pravum est. Both. „Enim" substituit, Ritsch. „Hem"; ego delevi, quasi ex errore legentis ortum. Hiatus in cæsura ferendus est. Both. Ritsch. transp.: „auidi ingenium". — 274. R.: „abstulimus demum, in nauem inscendimus". Fl. recte librorum scripturam retinuit. — 275. *Domi* emendavit Ritsch. propter Trin. 841: „quamquam domi cupio" (ut est in A et ap. Donat. ad Ter. Eun. 4, 7, 45, quum ceteri „domum" habeant). Cum genetivo idem verbum iungitur Mil. 958: „quae cupiunt tui". ib. 1043. Ter. Hec. 142. — *stega*, *στέγη*, tabulatum sive constratum navis, cf. Stich. 414. — 276. Hiatus in cæsura. Herm. post *circumspecto* addit „ibi", Ritsch. „me", ut Trin. 146. 863. — *atque* in vulgi sermone interdum apodosin incipit, ut apud Homerum *καὶ τότε δή*, cf. Epid. 214: „quom ad portam uenio, atque ego illam illic uideo". Most. 1033: „Quom conuocaui, atque illi me ex senatu segregant". Merc. 252: „Postquam id quod

uolui transegi, atque ego conspicor nauem". Poen. 654: „dudum mane ut ad portum processimus, atque istum e naui exeuntem oneraria uidemus". Tales loci obscure obversati videntur iis, qui in Verg. Georg. I, 203 „atque" „statim" significare docuerunt, ut Gell. X, 29, 4. — 276 sq. *Lembus longus*, celeritate præstans et prædonibus aptus; piratici lembi commemorantur apud Curtium IV, 23. Tum *strigorem* ex codicum auctoritate scribendum esse videri possit, ac sic voluit Dacierius ad Festum, ubi eadem vox apparere videbatur, Epit. p. 315: „Strigores densarum virium homines"; ipsius Festi locus lacunosus est. Sed quidquid de lacero illo loco statuendum est, difficulter intelligitur, quo modo personæ nomen, non a supino verbi formatum, in or exire possit. Muretus et Salmasius „strigonem" emendarunt; sed ipsius vocis obscuritatem non sustulerunt. Iure igitur dubitavit Acidalius, quamquam parum feliciter hoc versu post 265 posito scripsit: „Longum est triconem maleficum exornarier", ex Lucilio ap. Non. p. 22 „triconem" adsciscens, i. e. infitiatorem lentum semperque tricas serentem. Ritschelius tamen iisdem vestigiis insistens versum suo loco retinuit scribens: „lembum conspicor Longum abs tricone malefico exornarier", quasi aut ipsum Archidemidem navem exornantem vidissent, aut trico apte maleficus dici posset. Equidem ingeniosam Gertzii emendationem recepi: *trygonem*. Aptissime enim lembus ille piraticus cum pisci comparatur, cuius super caudam eminet aculeus sive radius, ut ait Plinius H. N. IX, 48, 72, 155, quincunciali magnitudine, quo nihil exsecrabilius. „Letalem" eundem dicit Ausonius Epist. 4, 60. Notissimus autem erat ex fabulis; eius enim aculeo Telegonus Ulixem patrem interfecisse ferebatur, unde Sophoclis tragœdia *Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ* inscripta est, quæ eadem Niptra esse putatur, quam Pacuvius Latinam fecit. Cf. Oppian. Halieut. II, 505: *τὸν αἰολόμητιν Ὀδυσσέα ... τρυγὼν ἀλγινόεσσα μιῇ κατενήρατο ῥιπῇ.* Lycophr. Cass. 795: *κτενεῖ δέ τύψας πλευρὰ λοίγιος στόνυξ κέντρῳ δυσαλγὴς ἔλλοπος Σαρδωνικῆς.* Quod autem Græci *τὴν τρύγονα* dicunt, hic trygonem maleficum legimus, sic antiqui Romani Græca nomina immutare solebant; cf. Castores, dracones, Ionem, omnia o longo; quæ breve habent, canones, icones, apud Romanos posteriore demum tempore

occurrunt). Etiam Captiv. 845 „trygonem“ legimus. — 278. *latus*, i. e. pectus; retenta imagine se ipse cum navi comparat, in cuius latus prædatoria illa navis impetum faciat. — 280. Cum *fungo* homo stolidus comparatur etiam infra v. 816 et 1085. — *ut qui*, vid. ad Asin. 501. — 281. *Archidemides* Fl. em. Nomen, quasi a demendo derivatum, præcipuum in demendo indicare seni videtur. — 282. *Clamaret*, clare indicaret, cf. Catul. 6, 7: „tacitum cubile clamat“. Cic. Fin. IV, 19, 55: „ipsa veritas clamabat“ al. Præierant Græci, ut Aristoph. Vesp. 921: τὸ πρᾶγμα φανερόν ἐστιν· αὐτὸ γὰρ βοᾷ. — 283. Post *naui* hiatur, cf. Prolegg. p. 220. Ritschelius Pylade duce: „nostrae naui lembus“. — 287. *Neque aues neque uenti citius*, sc. sequerentur. — *Quoniam*, i. e. postquam, vid. ad Asin. 347. infra 289. 297. — 288. *statuimus*, sistimus. — 290. *Turbare*, i. e. vehementer agitare, sed ita ut non procederet. Sic recte Lambinus, cui unus fere accessit Rostius Opusc. I, p. 113; plerique alia tentant, ut Salmasius „uruare“, Gronov. „inhibere“, Ritsch. „seruare“. Hiatus in cæsura legitimus; Müller. cum Camerar. „Heu“ addebat. — 291. *Quid denique agitis?* cf. Trucul. 400. — *recipimus*, omisso „nos“, cf. Merc. 489: „Ergo actutum face cum praeda recipias“. Rud. 880: „dum recipis“. — 293. *Reuorsionem faciunt*, cf. Trucul. 395. — 295. *eo* per synalœphen evanescit, cf. Fleckeis. Annal. phil. LXI, p. 47 not.; Ritsch. cum Bothio: „exanimus“. — 296. *Quoniam uidemus* Gruterus em. — 297. Post *continuo* Hermannus, R., Fl. „hoc“ addunt; vix opus. — 298. Post *aurum* hiatur in cæsura. Herm. „illis ibi“ scr., Ritsch. „illim illis“, Müller. etiam „praesente omnibus“. — 301. *Quom extemplo*, v. ad Amph. 858. Hiatu in cæsura offensi Ritsch. „Quoniam“, Müller. „extempulo“ voluerunt. — 302. *quassantibus*, vid. ad. Asin. 400. — 303. *deposiuimus* Acidal. em. — 304. Post *Dianæ* hiatur, v. Proll. p. 220. Müller.: „deae Dianae est“. — 305. *Quis* Herm. em., prob. Seyffert., Stud. Plaut. p. 27; nam et sic Plautus solet, et h. l. similitudo antecedentis versus varietatem postulat. — „Furtum“ ait Lamb. „facilius committunt homines quam sacrilegium; inde mos veterum res carissimas in templis deponendi“. Cf. Cicer. Leg. II, 16, 40: „Sacrilego poena est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum;

quod et nunc multis fit in fanis, et Alexander in Cilicia deposuisse apud Solenses in delubro pecuniam dicitur, et Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiæ, civis egregius, quum rebus timeret suis, filiarum dotes credidisse". Id. ad Famil. V, 20, 5. ad Attic. V, 21, 12. Corn. Nep. Hannibal. 9. Cæs. B. Civ. I, 6 extr.: „pecuniæ a municipiis exiguntur, e fanis tolluntur". Maxime huc pertinet Dion. Chrys. 31, p. 363 Dind. *Ἴστε που τοὺς Ἐφεσίους, ὅτι πολλὰ χρήματα παρ' αὐτοῖς ἐστι τὰ μὲν ἰδιωτῶν ἀποκείμενα ἐν τῷ νεῷ τῆς Ἀρτέμιδος, οὐκ Ἐφεσίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ξένων καὶ τῶν ὁπόθεν δήποτε ἀνθρώπων, τὰ δὲ καὶ δήμων καὶ βασιλέων, ἃ τιθέασι πάντες οἱ τιθέντες ἀσφαλείας χάριν, οὐδενὸς οὐδεπώποτε τολμήσαντος ἀδικῆσαι τὸν τόπον, καί τοι καὶ πολέμων ἤδη μυρίων γεγονότων καὶ πολλάκις ἁλούσης τῆς πόλεως.* Unum exemplum, Xenophontis, notum est ex Anab. V, 3, 6: *καταλείπει παρὰ Μεγαβύζῳ τῷ τῆς Ἀρτέμιδος νεωκόρῳ ... καὶ ἐπέστειλεν, ἢν μὲν αὐτὸς σωθῇ, ἑαυτῷ ἀποδοῦναι, ἢν δέ τι πάθῃ, ἀναθεῖναι ποιησάμενον τῇ Ἀρτέμιδι ὅ τι οἴοιτο χαριεῖσθαι τῇ θεῷ.* Diogenes Laert. II, 51: *γενόμενος δ' ἐν Ἐφέσῳ καὶ χρυσίον ἔχων τὸ μὲν ἥμισυ Μεγαβύζῳ δίδωσι τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερεῖ φυλάττειν, ἕως ἂν ἐπανέλθῃ* cet. — Verisimile est huc pertinere verba, quæ ex Menandri *Δὶς ἐξαπατῶντι* afferunt Photius p. 50, 6 et Suidas v. *ζάκορος*, quod *νεωκόρον* interpretatur:

οὐ Μεγάβυζος ἦν,
ὅστις γένοιτο ζάκορος;

cuius fragmenti sensum Ritschelium in Parergis p. 408 arbitror recte divinasse: Nicobulum, ignoto Theotimi nomine stupentem, quæsisse, nonne Megabyzus ædituus esset; servum autem, quo mendacium suum sustineret, respondisse: „Immo filius Megabyzi Theotimus". Hoc imprimis ridiculum futurum erat iis, qui Megabyzos, Dianæ sacerdotes, eunuchos esse novissent, v. Strab. XIV, 1, 23: *ἱερέας δ' εὐνούχους εἶχον, οὓς ἐκάλουν Μεγαβύζους, καὶ ἀλλαχόθεν μετιόντες ἀεί τινας ἀξίους τῆς τοιαύτης προστασίας ἦγον ἐν τιμῇ μεγάλῃ* (*καὶ* ante *ἦγον* delevimus). Cf. Heracliti Epist. ad Hermodorum in Eunapio Boissonadii p. 427. Sed talia Athenis intelligi potuerunt, Romæ non potuerunt, quare non est mirum, si Plautus aliud substituit et pro Megabyzo *Megalobulum* posuit. Sed si corrigendum sit, illud malim, quam quod ex Strabonis codicibus Hemsterhusio et Meursio auctoribus

ediderunt Ritsch. et Fl., „Megalobyzi“ aut „Megalobusi“. — 307. *tanto* augendi causa additum, ut Rud. 521: „multo tanto miserior“. Stich. 340: „Nimio adporto multo tanto plus quam speras“. Men. 788: „Multo tanto illum accusabo, quam te accusaui, amplius“. *cariorem* autem Nicobulus non gratiorem dicit, sed eum, qui maiore pretio constat. — 308. Hiatus vitandi causa Ritsch. „illoc“, Fl. „med“ ed. — *circumduxerit*, v. ad Asin. 96. — 309. Excidit aliquid. Ritsch. Hermannum secutus: „Quin in eapse aede deae Dianae“; ego *Ephesiae* omissum credo. — 310. *publicitus*, publice, v. Amph. 160. Quod ad rem attinet, Dio Chrys. loco supra laudato sic pergit: *οὐκοῦν ὅτι μὲν ἐν κοινῷ κεῖται τὰ χρήματα δῆλόν ἐστιν· ἀλλὰ καὶ δημοσίᾳ κατὰ τὰς ἀπογραφὰς ἔθος αὐτὰ τοῖς Ἐφεσίοις ἀπογράφεσθαι* cet. — 311. *hic*, Athenis, apud me. — 312. Hiatus post *nihilne* („nilne“ pronuntiandum) vix ferri potest. Pylades „uos“ addebat, Herm. R. Fl. „huc“, Müller. „eius“. — 313. *etiam*, affirmantis est, cf. Amph. 540. — 317. *Quantum illim* Both. em., i. e. illinc, cf. Men. 787. Poen. 452. 990. Lucr. III, 881: „neque enim se dividit illim“. — 318. *Etiam*, interrogantis, vid. ad Asin. 669. infra 329. — 321. *nisi*, vid. ad Aul. 357. — 326. *adferat* scripsi, nam Plautus modum secundariæ sententiæ ad primariam accommodare solet, cf. ad Aul. 270; vulgo Camerarium secuti: „adferet“. — 327. *et* Both. delebat, sed cf. ad Asin. 697. — 328. Ordinem verborum cum Both. R. Fl. mutavimus. — 329. *Quine* Both. em. ad usum Plautinum, vid. ad Amph. 690. Ut vitaretur hiatus post „auro“, edd. transposuerunt verba, velut Fl.: „Quine habeat auro“. — *suppactum*. Quum rustici et milites caligis fulmentas clavis suppingerent (Trinum. 720), quod Theophrastus Char. 4 *ἀγροικίας* esse dicit (cf. Comment. nostr. p. 82 et 132), Josephus B. Jud. VI, 1, 8 gregariorum militum (cf. Plin. Hist. nat. IX, 18, 33, 69. Edict. Diocl. cap. 9.), tum elegantiorum hominum crepidis sola minoribus clavis adfigebantur. Insignis et perditæ luxuriæ exemplum affertur „Hagnonem Teium, Alexandri magni præfectum, aureis clavis suffigere crepidas solitum esse“ (Plin. H. N. XXXIII, 3, 14, 50. Athen. XII, p. 539 c); si autem fides Valerio Max. IX, 1, Ext. 4, „Antiochi cæcam et amentem luxuriam exercitus

imitatus magna ex parte aureos clavos crepidis subiectos habuit". — 330. *fastidit*, superbus est, cf. Curc. 632. Most. 873. — *Tantas* cet. De soluto sententiarum nexu vid. ad Amph. 952. — 331. *dederit*. Herm. R. Fl.: „duit"; vix opus, v. Pseud. 658: „Huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid harpax feceris". Ter. Heaut. 826: „caue quidquam admiratus sis". infra 503. — 335. *Quom* pro „quod", vid. ad Amph. 636. — 337. *hem* delevi sensu iubente; Both. „enim" scripserat, R. „en". — — „*tantisper*, δειχτιχῶς, ne tantillum quidem temporis spatium". — 338. *illud* in B emendatum. — 340. *Ne nauigarem tandem*, ut tandem a navigando liber essem. — 341. Versus propter tres continuos iambos ita offendit Hermannum et Ritschelium, ut „iam" adderent et verba transponerent. *Id*; expectabatur „eius", cf. Cat. R. rust. 122: „id mane ieiunus cyathum sumito". (In var. script. incuria omissi sunt errores cod. B: „aut" et „uerim"). — 343. *meus Mn. filius*, vid. ad Amph. 1093. infra 825. — 344. *iit* in unam syllabam contrahitur, v. Prolegg. p. 212 et ad Asin. 735. — 345. *abeo* scripsi Fleckeisenium secutus; R.: „At ego hinc eo ad illum". — *conuenam* id., vid. ad 142. — *quantum potest*, v. ad Amph. 964.

346. Postquam abiit herus, servus gaudet fallaciam sibi tam bene successisse. Similitudo a iumentis sumpta est, cf. Mil. 931: „probe oneratum". Cic. ad Fam. III, 10, 7: „te autem quibus mendaciis homines levissimi onerarunt?" Plaut. Most. 422: „speculabor procul, unde aduenienti sarcinam inponam seni" (imponendi voc. hac vi vulgo notum). Most. 766: „Uehit hic clitellas, uehit hic autem alter senex". — 348. *copem* Scutarius em. ex Nonio p. 84: „Copi pro copioso, Plaut. Pseud. (678): copi pectore. Turpil.: te quidem omnium iam pater copem causarum fecit. Pacuv.: O multimodis uarie dubium et prosperum copem diem". — 351. Post *Ephesum* hiatus in cæsura; Camer. „hinc" addebat, ut 385. — *arcessere*, ut arcessat, Madv. Gr. Lat. 411, not. 2; infra 629. 895. Cas. 656. Most. 64. Pseud. 646. Rud. 94. Trucul. 402. Ter. Eun. 528. al. — 352. *malacum*, v. 69. — 354. *turbas dabo*, cf. Pseud. 110. Ter. Eun. 653. supra ad 270. — 359. *Crucisalum*, quasi in crucem salientem, cf. Mil. 281 sq. Lusus ex

similitudine nominis Chrysali, cf. supra 127. — 360. *si magis usus uenerit*, i. e. si magis utile aut necessarium videbitur, cf. Cist. 144: „si quis usus uenerit, meminisse ego hanc rem uos uolo". Merc. 509: „Possin tu, si usus uenerit, subtemen tenue nere?" Stich. 475: „Quando usus ueniet, fiet". Ter. Heaut. 553. Inde etiam Epid. 528 scribendum: „illi hospitio usus uenit" (codd. „inuenit"). — 362. *domist*, vid. 222. — 363. Edd. deleto *eius* versum sanarunt, sed sententiæ vitium manet. Nam *fabricam*, i. e. fallaciam sive dolum (cf. Cist. 370. Mil. 147. Poen. 1102. Ter. Heaut. 545) non dabit, sed iam dedit vel perfecit, neque hoc cum proximo versu convenit, in quo si *super* pro „de" ponitur, quod fieri posse videtur, cf. Fest. p. 305. Most. 716. Mil. 1204, hoc dolo aurum quidem comparatum est, sed Bacchis non inventa. Sensus postulare videtur: herili filio narrabo de auro et de inventa amica. Quod quoniam nulla emendatione effici posse videtur, versus suspectos notavi.

365. Lydus pædagogus, qui Pistocleri iussu eum ad meretrices secutus erat (v. 167), quæ ibi vidit ægerrime ferens inde egreditur, ut quid filius agat patri nuntiet. Septenariis trochaicis scena vehementer commota scripta est. In exeundo a servis Bacchidis postulat, ut sibi ianuam aperiant domus eius, in quam perituri soli intrare videantur. — 366. *quippe qui* codd.; Lamb. *quippe quo* em. Illud ne quis locis ad Amph. 738 allatis defendat, hoc loco necessario requiritur loci significatio. — 367. *esse ut frugi possiet* post *spes* insolito dicitur, quasi „fieri non potest, ut frugi sit". Unus Ausonius simile quid dixit Id. 2, 46: „Consul ut ipse foret, spes mihi certa fuit". — 370. De forma „permities" vid. ad Asin. 132. Verbum *est* excidisse videtur, sed utrum post *instructa*, an post *opipare*, dubitant viri docti. — 371. *protinam*, i. e. porro, de loco dicitur, v. Curc. 363. Cas. 882. Pers. 679, al. ap. Non. p. 376. — *in pedes*, in fugam, cf. Capt. 121. Ter. Eun. 844. Phorm. 190: „hinc me conicerem protinam in pedes". — 373. *desidiabula* hoc uno loco extat; sunt desidiæ acta. — 374. *adflictas* codd. Plautini. Sic autem cum hoc versu terminatur

sententia, nec proximus, quo referatur, habet. Nonius vero p. 75: „*Affectare*, afficere. Plautus Bacchidibus: tua flagitia aut damna aut dispoliabula, Quibus patrem et me teque amicosque omnis affectas tuos". Et sic scribendum; *affectas* significat „conaris", ut apud Stat. Theb. 1, 132: „juvencos agricola imposito sociare affectat aratro". Sed restat alia dubitandi causa; nam v. 374 sq. ita similes sunt versibus 377 sq., ut altero versuum pari carere debeamus; quare Guietus posteriores, Ritschelius priores damnavit. Bergk. etiam (Zeitschr. f. Alterth. 1850, p. 330) et Fl. v. 379 propter 380 damnabant. Goetz. Act. Lips. VI, p. 259 vv. 376—79 retractationem versuum 372—75 putat, quod mihi quoque verisimile videtur. — 376. *mei* codd. Plauti; apud Priscianum VIII, p. 818 P. et XI, 922 prave „me" legitur. Sed verborum ordo *neque mei neque te tui* suboffendit, ac fuit quum „te neque" scriberem; Fleckeisen., quum Priscianus altero loco „tui te" haberet, „tui ted" edidit. Sed nostro loco similis est Pers. 525: „Mancupio neque promittet neque quisquam dabit". — *intus*, apud Bacchides. — *factis*, i. e. factorum, propter facta, cf. Prop. IV, 4, 36: „valeat probro Vesta pudenda meo". — 378. Post *tua* hiatur, vid. ad v. 49. Ritsch. „tu" add.; Gœtz. „tuad". — *gerulifigulos* comice finxit; significat gestatores et fictores flagitii; nam et filii probris ipsi onerantur, et qui talem adulescentem finxerunt, flagitium ipsi finxerunt. — 379. *istoc*, ad ea quæ facis, cf. Trucul. 603: „Uerbum unum adde istoc". ibid. 705 et 739: „istoc ad uos". Pers. 504. al. Similiter „hoc" infra 1150, „illoc" Trucul. 637. — 381. Hiatus post *eum* vix credibilis est; Ritsch. „Ut gnatum" scripsit; Herm. „isto" addebat, Fl., quem secuti sumus, „ille".

382. Mnesilochus advenit cum servis pedisequis. Nuntiis, quos attulit Chrysalus, lætus amici fidelitatem et servi beneficium trochaicis septenariis laudat. *Multimodis* Camerar. scripsit. — 383. Bothius comparavit Menandri versum (423 Mein.): οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον φίλου, ac verisimile est eum sæpius talia dixisse. — *ita uti nomen possidet*, i. e. ita ut appellatur, cf. Mil. 439: „Falsum nomen possidere Philocomasium postulas". Trin. 21. — 384. *ei*, vid. ad Asin. 523. — 386. *meum sodalem*

transp. Camer. — 389. *Condigne*, vid. ad Aul. 457. — 390. Extremam versus partem: „Sed eccum uideo incedere“ ferri non posse, facile intelligitur; irrepsit ex 400. Qualis sententia scripta fuerit, Muretus intellexit Var. Lect. XIII, 18: „Sed æquum id ei reddere.“ Both.: „æquum video id reddere“. Neutrum ipsius Plauti verba invenisse credo, nec antecedens sententia exclamatio mihi videtur, sed interrogativa ab sequentibus pendens, ut suppleri possint v. c. „haud ingratus comperi“. Weisius totum locum a medio v. 390 („Sed eccum uideo incedere“) ad med. 400 („haud celabis“) spurium habuit, et Ritschelius, qui eum perraro aliquid intelligere censebat, hac tamen in re ei accessit. Sed locus prorsus Plautinus est, nec fieri potuit, ut poeta canticum operosæ meditationis exorsus tam subito relinqueret.

391. *pol quidem meo.* Both. R. Fl.: „pol meo quidem“. Sed orationis causa etiam ille verborum ordo ferri posse videtur, cf. infra 734. Most. 996: „at quidem tu“. Cist. 88: „Nisi quidem cum Alcesimarcho nemine“. Merc. 799: „cum quidem salute“. — Post *ingrato* hiatus in diæresi; Müller. „st“ addebat. — *inpensius* nihil est; scripsi *infensius*, i. e. molestius, ut Tac. Ann. I extr. „infensius servitium“, XIV, 56 extr. „infensa valetudo“. Illud Rostius, Opusc. p. 114, sic defendere conatur: „ingratum hominem esse maxima impensa est; Undankbarkeit ist der grösste Aufwand“, quod miror fuisse qui repeterent. — 392. *amitti*, inultum dimitti, v. ad As. 604. — *satius* codd.; Herm. R. Fl. „satiust“, v. ad Amph. 590. — 393. *inpendiosum*, i. e. impendia iusto maiora facientem, quod facit, qui beneficia ultra necessarium reddit. Ceterum numerorum causa Herm. R. Fl.: „inpendiosum præstat“. — 394. *Illud* scripsi; vulgo Aldum sequuntur pro *hoc* scribentem „hunc“. — 395. *aequom*, vel „aecum“, sic enim sæpe scribitur, latere in corrupta codd. scriptura „ea cum“, intellexit Bothius. *aequomst; obuigilato* cum Ritschelio scripsi; *opus* retinui; R. „opust“. — 396. *specimen specitur* cet.; eadem repetuntur Casin. 493. Most. 128: „tum specimen cernitur“. — 397. *ut esse oportet*; „ut te esse“ postulat Brix. Ann. phil. CI, p. 768. — *qua* delevit Camerarius. Scaliger. præterea „cuicuimodi“, Ritsch. „quoiquoi-

modi", alii et Lorenz. in Philol. XXXV, p. 177: „quoiuismodi", quorum neutrum intelligo. Amplectenda videtur aut Camerarii scriptura (de omissa interrogandi particula cf. ad Asin. 462) aut, quo minus de sententia dubitetur: „malus bonusne aut quoiusmodi". Proximo autem versu facile careo. Si vere Plautinus est, labem contraxit, nam *commodus incommodus* (C) versui repugnat; *comincommodus* (B) autem, quod Bergk. Philol. XVII, p. 53 commendat, quasi a comi et incommodo compositum, ut in uno vocabulo duæ res contrariæ iungantur, non animadvertit dilemma hic proponi, quorum alterum membrum alterum excludit. Hermannus, R. Fl.: „tristis commodus". Bugg. in Tidskrift f. Philologi VI, p. 1 proposuit: „comis incommodus", numeris parum gratis; sed nihil melius habeo, cf. v. 408. — 399. *seruom*, olim emendatum. — 401. De primo versus pede vid. Proleg. p. 184. Ritsch. ed.: „Mei patrem sodalis et magistrum. ausculto, quam rem agant". Fl.: „Mei ... magistrum: auscultabo hinc q. r. a."

402. Lydus Philoxenum ad Bacchidis ædes ducit, ut suis oculis filii nequitiam cernat. Se experturum esse ait, utrum graviter irasci possit annon, cf. Aul. 460: „ita mihi pectus peracuit". Sed „cor acetum esse" Plautus scribere non potuit: Quid fuerit, ostendit Pseud. 744: „Ecquid homo habet aceti in pectore? CH. Atque acidissimi". Lambini coniectura „aceto", quam recepit R., a Plautina simplicitate abhorret. Veram viam Gruterus ingressus „peracre" scripsit sed „per" cum negatione coniunctum languet, cf. Aul. 179. Credo *teracre* fuisse, ut „teruenefice" infra 808; v. ad Aul. 317. „Acre acetum" est etiam apud Hor. Sat. II, 3, 116, ut „acerbum" Trucul. 181, „acidum" Pseud. l. l. Lydo non acri, sed acerrimo aceto in hac re opus esse videtur. — 404. *unice* restituit Bothius. — 408. *perdidit;* dactylica vox trochæi loco posita offendit; Fl. transp.: „perdidit illum istæc", quo diæresis interit. Ne Lambino quidem credo, potius assensionem quam assentationem dici debere; irati enim pædagogi est fortiter loqui. Si quid mutandum sit, „perdit" scribam. — 409. *Absque te esset*, i. e. nisi tu esses, nam apud Plautum et Terentium *absque* coniunctio condicionalis est, cf. Capt. 748. Men. 1001. Pers. 833.

Trin. 832. 1127. Ter. Phorm. 188. Hec. 601. — *haberem rectum*, rexissem, cf. Capt. 367. — 412. *ciet*, accusat, cf. Asin. 472. — 413. *est lubido obsequi*, lubet obsequi, cf. Epid. 237. Men. 83. Pers. 122. 805. Trin. 626. 865. Post *lubido* hiatus in diæresi; Müller.: „homini lubidost, Lyde". — 414. „*Morem geras*, obsecundes et indulgeas Pistoclero" L.

418 sqq. Quod post Lipsium alii repetierunt, poetæ hic obversatam esse orationem τοῦ δικαίου λόγου apud Aristophanem in Nub. 961 sqq., concedi non potest; nec tamen comparatio inutilis erit, ac Menandri quidem ætas haud paulo cultior quam Aristophanis apparebit. — 419. „Nego" inquit „tibi, dum vicesimum annum expleres, licuisse ita ex ædibus egredi, ut digiti spatio a pædagogo tuo recederes." — 421. *Ante solem exorientem.* Rem exaggerat, nam Attica lex τοὺς διδασκάλους τὰ διδασκαλεῖα καὶ τοὺς παιδοτρίβας τὰς παλαίστρας ἀνοίγειν μὲν ἀπαγορεύει μὴ πρότερον πρὶν ἂν ὁ ἥλιος ἀνίσχῃ, κλείειν δὲ προστάττει πρὸ ἡλίου δεδυκότος, Æschin. Timarch. 10. — Ritschelii scripturam „nisi tu exorientem" cum Corssenio (Ausspr. II, 467) repudiavi; v. 422 eum secutus sum. — 423—24. Si cui obtigisset, ut pœnas daret, etiam infamiam accessisse dicit tam discipulo quam magistro. Grosslotium secutus Ritsch. hos versus post 420 posuit, sed tum dicendum erat non „Id cui obtigerat", sed „Id si fecisses"; voc. *Ibi* autem v. 425 offendere non debet, quoniam semper de palæstra sermo est; *quoi* aut synalœphen patitur aut corripitur, cf. Trin. 1061: „Emere meliust quoi inperes". Quod quum Ritsch. in Prolegg. p. CCV. not. probasset, in editione priore Bothii coniecturam „quom" recepit, in altera ad illud reversus est. — 425. Hiatum post *luctando* defendit Spengel., Plaut. p. 221. Herm. R. Fl. transp.: „disco hasta". Müller, p. 601 sq. alia conatur. — 427. cum Fl. spurium habeo. *latebrosis locis* ex v. 54. — 429. *Cincticulo præcinctus*, pudoris causa, cf. Sueton. D. Iul. 45: „usum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut umquam aliter quam super eum cingeretur, et quidem fluxiore cinctura; unde emanasse Sullæ dictum optimates sæpius admonentis, ut male præcintum puerum caverent". Hor. Sat. II, 8, 70: „præcincti recte pueri". — *sella*, cf. Cic. ad Fam. IX. 18, 4: „Sella tibi

erit in ludo, tamquam hypodidascalo, proxima". cf. Marquardt. Privatalterth. II, p. 316. — 430. In principio versus coniunctio „ac" desideratur, ut alibi „sed", v. ad Amph. 350. Ritschelius licentius: „Ibi librum quom legeres". — Post *si* hiatus. Müller.: „modo si" aut „modo unam". Fl. Bergkium secutus: „si in una peccavisses syllaba". Sed illud recte dicitur; Müller. attulit Priap. 7, 1: „Cum loquor, una mihi peccatur littera". — 431. Lambino in mentem venit Iliadis IX, 490 sq.: *πολλάκι μοι κατέδυσα, ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνα οἴνου ἀποβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ.* — 434. *equidem ego*, vid. ad Amph. 757. — 435. *capiebat* ed. pr. Ex communi sententia auditur subiectum „puer", quod multo post sequitur, v. 438. Ceterum constat apud antiquos Romanos ante Villiam legem latam (a. 180 a Chr. n.) viros virtute egregios interdum admodum iuvenes magistratus gessisse, ut M. Valerius Corvus a. 348 tres et viginti annos natus consul factus est (Liv. VII, 26, 12); Scipio Africanus ante vicesimum annum ædilis (Polyb. X, 4). Cf. Cic. Philip. V, 17, 48: „At vero apud antiquos Rulli, Decii, Corvini multique alii, recentiore autem memoria superior Africanus, T. Flamininus admodum adulescentes consules facti". Plura Becker., Antiq. Rom. II, 2, p. 15 sqq. — 437. *septuennis*. Septimo anno litteras discere incipiebant, v. Merc. 288 et 298: „Puer sum septuennis ... Hodie ire occepi in ludum litterarium". cf. Quintil. I, 1, 15. Plat. Axioch. 366 F., quamquam fuerunt, qui maturius inciperent. Lydus autem, ut solet, rem exaggerat. — 438. *tabula*, qua scribitur, cf. Hor. Sat. I, 6, 74. — 440. *Noster esto*, laudantis est, cf. Mil. 895: „Eu, noster esto". Trucul. 940. Ter. Eun. 154. — 441. *Provocatur*, evocatur, ut prodeat, cf. Mil. 1115. Pseud. 642. — 442. *attigas* ex Nonio p. 75 receptum, qui eiusdem formæ exempla ex Turpilio et Attio affert. Cf. Epid. 712. Most. 459. Pers. 813. Stich. 182. Trucul. 275. Apud Ter. And. 789 metro iubente restitutum est. — 443. Versus corruptus. Ad voc. *Id* B adscriptum habet: „al. it", quod amplectitur ed. pr., D „Fit", quod Ritsch. prætulit; Both. „Ut". Omnes in voc. „strenue" patris orationem terminant. Sed v. 444 „Itur illinc" ostendit ibi demum ad aliud transiri, v. 443 extrema patris verba continere. Hinc sequitur

ut non „Fit“, sed *Sit* scribendum sit. *Expretus* nihil esse videtur, quamquam enarrare conantur Turnebus et Dousa, quorum hic, Explanat. II, 22: „Coniecturam est facere, moris antiquitus fuisse uncto linteo emungendi vel (quod facilius videtur) extinguendi lucernas causa uti, cuius vicem ferreis emunctoriis uti nos solemus“. Ego cur antiquis minus rationis fuisse coniiciam, non video, præsertim in verbo aperte corrupto. Ed. pr. „expletus“. Hoc Rostius Opusc. p. 116 miro modo commendat, quasi pædagogo „capitis fissa medendi causa repleta essent funiculis similibus iis, qui lucernarum fistulis immitti solent“. Immo *unctum linteum* lucernæ non est μύξα, sed quod vitri loco lucernam ambit, cf. Cic. Attic. IV, 3, 5: „linea lanterna“. Quod si putarem Romanos lucernam linteo expletam pro „circumdatam“ aut „cinctam“ dixisse, et ipse ed. pr. sequerer. Hoc enim pater dicere videtur, pædagogo non magis verberare licere quam lucernæ urere; ut lucernæ ignis linteo velo mitigetur eoque tutus fiat, ita magistrum a verberibus abstinere debere, si tutus esse velit. — Hiatum in diæresi et in hoc versu et in proximo legitimum habemus, Müller. v. 444 pro *hocine* voluit „istocine“. — 445. *inhibere imperium* est exercere, cf. Stich. 696. Liv. III, 38, 1, al. — *potest ... si uapulet*, vid. ad Amph. 696. — 446. *postulatio*, i. e. expostulatio, cf. Casin. 533. Ter. Hec. 180. — 447. *Mira*, vid. ad Amph. 279.

448. Philoxenus prior Mnesilochum conspicit; tum Lydus gaudet, quod redierit sodalis alumni sui, quem probum esse arbitratur. Sic recte codd. verba inter personas distribuunt, nam quod in B v. 449 Mnesilocho tribuitur, is error neminem fallit. Sed nulla causa est, cur Herm. R. Fl. totum v. 448 Lydo tribuant; nec maiore iure R. transp.: „Set quis est, quem astantem hic uideo“, cf. Seyff. Stud. p. 26. In 449 *haud* iure addidit Hermannus. — 450. Extrema versus pars interiit. In codd. eius loco legitur „Pistocleri“, quod vel numeri coarguunt; R. substituit: „hic quidemst“; malim: „qui fuit“. — 455. *it* ed. pr.; „*in mare it*, i. e. navigat“ L. — 456. *mori* Pius. *obediens mori patris* est patri morem gerens. Ter. Heaut. 203: „Huncine erat aequom ex illius more an illum ex huius vivere?“ — 458. *ut* emend. Hermannus. — 459. Hiatus in

diæresi, R. „huic“ addit; alia Müller. p. 550. — 460—61. Hi versus in codd. duobus proximis postponuntur; sed tam male continuantur sententiæ, ut Guietus spurios eos habuerit. Ribbeckius in Ritsch. præf. ad Stichum p. XVIII transponendos intellexit, ac posuit post v. 456, sed ita ut *Nam* omitteret, et post alterum versum excidisse aliquid putaret velut: Pol profecto ab adulescente quantum adulescens discrepat! Quo loco nos posuimus, nec omissione nec additione opus est. Lydus alumno suo potius malum quam rem familiarem credi posse dicit; *promptare* est sæpius promere, promum esse rei alicuius, cf. Pseud. 630 sq.: „Res rationesque eri Ballionis curo, argentum accepto et, quoi debet, dato. HA. Si quidem hercle etiam supremi promptes thensauros Iovis, Tibi libellam numquam credam“. — 462. *Caue malum*, Scaliger aliique „malo“ postulant, ut 145. — *conpesce dicere*, i. e. ne dicas, v. ad Aul. 333. — *dicere iniuste*, male dicere, cf. Pseud. 616. Stich. 345. Poen. 576. 1040. — 467. *quom peribat, uidi*, cf. Capt. 302, et Brix. ad eum locum.

468. *Atque* pravum est; Lamb. „At quae“, Fl. ex Ritschelii coni. „Ac quae“. De indicativo modo vid. ad Amph. 167. Meretricem cum Charybdi comparat, quæ quidquid attigit æstu suo absorbet, cf. Anaxil. ap. Athen. XIII, p. 558, v. 4 et 18. Hor. Od. I, 27, 19: „Quanta laboras in Charybdi“. Plaut. Trucul. 349 sq. „Sed aestuosas sentio aperiri fores, Quae obsorbent, quicquid uenit intra pessulas“. Unde Ritsch. etiam h. l. *aestuosa* em. — 469. *esse eam*, hoc ordine Guietus. — *Ex Samo* utraque soror oriunda erat, etiam quæ aliquot annos Athenis habitaverat. — 470. *Quae uocatur?* v. ad Amph. 378. — 473. *neque amet* A et B. *nec tu* B C et Festi Epit. p. 60. In A Geppert., Plautinische Studien II, p. 36, affirmat NE legi, idque ita defendit, ut „neque amat“ pro „non amat“ dictum putet, qua de re dubito; in Plautinis quidem, quos affert locis, fallitur. *nec* pro neu, cf. Asin. 768. *creduas* Fest. et B ex emendatione, nam fuerat „credas“, cf. infra 501. 842. Poen. 750; creduis Amph. 665. Capt. 600. al. cf. Aul. 577. — 477. Numeri non explentur. Ritsch. „aut“ addebat ante „labra“; mihi *nisi* aptius videbatur. Fl. Brixium secutus transposuit: „Ad papillas manus ferat“,

sed R. animadvertit etiam in A versum ab M littera incipere. Müller.: „Manum ad papillas adferat". — 480. *Quid uerbis opust?* Hæc Ritschelio ex v. 483 irrepsisse videbantur atque aliud quid loco movisse, velut „neque pudere quicquam factis prodidit". Ac sane repetitio horum verborum additamenti et rectractationis indicium videtur. Quod si *pudere* infinitivus historicus in enuntiatione secundaria et sine subiecto ferri possit, spurios habeam vss. 483—85; si non possit, vss. 480—82 una cum 484. Nam hic quidem et ineptus et vitiosus est. *Ut opinor* enim non solum numeris repugnat, qua de causa et alii et Spengel., Plaut. 64 „opino" scribunt, sed etiam sententiæ et orationi. Both. expectabat: „Aut inopinato inspectandi", Ritsch. „illi" substituit et, quum vocem „opinor" casu e proximo versu invectam putaret, ibi omissis „quam deceret" reposuit „opinor". — 481. Versus causa R. „huice". Müller. „suus" add. — 485. *acquom*, ut „dignum" cum ablativo iunctum uno præterea loco invenitur, prol. Rud. 47: „ut se aequom est." — 486. *ut* Pylades addidit. — 487. *capitis perdam*, v. Asin. 131. — 488. *Satine* fere pro nonne poni, vidimus ad Amph. 627. Sed interdum additur etiam *ut* interrogantis aut exclamatis, v. Men. 179. Mil. 1127. Merc. 472. Pers. 657. — Quo faciliores fierent numeri, R.: „Satin ut quem habeas tibi fidelem". Müller.: „Satin ut quem habeas tibi fidelem aut quoi tu credas, nescias. — 489. Post *gnatum* hiatus in diæresi; Both. cett. „esse gnatum", Müller.: „gnatum tam esse". — 491. *tecum oro*, v. Asin. 655. — 492. Voculam aliquam excidisse, numeri ostendunt. R.: „et mi autem filiam"; possis etiam „una" addere. — 493. Ambrosiani scripturam ex Geppert. Stud. II, p. 33 indicavimus (incuria „relinqueres" pro „reliqueres" expressum est.) R: „Melius multo me quoque una hic cum illo relinqueres", item Fl., nisi quod: „cum illoc hic"; alia Müller. p. 251. — 494. Dedi quod A uoluisse videtur (ADFATIMMNESILOCE . TC . . . AI Ritsch.); R.: „Adfatim Mnesiloche curaest". vulgo: „Adfatim est, Mnesiloche: cura et concastiga". — 495. *amicosque* Cam. em.; R. Fl.: „me, te amicum, atque alios". — 497. *ego* et *inpono* A.

497. Postquam abierunt ceteri, Mnesilochus secum de fortuna sua senariis queritur. Ignorare se ait, utrum Bacchidem an Pistoclerum magis inimicum habeat. *Inimiciorem* ex A restituit Ritsch. — 500. A: „Ne illa id", cum hiatu post „Ne". Quod in ceteris codd. male additum est „meo", omittit A. — 501. „Iuranti" inquit „mihi" nemo credat", vid. ad Amph. 665. — 502. *Ni ego illam exemplis plurumis planeque* — dicturus erat „ulciscar" aut „perdam"; sed nihil gravius in eam dicere sustinens *παρὰ προσδοκίαν* addit *amo*, vid. ad Asin. 877. — 503. *hau*, quod h. l. extat in A, non est, ut putarunt quidam antiqui grammatici (v. Ritsch. Proleg. Trin. p. C. sqq.), propria huius vocabuli forma („auad" esse statuit Christ. Mus. Rhen. XXIII, p. 565), sed vulgaris pronuntiandi ratio, extrita consonanti parum forti ante alteram consonantem, maxime ante d, p, m, s, ubi „hauscio" una vox fit, vid. Phocas de aspiratione p. 1724. Plaut. Most. 771. Poen. 1212. Huius usus et Plautini codd., maxime A, sed etiam B tribusque aut quattuor locis C, et Mediceus Taciti codex, et alia monumenta, velut Corp. Inscr. Latin. I, 1007, exempla servarunt, sed non tam constanter, ut pro lege haberi possit aut in libros inferendus videatur. — *deluserit* A, nec offendit perfectum coniunctivi pro præsenti, vid. ad 332. Sed totus locus gravissimis laborat vitiis. Pro vss. 504—6 in A unus extat: „Nam iam domum ibo atque, ut mendicet meus pater", quod si quis ita probat, ut in exitu versus orationem interruptam putet, parum iuvatur, nam intelligi non potest, quid se, vel si pater mendicaturus sit, facturum esse dicat. Mero errore duo versus excidisse videntur, aberrante oculo ab „atque" ad „usque". Si autem ceteros codd. sequimur, nihil ineptius est. Quomodo Mnesilocho in mentem venire potuit „aliquid patri surripere", quum Chrysali fraude iam satis superque habeat? V. 505 iam Ritschelius eiecit, et intelligat, qui possit. Vs. 506 Lambinus *παρὰ προσδοκίαν* explicat, quasi adulescens, quum dicturus esset: „ut mendicet, sc. Bacchis", subito mutato consilio patrem subiecerit. Quod fortasse ferrem, si hic versus post 503 aut 502 legeretur. Sed quid hoc est, quod proximis versibus se reprehendit, quod futura enuntiaverit, quum nihil omnino dixerit? Aut quæ est ista in tam pertur-

bata mente repentina quies in ratiocinando, quum proxima (v. 510 sqq.) animum æque commotum ostendant?" Accedunt vitia varia: 505 pessimos nµmeros habet. 507. *animum gerere* recte dicitur, v. Asin. 255. Terent. Hec. 310, sed *animum mente sincera* pro sincera mente vix Plautus dixit. V. 509 (in cuius scriptura A cum ceteris consentit) ἄμετρος est; Both. „pro" delevit, Weis. „opino" scripsit, Herm. Fl. „pote" delerunt, quo deleto locum non intelligo. Retento autem, quam ridicule dicitur „opinor ut pote quod pro certo sciam"! Quis non diceret: „opinor, immo scio"? Equidem totum locum. 503—509 spurium iudico; vss. 502 et 510 optime cohærent. — 510—12 Ambrosiano cum ceteris codd. communes sunt, sed A semel habet, quum in ceteris codd. post 517 eadem non nullis mutatis repetantur. Dubitari non potest, quin eiicienda sit ista genuinorum adulteratio. Male Herm. et R. primum eorum versui 510 prætulerunt. — „*Ramenta* generis . . . feminini Plautus: ramenta fiam plumbea propensior", Nonius p. 222, unde Plautinorum codicum error corrigendus est. Ramentum est enim, quod de solido corpore deraditur; plerumque dicitur de auri aut argenti particulis minutis, cf. infra 677. Plin. Hist. nat. XXXIII, 3, 19, 62: „aurum in massa aut ramento capitur". Plumeum ramentum nihil est; amator autem etiam plumbi, vilissimi metalli, ramentum perfidæ amicæ nimium esse dicit. *propensior* i. e. gravior, quod addidit, qui versum infra interpolavit, cf. Trucul. Arg. 8: „propensa munera", et ad Asin. 303. — 513. *uiua* etiam A; Ritsch. et Fl. *uiuom*, sed vid. ad Amph. 394. — 516—17 ex A restituti sunt, cuius scripturam plene edidit Geppert., Stud. II, p. 35. Unum mutavi, quod *referet* ex ceteris codd. retinui versu iubente; tum *mihi* delevi. *pluris refert*, cf. Rud. 966. Ter. Heaut. 467. Phorm. 646. 723. — *narret* in A legi testatur Geppert.; R., qui „dixerit" legerat, „dixit" ed.; pro „iocos" autem Herm. R. Fl. „logos". — 518. *stabile est*, certum est mihi, stat sententia; de acc. c. infin. cf. infra ad 1064. — 519. *Eadem*, v. 47. — 523. *ei* Gepp. in A legit, quum R. ID legisset, indeque „illut" fecisset; „ei" spondeum facit, v. Proleg. p. 216. — *Uos*, servos pedisequos alloquitur.

524. Dum Mnesilochus intro ad patrem it, Pistoclerus ex ædibus Bacchidis exit. In egrediendo ei promittit, se nihil prius facturum quam ut Mnesilochum quaerat. — *anteuertar* etiam in A legi affirmat Geppert, Stud. p. 34, quum R. „anteuertam" legisset; proximo autem versu „atque eum" omisso *ut*. — 526. *Nunc* ex A recepi, nam duos tantum primos versus Bacchidi dicere videtur; cf. Aul. 690. — *a me tetigit nuntius*, cf. 194. — 527. *remoretur* A. — *Ibo ut visam* id., ut Aul. 65. 704. Amph. 287; sed etiam *et* ferri potest, vid. ad Amph. 1091. Ter. Heaut. 170: „ibo, uisam si domist".

528. Exit Mnesilochus confecta re. Hiatus post *patri* parum verisimilis est; R. „meo" addit, Müller. „iam". — 529. *postquam inanis sum*, i, e. postquam inanis factus sum, cf. Most. 152: „postquam nihili sum". 910: „postquam tuus sum". — 530. *pater dedit* codd., v. Prol. 204. — 531. *suscenseat*, cf. ad Amph. 192. — 533. *contollam* Camer. ex Aul. 806. — 536. *Atque*, et quidem, vid. ad Amph. 278. *acerruma* em. Pius.

538—49. Hos versus ab A abesse testatur Studemund. Festgruss etc. p. 41 sqq., quumque etiam Charisius p. 184 P. = 205 K, postquam v. 543 laudavit, addat: „in quibusdam non feruntur" (sic enim, non „ferunt" legendum videtur cum Ritschelio Parerg. p. 418), totum hunc locum spurium iudicat, nec negari potest optime abesse posse magisque eorum ingenium sapere, qui brevi post Plauti mortem fabulas eius referebant, quam ipsius Plauti. — 539. *falsi* em. Pius. *falsimoniis*, vox hoc uno loco reperta. Repetita notio falsissimos esse indicat. — 540. *factiosi*, qui multa faciunt, strenui, opponuntur inertibus. Eadem significatione Nep. Lysand. 1, 3: „cum antea semper factiosus audaxque fuisset, sic sibi indulsit". — *sublesta* ed. pr. cf. Non. p. 177: „Sublestum est leve, frivolum. Plautus (Pers. 348 sq.): „Nam ad paupertatem si admigrant infamiae, Grauior paupertas fit, fides sublestior". Fest. p. 294 addit: „Idem in Nervolaria vinum ait sublestissimum, quia infirmos faciat vel corpore vel animo". — 541. *quoi non inuideant* em. Scaliger, cf. Trucul. 732: „Nam inuidere alii bene esse, sibi male esse, miseriast". — 542. Post *ne* hiatur; Both. R. Fl.: „Sibimet". *ignauia* Hermannus em. — 543. *perquam meditate tenes*, accurate

explorasti, cf. Mil. 40: „Nouisse mores tuos me meditate decet". Curc. 512. — 546. *ii* monosyllabum fit, cf. Proleg. p. 212. — *frustrant* Acidal. em. — 547. *aeque* addidit Müller. Plaut. Pros. p. 305. — 549. De omisso „ut" vid. ad Amph. 12. — *inconciliaret.* Festi Epit. p. 107: „Inconciliasti, comparasti, commendasti, vel, ut antiqui, per dolum decepisti", quorum et prius perversum est, nec alterum rectum; nam ceteros comparanti Plauti locos, Most. 603: „ne inconciliare quid nos porro postules", Pers. 831: „non inconciliauit, quom te emo", Trin. 136: „inconciliastine eum, qui mandatust tibi?" apparebit potius „molestias exhibere" aut simile quid significare; proprie, credo, „in concilium urgere", id est autem „in angustias".

550. *Et* addidi cum Seyffert. Stud. p. 12, coll. Curc. 683. 657. 673. al.; Müllerus *eum* addiderat. — 551. *Obsecro* Camer. em. — *eloquere* Fl. probante Müllero, Nachtr. p. 3. — 552. *tecum orarem*, v. 492. Aut post h. v. hiatus est in diæresi aut *ei* spondeum facit, ut 523. Fleckeis. ed.: „ut quod potesses ei mali" — 556. Si versus sanus est, ante *hominis* hiatur, v. Proleg. p. 221. Herm. „nam nequam", R. „pol ego", Spengel. p. 330: „perparui". — 557. *potesse*, fieri posse, v. Amph. 169. — 559. *Quid sit* scripsi cum E. Beckero, Studem. Stud. I, p. 200, ut Amph. 1018. 1022. Aul. 288. 543. al. — 561. *Quid* Angelius emendavit, prob. Seyffert. Philol. XXIX p. 392. Ritsch. dactylum et in quarto et in tertio pede non ferens transp.: „tibi non meretricum aliarum erat" cum hiatu in diæresi. — 563. Numerorum defectui consulentes Herm. et Ritsch. „ipse" addiderunt, quod post „tute" abundat; sed etiam orationem misere hiare apparet. Equidem addidi *Eam ut*; Müller., Nachtr. p. 123, in eandem sententiam „Quin". — *mi* Lamb. em. cf. 681. — 565. *prolectas*, provocas. — 566. Pravam orationis distinctionem em. Scaliger, sic scribens: „MN. Quid? amas Bacchidem. PI. Duas etc." Verum dicendum erat: „Quid? nonne Bacchidem amas?" Seyffert., Philol. XXIX, p. 392: „Quin amas Bacchidem", coll. Amph. 355; equidem „*Quia*" scripsi, ut continuetur sententia „Perdidisti me". — *ergo*, vid. ad Amph. 172. — 567. *duas* Seyffert. et Müller. Plaut. Pros. p. 176. — 568. *Postremo*, ut finem altercationi faciamus. — *paruam* Scaliger em. iubente

metro, cf. Ter. Eun. 197. — „*arbitrarier*, adiudicare et tanquam arbiter tribuere", Lamb. cf. Epid. 684: „facto opere arbitramino". — 569. *ted* codd.; errat Müller. Pl. Pr. p. 30.

571. Advenit militis parasitus, ut amicam eius arcessat aut, si ire nolit, pecuniam sibi datam reddat. Viam monstrat puer, qui antea Bacchidem ad sororis ædes comitatus erat. Novæ scenæ in cod. B non solum parasiti persona anteponitur, sed etiam pueri et adulescentis, pueroque uterque codex vss. 579—81 tribuit, quod quoniam parum probamus, indicem personæ mutæ omisimus; Pistoclerus autem v. 581 demum exit. — 571. Ante *hominis* hiatus in cæsura; Herm. R.: „hominis ego sum", Müll.: „Ego sum parasitus". — 574 sq. De scriptura *semul*, quam B et C hic præbent, v. ad Aul. 617. — 575. *dudum*, nuper, v. ad Amph. 654. — *puere* et *illac* Both.; de illa forma v. ad Asin. 379. — 576. Quum plures, inquit, ædes hic sunt, eas, quæ Bacchidis sunt, tu, qui nosti, pulsa. Demonstrativum omissum est, ut Asin. 523. — 577. Pulsavit puer, sed parum fortiter, ut parasito videtur, qui eum vehementer increpat et recedere iubet. *dierecte*, vox Plautina, crux philologorum. Nonius p. 49: „dierecti dicti crucifixi quasi ad diem erecti", quod refutatione non eget. Sed vereor ut rectior sit recentiorum ratio a „dis" et „erigo" derivantium, quasi „dispessis manibus in crucem sublatus" (Mil. 362 et 1398). Salmasius „frustra" inquit „quæritur in Latino solo huius vocis origo et significatio, quæ plane Græca est"; nam dierectus ei videtur διαρρηκτός, quod quo modo defendat, ipse videat, vim autem vocabuli, ut „perditum" significet, assecutus videtur, v. Curc. 244: „lien dierectus". Sæpe: „abi dierectus", i. e. ut pereas, v. Cas. 103. Merc. 181. 744. Poen. 160; tum Most. 838: „abi dierecta". Rud. 1170: „i tu dierecta". Capt. 630: „[i] dierectum, cor meum ac suspende te". Men. 432: „ducit lembum dierectum nauis praedatoria". Varro ap. Non. „Apage in dierectum a domo nostra istam insanitatem!" Ut h. l. Most. 8: „abi dierecte". Poen. 344: „I dierecte in maxumam malam crucem". Utrum vocativus sit an adverbium, ambigi potest. Etiam mensura vocabuli incerta est. Brixius ait duas primas syllabas semper in unam longam contrahi, sed, nisi mutatur scriptura, et h. l. et aliis quibusdam

prima syllaba producitur. H. l. Herm. „Recede tu“ scripsit, Both. R. Fl. „Recedin“. — *propudium*, res pudenda, pro convicio ponitur, v. Curc. 190. Poen. 270. — 578. *tris* scribitur hic et 649, nec rariorem formam abiicere volui, cf. Bücheler. Lat. Declination § 140; „tres“ extat v. 827. — *latum*; panes enim rusticorum hominum interdum tenues erant et late diducti, quales Vergilius describit Moret 48: „Levat opus palmisque suum dilatat in orbem, Et notat impressis æquo discrimine quadris“; cf. Senec. Benef. IV, 29, 2. Mart. IX, 91, 18. Huius generis fuerunt adorea liba, quæ Æneæ sociis pro mensis erant, ceterisque comesis et ipsa ambesa sunt, Æn. VII, 109 sqq. — 579. *Ecquis* etc. Hæc, si codd. sequimur, puer clamat; editores parasito orationem continuant, quippe qui puerum recedere jubeat, ut ipse pulset. Recte; nam parasitum, quia fortius pulsasset, obiurgat Pistoclerus, non puerum. *his* versus causa omisit Scaliger; Müller. „hauscis“ scribi maluit, sed F. Schmidt. docuit, Plauti usum „hisce“ requirere. — 581. *Ecqui* versus causa Ritsch.

582. *qui* quum non intelligeretur, ed. pr. „Quae“; ut Aul. 623; sed syllaba deest. R.: „Quid? quae te ...?“ Mallem saltem: „Quae nam“; sed potius credo ante *qui* excidisse *Pol*. „Pol qui“ dicitur ut „At pol qui“ et „Edepol qui“, de quo v. ad Amph. 698 et 769. — 583. *extentes*, exerceas, cf. Most. 584: „Uenisti huc te extentatum?“ Lucret III, 490: „extentat neruos“. — 586. Si versus integer est, hiatur post *Bacchidem*. Both. R. Fl. „Utramne“. — 587. *Paucis* non cum *misit* iungendum, sed per se intelligendum: breviter dicam. — 589. *Elatea*, Phocidis urbs Menandri aetate satis nobilis, cuius princeps Mnaseas et philosophiæ operam dabat et pictas tabulas ingenti pecunia emebat. — 590. *negato esse ituram* forsitan ferri possit, v. Proleg. p. 198, quamquam multo melior fit versus, si cum Hermanus *esse* deleas. Ritschelius partim Acidalium secutus „negat se“, quod iure improbat Müller. p. 645, coll. Pompon. v. 147: „pater adest; negato esse hic me“. — 591. *Duc te*, vid. ad Amph. 1058. — 592. *At scin quam*, v. ad Amph. 352. — 593. *hercle* priorem corripit, v. Proleg. p. 204. R. et Fl. licentius: „Ne tibi pol haut longe os ab infor-

tuniost". — 594. Minatur se os eius pugnis percussurum et dentes excussurum; itaque pugnos *dentifrangibula* appellat. *meis manibus*, i. e. mearum manuum. *gestiunt*, sc. dentes tuos frangere, cf. Amph. 319. — 595. *mihi cautiost*, mihi cavendum est. — 596. *nucifrangibula* dentes dicit ad similitudinem dentifrangibulorum. *excussit*, excusserit, ut „amissis" infra 1189, al. — 598. *Quid ais tu?* Pistoclerus nihil aliud voluit quam „audi", v. ad Amph. 414; parasitus consulto aliter accipit, quasi verba sua parum audisset. — 599. *integumentum corporis*, i. e. scutum, dicit pro comite. Apud Romanos latus alicuius tegere dicebatur, qui ad lævam eius, qua scutum gerebant armati, incedebat, v. Horat Sat. II. 5, 18. Sueton. Claud. 24. — 600. *tam integumentum improbumst*, em. Both. De ordine verborum v. ad Amph. 721. Gertzius voluit: „cui tu integumentum, improbe, es", propius a codd., sed minus Plautinum. — 601. *Sufflatus*, ira inflatus. Cas. 558: „Nescio quid se sufflauit uxori suae. — *Diruptum*, cf. Cas. 303. Responsio aptissima, nam quo magis inflatus erat, eo facilius rumperetur. — 602. *Num* em. D, nisi forte ita etiam in C fuit, ubi „nc e corr." V. ad Amph. 538. — 603. *Et*, v. ad Aul. 169. — 604 sqq. Pistoclerus secum, postquam abiit parasitus. — *nunc* versus causa del. Both. R. Fl. — *deuenit* em. Gertzius.

---

610. Mnesilochi canticum ad cod. B exigendum est, qui solus versus descriptos habet, unde quamvis Ritschelius se profectum esse dicat, tamen in multis rebus longe discessit. Quæ quoniam non aliter afferri possunt, quam ut totus locus describatur, apud ipsum legantur. Incipit autem canticum, ut videtur, a tribus octonariis trochaicis, quamquam tertius anapæstis abundat; hos sequitur septenarius trochaicus. Aliter describunt Spengel p. 159 et Müller. Pros. p. 352. — Mnesilochus levitatem suam accusat, quod repentina ira excitatus, nullo tempore ad considerandum sumpto, et in amicum iniustus fuerit et amicæ sibique omnem spem ademerit. *Petulantia* et *protęruitas* eius est, qui præcipitem se proripit, cf. Ter. Heaut. 723: „Satis pol proterue me Syri promissa huc induxerunt", quæ Ruhnkenius recte enarrat:

temere, inconsiderate. Codicum errori „propteruo“ (quod etiam Trucul. 255 in A et C legitur, Amph. 830 in D, quum Rud. 414 uterque codex veram formam servet) patrocinari conantur Bergk. in Annal. philol. IC, p. 479 et Löwe in Act. Lips. II, p. 468 sq., Prodrom. gloss. p. 356, quasi verum etymon invenissent glossarii προπετὴς enarrantes. — *incogitatus* hoc loco *animus* dicitur, non factum. Activa vi etiam Lampridius Alex. Sever. 16: „Dato spatio ad disquirendum cogitandumque, ne incogitati dicere cogerentur“. — 612. *Incredibilis*, item active, qui nulli credere audet, cf. Madv. Gr. Latin. 185, not. 1. — 613. *Maleuolente ingenio natus*, i. e. natura malevolus. Quod Meursius, Gronovius aliique commendaverant, „genio“, Fl. recepit, sed nec ex genio nascitur homo, nec Mnesilochus h. l. fortuam suam, sed se ipse accusat. — *quod uolo ego esse aliis*, i. e. quod mihi esse nolo. Cod. D. et inde B sec. man. „nolo“, quod si verum esset, significaret: tantum malum, quod ne aliis quidem optare ausim; quod et obscurius dictum esset nec ad Plauti mores. — 614 sq. Numeri hi sunt

⏑ — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — — — ⏑ — — —

⏑ — — ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —

616. Duos bacchios excipiunt tres trochæi. Fl. ut bacchiacum tetrametrum faceret, transposuit: „habere aequiust me“. Herm. et Ritsch. ex dubiis codicis B vestigiis: „aequomst“, omisso „magis“, quod vulgaris sermo interdum faciebat, v. Men. 713: „non patiar praeterhac, Quin uidua uiuam, quam tuos mores perferam“. Rud. 684: „Certumst moriri quam hunc pati“. Sall. Catil. 9, 5: „beneficiis quam metu imperium agitabant“. Tacit. Ann. I, 58: „pacem quam bellum probabam“. al. A Livio hanc licentiam abiudicat Madvigius Emend. Liv. p. 80; apud Græcos et in βούλομαι frequens est et alioquin non inaudita, v. Herodot. IX, 26: οὕτω ὦν δίκαιον ἡμέας ἔχειν τὸ ἕτερον κέρας ἤπερ Ἀθηναίους. Philostr. Vit. Soph. II, 1, 6, p. 552: δοκεῖ μοι τὸ ῥῆξαι τὸν Ἰσθμὸν Ποσειδᾶνος δεῖσθαι ἢ ἀνδρός. — 617. tetrameter bacchiacus. *magis* codd.; „magist“ R. Fl., sed vid. ad Amph. 590. — 618 constat ex penthemimere trochaico bis repetito. — 619 dimeter creticus cum penthemimere trochaico. — 620 trimeter creticus. *amens* Herm. emendavit. — 621 et 22 horum

similes. — *prae manu*, in manibus, cf. Ter. Ad. 980: „huic aliquid paulum præ manu dederis, unde utatur". Apul. Met. VI, 18: ɛss si forte præ manu non fuerit". Digest. XIII, 7, 27: „Petenti mutuam pecuniam creditori, quum præ manu debitor non haberet, species auri dedit". Gell. XIX, 8, 6: „si Gai Cæsaris liber præ manibus est, promi iubeas".

623 dimeter bacchiacus cum pæone primo. Sequuntur choriambici et anapæstici numeri, 624—25

— ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —

— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ —

624. Fleckeis. Exercit. Plaut. p. 19 et Ritsch. ut trochaicum versum facerent, et alia mutarunt, et: „di meliora faxint". — *Quid fit?* interdum eius est, qui quærit, quid eius, quod fieri debeat, effectum sit, ut infra 771. 874. Cist. 602; interdum nihil aliud significat quam: quid agis? cf. Merc. 280. Epid. 392. — 625. *Non taces?* vetat eum tam tristibus verbis uti, cf. ad Amph. 693. — 626 trochaicus octonarius, cf. Studem. Cant. p. 14. Ritsch.: „acria atque acerba nunc". — 627 trochaicus septenarius. — 628—30. Trochaici numeri continuari videntur, ac, si ante *habeam* hiatum esse statuas, eaque verba addas, quæ aliis de causis necessaria videntur, septenarium et octonarium cum septenario sic constituere possis:

PI. Eia, bonum habe animum. MN. Unde habeam? Mortuus pluris pretist
Quam ego sum. PI. Militis parasitus, modo *qui* uenerat petere aurum hinc,
Eum ego meis dictis malis his foribus atque hac *semita* Reppuli.

pluris pretii etiam Varro R. R. I, 7, 4: „ut plus reddant musti et olei et pluris pretii". — 629. *qui* addit Kiessling., Mus. Rhen. XXIII, 423. — *uenerat*, plusquamperfectum pro perfecto, v. ad Amph. 379. — 630. Ultimam vocem excidisse vidit R., qui „muliere" supplevit; mihi „semita" aptius videtur, v. ad Curc. 287.

631 — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ — — ⏑ — — —

632 — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — — — ⏑ —

633 — ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — — —

634 — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — — —

635 — ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏑ — — — —
636 ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — —
637 ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — — —
638 ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ —

633. *sit* scribendum esse Camerarius intellexit. — *non pollicear.* „Subaudi: sed dem" ait R.; Spengelius, Plaut. p. 160, negationem tollebat, coll. Epid. 327: „si hercle habeam, pollicear lubens". Pers. 46: „si id domi esset mihi, iam pollicerer". — *noui*, cf. Aul. 426. 234. Ritsch. Fl.: „noui tuum, Et nisi ames, nunc tibi fidem habeam tantam quantam maxumam". — 634. *non* sensui contrarium est; dicit enim se ingenium eius ita nosse ut facile credat, eum sibi omnia daturum, sed tum demum se certam eius rei fidem habiturum, si non amaret. Ritsch. „nunc" substituit; mihi aut delendum videtur, ut ex antecedenti versu illatum, aut „hanc" substituendum. — 635 sqq. Hos quoque versus R. Fl. ut trochaicos facerent, varie mutarunt. — 635. „*agitas sat tuarum rerum*, satis negotii ipse habes, satis pro tuis rebus sollicitus es", Gron., cf. Ter. Heaut. 225: „Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum sat agitat". Apul. Met. VIII, 17. Gell. IX, 11, 4: „instruebantur acies a consulibus de vi ac multitudine hostium satagentibus". Asin. 437.

639. Chrysalus, fraude sua pecuniam hero comparatam esse ratus, lætus et gloriabundus incedit. Canticum maximam partem creticis numeris constat; sed a tribus octonariis trochaicis incipere videtur; Müller. Pl. Pros. 95 sq. anapæsticos facit. In primo versu, si recte scribitur, et in diæresi hiatur et *decet*, quamvis sequente st, posteriorem brevem habet; Herm. R. Fl. facilioribus numeris: „statuam statui decet". Chrysalus in significatione nominis sui ludens, se tam pretiosum servum esse ait, ut auri pondus suum pretio æquet, et ut aurea statua sibi poni debeat. — 640. *duplex* posteriore brevi, cf. Proleg. p. 202. Herm. transp.: „feci hodie facinus". R. ex Brixii coni. „duplum". — 641. *ut ego hodie lusi* codd.; R. Fl.: „ita", quod quid sibi velit, non intelligo. Orationis forma eadem est v. 790. — 642 constat ex penthemimere trochaico repetito, ut 618. — 643 tetrameter creticus. — 644 similis 642. — 645, qui in cod. B cum antecedenti iungitur, item, si *cum* non coalescit. —

646—48 cretici tetrametri, quorum duos priores B uno versu comprehendit. *Parmeno* et *Syrus* vulgata servorum nomina. — 649. Creticorum seriem claudit versus ex dipodia trochaica, cretico, penthemimere trochaico compositus. Herm. R. Fl. deleto *aut* versum a duobus creticis incipientem faciunt. Spengelius, Plaut. p. 161, ut nos totum locum ad codices solos exigit. — 650 constat ex hephthemimere trochaico bis repetito. — 651: — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏑ —, tum penthem. troch. R. ut criticos efficeret, tres versus tales refinxit:

Nequius nil quam egens consili seruos est
Nisi is habet multipotens pectus, ut copias
Ubicumque usus siet, pectore promat suo.

consili cod. C. — *nisi habet multipotens pectus;* etiam integras sententias interdum prorsus supervacuas addit Plautina abundantia, cf. Asin. 418 sq. „numquam unam rem licet semel præcipere, quin centiens imperem". ib. 870 et Amph. 900 cum annott. — *pectore expromat* suo. Obiectum facile intelligitur: id quo usus sit. —

652 sq. — — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —
⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ —

frugi, cf. Asin. 174, infra 661. — *tenet*, scit. — 654. R. cum Hermanno duos versus trochaicos facit:

Improbus sit cum improbis,
Harpaget cum furibus.

Nos retento verborum ordine unum septenarium fecimus, nam *cum*, quod per anastrophen ad antecedens trahendum est (v. ad Amph. 234) cum sequenti non coalescit. — *harpaget* v. Aul. 194. *cum furibus* recte Herm.; nihili est enim, quod Spengelius ait, eum ita fures imitari, ut etiam erga fures fur sit. — 655, quem seorsum scripsimus, tale est colon: — — — — ⏑ —. Herm. R. Fl. voc. *furetur* pro glossemate eiecerant; non credo. — 656 tetrameter creticus; Both. R. Fl. *frugi* delerunt. — *uorsipellem*, cf. Amph. 123. — 657, ut 650, constat ex hephthemimere trochaico repetito. — 658 bacchiacus. R. Fl. extremo versui „usque" addunt, ut tetrameter integer sit. Iidem „est" pro *sit*; sed coniunctivum Plautus per attractionem vel assimilationem ad modum enuntiationis primariæ ponit, v. ad Amph.

952 et Aul. 270. Cf. ib. 149. Müller. Nachtr. p. 141 confert Trucul. 233: „Dum habeat, dum amet; ubi nihil habeat, alium quaestum coepiat". Brix. in Annal. philol. CXV, p. 329 Most. 173: „Uirtute formae id euenit, te ut deceat, quidquid habeas". Cf. etiam Amph. 864. 898. Bacch. 655. 726. 764. — 659—63 versus compositi ex dimetro cretico et penthemimere trochaico, v. Proleg. p. 192. — 660. *dempsit . . . reddidit*; accurata ratio coniunctivum postularet, v. Becker in Studem. Stud. I, p. 192, sed vid. ad Amph. 17. — 661. *Herculem fecit ex patre*, i. e. decimam partem ei dedit; nam apud antiquos Romanos moris erat, ut, si cui quæstus aliquis obtigerat, decumam Herculi Victori daret vel, ut antiquorum utamur verbo, polluceret aut profanaret, vid. Stich. 237. 387. Trucul. 559. Macrob. Sat. III, 6, 11. Res etiam ex antiquis titulis nota, ut Sorano Vertuleiorum, Corp. Inscr. I, 1175: „decuma facta poloucta leibereis lubentes donu danunt Herculei maxsume mereto", et Reatino, Corp. Inscr. I, 542: „De decuma victor tibei Lucius Munius donum etc.", quem titulum ad L. Mummium mire referunt.

664—66. Chrysalus herum alloquitur iambico systemate (vel, si hoc mavis, octonario et senario), cuius quod permulti spondei sunt, fortasse consulto gravioribus numeris utitur, ut illudat tristem heri adspectum. Ritsch. iam hinc trochaicos septenarios orsus sic edidit:

Num qui tibi nummi exciderunt, ere, quod sic terram tacens
Optuere? quid nos maestos tristisque esse conspicor?

Spengelius, Plaut. p. 163 codd. sequitur. — 667 trochaicus est versus, si codd. sequimur, septem trochæorum; si cum Acidalio et R. transponimus: „respondetis mihi", septenarius legitimus ut ii, qui sequuntur. — *nec . . . etiam*; similia exempla non suppetunt, sed Latine dici posse non audeo negare; Both. R. Fl. „Etiam quid".

668 suo loco reddidit Camerarius. — 669. *Qui* em. Camer., cf. Ter. Eun. 780: „Qui, malum, alii?" infra 693. Ritsch. „Quid" ed. — *nimio minus multo*, i. e. nimio multo minus, cf. 148. Omittitur comparandi particula „quam", quamvis alterum comparationis membrum non certum numerum indicet,

ut in „plus satis“, quod legitur Epid. 342 et Ter. Heaut. 198. Herm. „ac parum“. R. Fl. „nimis multo minus quam parum“. Brix. Ann. phil. CI, p. 768: nimio nimis multo parum“. — 670. *tu* versus causa addidit Both.; R.: „Quid malum igitur“. — 672. *Sic* (cod. C.) explicatur iis, quæ sequuntur, *digitulis duobus*, et quidem *primoribus*, i. e. extrema digitorum parte; cf. Poen. 569: „Tenetis rem? AD. Uix quidem hercle — ita pauxilla est — digitulis primoribus“. Apud Turpil. v. 31 de pedum digitis. — 673. *nescibas*, Guietus. — Proxima verba sic iungenda: quam raro eiusmodi tempus homini se daret, i. e. offerret, v. ad Amph. 290. — 674. *immersti*, i. e. immersisti, sc. manus aut te. Verbo proprie conveniret adverbium „alte“ aut „profunde“; *ampliter* ad sensum ponitur, quasi „sumpsisti“ positum esset. Hanc adverbii formam et Charis. p. 195 K. et Nonius p. 511 ex Plauto afferunt, v. Casin. 478. Cist. 426. Merc. 98. Stich. 688. — 675. *quam nunc* antepositum, cf. 510. Versus cæsura caret; „med“ em. Bentl. — 676. *Occidi* non minus quam „Perii“ in proximo versu ad Mnesilochum referendum esse censuerunt Dousa, R. alii; quod ideo non probavi, quia et ante h. v. Mnesilochi oratio absoluta videtur, nec *iam* satis aptum sit. Cf. etiam v. 678. — „*praesagitur* pro praesagit“ Nonius p. 476 ex h. l. — 677. *cum ramento*, ne minimo quidem excepto, cf. supra 511. — 678. Charisius p. 209 K: „*Oppido* pro vero vel statim, Plautus in Bacchidibus: reddidi aurum omne oppido“. Rectius enarrasset: „prorsus“, v. ad Aul. 404. *Occisi sumus*, cf. 159. — 680. *propter crimen*, i. e. accusationem Lydi, cf. 627. Ter. Hec. 779: Nam si compererit crimini tua se uxor credidisse, missam iram faciet“. — 681. *Mi* Lamb. em.; R. „Male mi“. — 684. Quum syllaba deesset, Acid. R.: „dedidisti“, Müller.: „de dicto“; Herm. Fl. *tu* addiderunt. — 686. *ergo*, cf. 123. — 688. *aegre inpetraui*, affert Charis. p. 195 K. — *Nunc.* Ne „Sed“ requiras, v. ad Amph. 350. — 689. Post *etiam* hiatus in diæresi; Herm. R. Fl. „tu“ addunt. — 690. „*conglutina*, consue dolos“ Lamb., sed obiectum est „quod lubet“. — 691. *doctum.* Hermannus, quem sequuntur R. Fl., ex v. 1092, indoctum“, verum aliis alia eadem res videtur. — 692. *ecfeceris*, olim emendatum. — 693. „Quam“ verum esse

non potest, nec „qua“ veri similitudinem habet. Scripsi *Qui* ut v. 669. „Quid“ Müller., Nachtr. p. 21. — *manufestum* Gulielmus em., vid. ad Amph. 1045. — 694. Post *si* hiatur; R. Fl. „ego“ addunt. Iidem mox: „nil mihi“. — 695. *Immo*, cf. 205. — *me aduorsum*, mecum colloquens, cf. Ter. Andr. 265: „Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa aut de illa me aduorsum hunc loqui. — *tibi*, i. e. in te, ut male dicere alicui. — 696. *diceres* codd.; edd. „dixeris“. — 699. *Emungam*, decipiam, cf. 1098. Epid. 490. Most. 1091. Ter. Phorm. 682. Horat. A. P. 238. — 699. *Enim nihil* per se non offenderet, v. ad Aul. 492, sed *est* ferri nequit, ac delerunt post Camerarium omnes. Equidem cum Müllero, Nachtr. p. 6, credidi ortum esse ex „enim“, hoc autem vocabulum, quum animadverso errore suprascriptum esset, postea alienum locum occupasse. — 701. *quid refert*, cui usui est? cf. 516. — 704. Post *sumptu* hiatus. Both. et R. transp. „tum sumptu nobis opus est“. — 706. *intendam ballistam*, nota imago, cf. Poen. 201: „Quoi iam infortuni intenta ballista est probe“. Ter. Heaut. 513: „intendenda in senemst fallacia“. — 708. *Recta porta*, i. e. recta per portam, cf. Mil. 331: „recto ostio“. Inutiliter Kiessling. in Symbolis philol. Bonn. ad Ritsch. 840 „Fracta porta“ coniecit. — 710. *Sicut* recte emendavit D. Aberrarunt Acidalius et Hermannus: „Si quoi superat animus“. — 712. *ceram et tabellas*, i. e. ceratas tabellas. Both. R. Fl. „et“ delerunt, vix recte. Sed valde vereor, ne cera significetur ad signandum destinata, ut transponenda verba sint: „Stilum et tabellas, ceram, linum“; cf. infra 744. Pseud. 42: „per ceram et linum“. De *cera* cf. Cic. p. Flacco 16. Ovid. Am. II, 15, 16. Plin. H. N. II, 51, 137; de *lino*, quo obligabantur tabellæ ante quam obsignabantur, cf. Cic. Cat. III, 5, 10: „linum incidimus“; plura Marquardt, Privatalterthümer II, p. 387.

713. Si codd. sequimur, Chrysalus prandium coctum esse narravit, quod ferri non potest. Herm. R. Fl. „esto“ scripserunt, et in antecedentibus „dic“. Mihi Chrysalus interrogare videtur, antecedentia autem *Id mihi dice* eius esse, non Mnesilochi. Quæ quod hoc ordine dicuntur, non, ut alibi, „dic mihi“, vix iure offendit Beckerum in Studem. Stud. I, p. 127,

qui coni: „dic mi. CH. Coctum si erit prandium“. — 715. *Pistoclero* ed. pr.; „Pistoclere“ codd. — 717. *loqueris* codd. Numerorum causa Both. R. Fl.: „loquere. MN. Hoc ut“; sed *ut* pravum est; nec enim de modo, sed de numero agitur. Non dubito quin pro „Hoc ut“ scribendum sit *Quot.* — *biclinium*, quattuor convivis, ut triclinium sex aut pluribus. Vox ad huius similitudinem formata, ut ait Quintilianus I, 5, 68, „ex nostro et peregrino“. — 721. *Euax* unius syllabæ locum tenet. R. extra numeros ponit, Hermannum secutus „Nimis hic bellus“ scribens. — *locus* codd.; R.: „locust“; sed vid. ad Amph. 590.

722. Redit Pistoclerus cum iis rebus, quas afferre iussus erat. *Quae inperauisti*, hæc aut corrupta sunt aut aliquid deest; desideratur enim significatio rei effectæ. Itaque Acidalius coniecturam alius V. D. commendabat: „Em parata“. Mihi veri similius videtur ante hunc versum excidisse alterum, velut: „Em, fallaciarum structor, omnia adporto tibi.“ — 723. Post *iussisti* hiatus, cf. Proll. p. 183. Both. „tute“, R. Fl. „tu me“. — 724. *tu has* ed. pr.; Mnesilochum alloquitur. — 725. *te* addidit Camerarius. — 726. *litteras*, manum. — 727. *uerbis tuis*, i. e. a te, cf. Cas. 250. Mil. 909. 1177. Poen. 404. 1003. Ter. Hec. 720. Cic. ad Attic. XVI, 11 extr. „Atticæ meis verbis savium des“. — 729. *Ne interturba*, hæc Mnesilochus amico, proxima Chrysalo dicit. Ritschelius sine causa illa Chrysalo adscripsit. — 731. *usque quaque*; propter h. v. Charisius p. 223 K. versum affert. — *nec recte*, vid. ad Asin. 154. — 732. *defraudauerim* Camer. versus causa; Lachmannus Lucr. p. 150 „noenum“ pro „non“ maluit. — 733. *Mane*, celerius dictantem admonet. — 734. *Atque idem* codd., unde vulgo edebatur etiam „citus“. Herm. R. Fl. „Haec quidem“ et „cita“; sed fuit *At quidem*, ut Most. 996, cf. supra ad 391. Olim conieceram „Atque equidem“, de quo vid. Comment. Amph. p. 309. — *est ad* pro „em“ Camerarius Pyladem secutus. — 736. Post *te* hiatus; Cam. „ted“ scripsit, Fl. „te id“. — 737. *plane*, cf. Amph. 574. — 739. „*comedim*“ ait Non. p. 83 „pro comedam, Plautus Bacchidibus: quod dem scortis quodque in lustris comedim congreger, pater“. cf. Cic. ad Fam. IX, 20, 3. Plaut. Aul. 422. 664 cum ann. Mox *congraecem* em. Camerarius, i e. Græco

more consumam. Cf. „pergræcari“ infra 808. Most. 21: „Dies noctesque bibite, pergraecamini“. Titin. v. 175: nunc ruri pergraecatur“. Hor. Sat. II, 2, 11: assuetum graecari“. Quibus locis permotus etiam h. l. deponentialem formam ex Nonio adscivi. Eodem auctore copulam omisi, cf. ad Amph. 13. — 741. *Etiam* Both. R. Fl. cum antecedenti Chrysali verbo iungunt, vix recte. — 744. *ceram ae linum*, v. ad 712. — 747. *Quia ita mihi lubet*, codd., ut prima dipodia ex tribrachy et dactylo constet. R. Fl. „Quia lubet ita“. — 748. Se cum redemptore comparat, qui quum sibi confisus suoque periculo rem receperit, ante confectum negotium rationem reddere nolit. — 749. Mnesilochi prima verba esse vidit D. — 751. *ita negotium est*, i. e. ita opus est, cf. Mil. 525. Pseud. 996. Pers. 692. — 752. *ibidem* altera producta, R. Fl. „hic“ addunt. Significatur autem aula domus proxime intra ostium, v. 720. 828. — 753. *Num quid aliud?* interroganti respondetur *Hoc*, i. e. nihil amplius, ut „Istuc“ Aul. 255. Deinde ei in mentem venit, aliquid tamen addendum esse. Post *etiam* hiatus in diæresi; R. „hoc“, Müller. „ibi“ addit. — 756. *Fugiamus* codd.; „Euge eamus“ Camerarius apud Gruterum; sed sic versus iusto longior fit, quare Herm. R. Fl.: „Vos curate vostrum“, omisso *officium*. Hoc omitti non debere recte animadvertit Müller. Pl. Pros. p. 271; nos cum eo simpliciter *Eamus* scripsimus.

757. Postquam abierunt adulescentes, servus secum senariis loquitur. „*Insanum* pro insane, ut immane pro immaniter. Plautus Nervolaria: insanum ualde uterque deamat“, Non. p. 127, cf. Festi Epit. p. 113: „Insanum [magnum] pro ualde magnum usus est Plautus“. Cf. Most. 893: „porticus insanum bona“. Mil. 24: „insanum bene“. (Trin. 673: „insanum malumst“.) — 758. *possiem* B, quæ forma num h. l. poni possit, dubitat Müller., Nachtr. p. 83; ipse „possim id“ proposuit. — 760. Syllaba deest; Cam. „nunc huic“, Herm. Müller.: „huic nunc“, R. „huice“. — 761. Aut aliquid deest, aut hiatur in cæsura et *ubi* alterum producit. R. Fl. „ubi me contra aspexerit“. Müller.: „ubi me primum“. — 762. Post *illum* hiatus in cæsura; Camer. „illunc“. *Uorsabo*, cf. Cist. 95: „Ut ego illum uorsarem!“ Pers. 793: „Quo modo me hodie uorsauisti?“

Cæcil. ap. Cicer. Læl. 26, 99. Similitudo a coquis petita, qui quæ assantur veru versant. — 763. Manet in re coquinaria. *frictum cicer* ex Horat. A. P. 249 notum, „frictas nuces“ Poen. 323.

766. Nicobulus exit, ut voluit Chrysalus, ei vehementer iratus. *magnae* Pylades restituit. *diuidiae*, ægritudini, qua animus quasi in diversas partes trahitur, cf. infra 1030. Cas. 168. Merc. 610. Stich. 24. Trucul. 843. — 770. *Atque*, vid. ad Amph. 948. *Chrysalust* Cam. — 773. *ut* Bentleio suadente delevit Ritsch.; tum ad redintegrandam orationem talem versiculum post 775 excidisse putavit: „Profecto non nunc me operae parsurum meae“. Sed nec repetitum *ut* ullo modo offendit, vid. ad Aul. 785, et, ut ad Amph. 826 docuimus, hæc particula post iurandi verbum per ellipsin quandam ponitur, ita ut nos interpretando reddere non possimus. — 776. *Ferratus*, ferro vinctus. — 779. *Sacer*, scelestus et detestabilis, ut ait Nonius p. 397, coll. Turpil. v. 25: „pessume ac sacerrume“. Poen. 89: „homini — si leno est homo — quantum hominum terra sustinet, sacerrumo“. add. Most. 967. Rud. 158. — *Specta rem*, cf. Ter. Heaut. 1023: „rem quum uideas, censeas“. — 780. *nullum* Herm. R. Fl. addiderunt, quum olim intellectum esset negationem desiderari. — 782. *has* Fl. Müller. Schmidt. pron. demonst. p. 25. R. „hasce tabulas“ ediderat. — 784. *Nosce signum*, vid. ad Amph. 780. infra 981. — — 786. *Scio* iniuria suspectum Brixio Ann. phil. CI, p. 768 sq., qui „Nisi“ volebat. — 787 sq. Dum herus epistolam legit, Chrysalus secum gaudet, quod iam captus sit. Dolum autem suum cum *transenna* aucupis comparat. Is laqueus est ita comparatus, ut quum turdus cibum ibi positum tetigerit, statim captus pendeat, cf. Pers. 481: „Hunc hominem ego hodie in transennam doctis deducam dolis“. Rud. 1235 sqq.: „in aetate hominum plurimae Fiunt transennae, ubi decipiuntur dolis. Atque edepol in eas plerumque esca inponitur, Quam si quis auidus poscit escam auariter, Decipitur in transenna auaritia sua“. Ceterum Plautini codd. ubique formam „trasenna“ præbere videntur, „transenna“ Nonius ceteriique auctores. — *lumbricus* (cf. Aul. 620) vermis est pro cibo appositus. — „*Tenus*“ ait Nonius p. 6 „est laqueus, dictus a tendicula“,

hunc locum laudans, ut inde emendare potuerit ed. pr. — 789. „Senex lectis filii litteris domum ingreditur, ut servos evocet, qui Chrysalum vinciant, quemadmodum erat in litteris scriptum“ L. *exeo ad te*, hoc ordine Guietus. — 790. *ut nescio*, i. e. ut nescire me arbitratur! Non intellexit Becker. in Studem. Stud. I, p. 261 corrigens: „At scio quam rem gerat“. — 792. *Bene nauis agitatur*. Numeri duriores sunt, aut enim versus a proceleusmatico et anapæsto incipit aut *nauis* in unam syllabam contrahitur, de qua re v. Proleg. p. 214. Hermannus coniecit „agitur“, verum non de recto navis cursu est sermo, sed de vehementi et turbido motu sive remis (Nep. Dio. 9, 2) sive venti et fluctuum vi effecto. Cum naui enim senem comparat, cum rate se ipsum, navique sic agitatæ ait *pulcre conferri*, i. e. admoveri, ratem. *Rates* autem, ut Varro L. L. VII, 23 testatur, et Nævius et Pacuvius „navis longas“ dixerunt. Est igitur h. l. idem, quod supra 277 sqq. lembus, prædatoria navicula, quæ onerariam aggreditur.

794. Redit Nicobulus cum lorariis, quorum principem *Artamona* alloquitur. Huius nomen ex re ductum est, nam ἄρταμος lanio est. Post *illi* hiatus in cæsura. R. „illic“. — 798. Versus pede brevior, ut aliquid excidisse appareat. Pylades voc. „male“ ex proximo versu huc retraxit utriusque vitiatis numeris; melius Ritsch. „scelus“ post „tu“ addidit; sed etiam alia cogitari possunt, velut: „loquitatusne es dudum“. — 799. *per sermonem*, inter colloquendum. — 801. Post *sycophantiam* hiatus; Herm. R. Fl. transp. „dixi istuc“, Müller. „Egon ei istuc“. — 804. *Em*, i. e. en, v. ad Amph. 771. Both. R. Fl. „En“ reposuerunt hiatus vitandi causa. — *Aha*, quod codd. extremo versui adiungunt, Both. Hermann. R. Fl. in principio proximi posuerunt (cf. „Euax“ v. 721) ita ut „Ah“ scriberent, et omitterent voc. *iam*. Equidem interiectionem aut deleverim aut extra numeros pronuntiaverim. — 805. *Bellerophontem* se factum esse dicit, quem fabulæ narrabant a Proeto Corinthio in Lyciam Iobatæ regi epistolam attulisse, in qua essent, propter quæ se interimeret, v. Hom. Il. 6, 168 sq. *Πέμπε δέ μιν Λυκίηνδε, πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλὰ*. Ex Plautionrum codd. scriptura Ritsch., Priscæ

Latinitatis Mon. epigr. p. 16, formam Bellorophantem commendat, levi sane testimonio usus. — 806. *Sine*, vid. ad Asin. 893. — 808. *pergraecetur*, v. ad 739. — 809 sq. *uenire*. Senem, qui decipitur, cum servo venali comparat, cf. infra 972. Mil. 581. Mancipia, quæ sub hasta vendebantur, ut quodque veniebat, *in lapide* stabant, quem Græci πρατῆρα λίθον dicebant, vid. Polluc. III, 78 et 126; vulgo catasta dicebatur. Cic. in Pison. 15, 35: „duos de lapide emptos tribunos". Colum. III, 3, 8: „de lapide noxium posse comparari". *Præconis* vox talis esse potuit: Iam Syrus venibit atque in ipso lapide adstat. Ritsch. recte *eopse* scripsit pro „eo ipso", quod sensu caret. — 812. *di diligunt* Pylades. Versus ex Menandro expressus, vid. supra p. 369. — 813. Nicobulo ait melius fuisse, si ante decem, immo ante viginti annos mortuus esset. — 815. Versus iusto brevior; excidit aliquid. R. Fl. „iam pridem ambulat"; Gertz: „iam diu", quod facilius excidere potuit; Bergk. Beitr. I, p. 100: „stolidus ambulat". — *iam* codd. recte; R. Fl. ex Scioppii coni. „tam"; verum non ideo terræ odium dicitur, quia nihil sapit. — 816. *fungus*, cf. ad 280. — 819. Post *aurum* hiatus. Müller. „At pol qui". — 824. *adeo*, v. ad Amph. 464. — *scelerum caput*, v. ad Curc. 234. — 825. *meus Mnesilochus filius*, v. ad Amph. 1093. — 827. *Tres unos passus*, i. e. solos, cf. Cist. 564: „Crepundia una". Pseud. 54: „nunc unae quinque remorantur minae". — 828. *pausillulum* R. Pyladem secutus; *crepet* Angelius em. — 829. *Sat est.* Artamoni imperat, ne latius aperiat portam. R., ne omnes pedes duarum syllabarum sint, „nunc" post „huc" addit. — 833. *Admodum* affirmat, cf. infra 1108. Pseud. 1151. Rud. 1081. Ter. Phorm. 315. Hec. 458. Cic. Leg. III, 11, 26: „Scis solere in huiusmodi sermone, ut transiri alio possit, dici „admodum" aut „prorsus ita est". — 835. *Frustra es*, falleris, v. Amph. 967. — *Inueneris*, ipse invenies, cf. 770. Aul. 562.

837. Cleomachus miles iratus advenit, a parasito certior factus Bacchidem retineri. — 838. *mulierem* non uxorem solum, sed etiam concubinam dici constat, v. Hor. Sat. II, 5, 70. — *factio*, faciendi ratio, cf. Rud. 1371. — 843. *exanimalem*, anima orbatum. Rud. 221 transitivo sensu „curae

exanimales". — 844. *exheredem* non patrimonii, sed vitæ facit, qui aliquem vita privat; „bonis exheredem facere" legitur Most 229, cf. „heres" Men. 466. — 845. *minatur* codd., „minitatur" Camer. Fl. — 846. *quicum* Fl., vulgo „quacum" — 847. Ante *obsecro* hiatur, cf. 723. Pylad. R. Fl. „Nuptane est"; Camer. „Nupta est illane". — 851. *sit* cum Fl. scripsi. R. cum Herm. „ego" omisit. — 855. *ambo ut necem*; cf. 913. „Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumque corpus interficiat, sine fraude sit", lex ait controversiæ quartæ Senecæ suprascripta. Itaque et Draconis legibus sanctum erat (Paus. IX, 36, 8) et antiquis Romanorum institutis, vid. Cato ap. Gell. X, 23, 5. Hor. Sat. II, 7, 62. Sed plerumque pecunia transigebatur, cf. Demosth. in Neæram 41 et 65. Quod autem proprie in uxorem iuris erat, id etiam in concubinam transferebatur, quæ uxoris loco erat. — 859. *faxo dicat.* Herm. „dicet", vid. ad Amph. 351. — 861. *Potes.* Fl. „Potis", et mox „Pacisce" cum Both. R., activa forma, quam ex Nævio affert Nonius p. 474, quæ quod etiam v. 866 in B m. pr. legitur, incuriæ librarii tribuendum videtur. — *ergo* priorem corripit, v. Proll. p. 204. — *quod* Lamb. em.; Acidal. „quo vel qui", et 866 „quiuis". Verum Plautus utrumque dixit, et pascisci pretio aliquo rem (v. 860, 865, 874) et pretium pacisci (861 et 66), quod apud posteriores mansit. — 864. *exsorbebo oppido*, prorsus hauriam. — 865. *Em, illoc paciscere, si* codd.; R. „Cum illoc pacisce, si", et hæc verba Nicobulo tribuit, credo quia Chrysalo post v. 861 non conveniunt; sed ne Nicobulo quidem conveniunt. Gertzius recte emendavit: „illoc pascisci rem potes", cf. v. 874. — 870. *Atque ut* etc. Novam condicionem addit, ut sibi liceat ei vehementer maledicere. Pseud. 359: „Ingere mala multa". Asin. 918. Ter. Andr. 640. — 871. *Ut subblanditur carnufex!* Nicobulo sic videtur, quum verba eius non audiat. Ritsch. Acidalium secutus hæc Chrysalo tribuit quasi secum de milite loquenti, male. — 873. *uerbum* i. e. verborum, ut legitur Capt. 125; cf. Rud. 866: „In iure causam dicito; hic uerbum sat est". Truc. 634: „Sequere me hac; uerbum sat est". — 874. *Quid fit?* v. ad 624. — *Uah* interiectio mirantis aut abhorrentis est, cf. Most. 629; huic loco *Ah*

convenit, quod respirantis et gaudentis est, v. Curc. 131. Trucul. 365: „Ah, aspersisti aquam“. Quo restituto etiam numeri restituuntur. R. Acidalium secutus „rem“ delevit, Herm. „uaha“ scripsit, „salus“ autem in proximum versum transtulit deleto voc. „Mea“, in quo Ritschelium sequentem habuit; male; nam *salus mea* ab sene appellatur Chrysalus, ut Rud. 247 Palæstra „Spes mea“. — 875. *seruauisti* olim editum versus causa. — 876. Chrysalus prius militem, tum senem alloquitur. — 878. *responde*, hæsitantem impellit. — 880. *quid* Camer. — 882. *at* Acidalius em., ac sic legerat Festus p. 161, apud quem huius loci lacera fragmenta extant

. . . chedem ad nob . . .
. . . te reddam u . . .
. . . rem soricina . . ., i. e.
Si tibi ma]chæra est, at nobis . . .
Qua quidem]te reddam, ubi tu . . .
Confossio]rem soricina . . .

R. „Tibi sist machæra“; si offendunt numeri, malim verbum substantivum omittere. — *ueruina*, i. e. ueru, recte Pylades invenisse videtur. — 884. *soricina nenia* est eiulatio soricis deprensi, qua nihil audiri potest miserius vel, ut Plauti ætate aliquis dixerat, *confossius*; nam facili hypallage vox animalis tam acuta tamque penetrans et ipsa confossa dicitur. Comicus servus id sectatur, quod nemo expectat. — 888. Numerorum causa Guietus, Herm., R. transp.: „Spes Latona“; quamquam Spes ab Ope develli vix debet. Fortasse *Lato* fuit, ut Varro ap. Gell. XIII, 23, 4: „Te Anna ac Peranna, Panda te, Lato, Pales“. — *Opis* recte C; Fest. Ep. p. 187: „Opis dicta est coniux Saturni etc.“ — 889. *Polluces*. Varro L. L, V, 73: „in Latinis litteris veteribus inscribitur ... Polluces, non ut nunc Pollux“. POLOCES est in specula Prænestina, Mülleri Denkm. a. K. I, n. 310. Corp. Inscr. Lat. I, 55. — 890. *Summanus* recte scribitur Curc. 413 sqq. „Sub manus“ forma pravæ grammatici alicuius doctrinæ debetur. Deus est antiquus Romanorum, cuius inter ceteros simulacrum fictile fuit in fastigio ædis Capitolini, v. Cic. Divin. I, 10. T. Tatium aram dedicasse Vulcano et Summano testatur Varro L. L. V, 74. Vulcani et Summani

ædem commemorat Livius XXXII, 29. Nocturna fulgura Summani, diurna Iovis habita esse, Festus p. 229. — 892. *auscultatur* codd., qui error ostendit scriptum fuisse *ausculatur*, de qua forma v. Fest. Ep. p. 28. Priscian I, 52. Extat eadem in palimpsesto Ambrosiano Plaut. Mil. 392. 393. 403, in omnibus codd. Merc. 562. 566. 733. — *neque illud quod dici solet.* Lamb. enarrat: „neque subigit; verbum turpe tacuit". Verum si dici solet, cur tacet? Immo scribendum erat „neque quod non dici solet". Facilius corrigitur: „neque illud quod fieri solet". — 895. Post *arcem* hiatus in cæsura. Herm. R. Fl. „hinc" addunt. Athenarum ἀκρόπολις significatur, *ædes* autem ὁ Παρθενών magnificentia et arte celeberrima, imprimis Deæ simulacro, quod Phidias ex auro et ebore fecit. — 896. *estne ibi*, vid. ad Amph. 17; coniunctivum requirunt et Fuhrmann. Annal. phil. CV, p. 825, qui „i, uide sitne ibi" coniicit, et Becker. in Studem. Stud. I, 206, qui: „uise sitne ibi". — 897 sq. Cleomachus ad has nugas non respondet, nec aliud agit, quam ut pecuniam accipiat. Quare ad forum se iturum et hoc ipso die aurum sibi promissum exacturum dicit, cf. 1057; quamquam posteriorem sententiam plerique interrogativam faciunt. — *tu* versus causa R. aliique addiderunt. — 899. *Ne* causam indicat, cur antecedentia dixerit. Deesse aliquid apparet. R. Hermannum secutus: „Ne supplicare, homo nihili, tibi nos censeas". Malim propius a codd. aut unum *nos* addere, aut: „Ne supplicari censeas tibi, nihili homo". — 900. *per* in iurandi formulis sæpe interposito pronomine ab eo, quod regit, ut h. l. *deos*, divellitur, cf. Men. 969: „Per ego uobis deos atque homines dico". Ter. Andr. 538. 834. Verg. Æn. X, 369. 597. Liv. XXIX, 18, 9: „per vos fidem vestram, patres conscripti". — 902. Post *intro* hiatus, cf. Trin. 10: „Sed ea huc quid intro ierit inpulsu meo". Quod quum fieri posse negaret Ritsch., Prol. Trin. p. CLX „Quid eo nam" scripsit. — 903. *sic facta*, hoc ordine Camerarius versu iubente; cf. ad Amph. 290; *sic* enim vulgari abundantia repetitur verbis *ad hunc modum*, cf. Cas. 594: „Quoi sic tot amanti obuiam eueniunt morae". Herm. R. Fl. „hic" corrigunt, inutiliter. — 905. *in eum dicere*, ei

male dicere. — 907. *Clinias* et *Demetrius* personae esse fabulae videntur omnibus notae.

908. Dum Chrysalus Mnesilochum convenit, senex secum de eo loquitur. Cum *lippo oculo* eum comparat, quem qui non habet, non desiderat, qui habet, temperare non potest quin semper tangat, cf. Pers. 10 sq.: „Ego nec lubenter seruio neque satis sum ero ex sententia; Sed quasi lippo oculo me erus meus manum abstinere haud quit tamen, Quin mihi inperet". Nicobulus se quoque, quamvis opera Chrysali usus sit, tamen tali servo carere malle non negat. — *illic* hiatus vitandi causa olim emendatum. — 909. *nolis*, v. Madv. Gr. Lat. 350 b not. 1. — 911. *forte fortuna*, cf. Ter. Eun. 134. 568. — 915 sq. *non . . . etiam*, nondum tamen. — 918. *has*, tabellas a filio datas; his demum credet. Cf. Curc. 551. Hoc ut faciat, paulisper domum suam concedit. — 929. *consignatis*, signo et nomine scribentis munitis, ut apparet ex v. 930.

920. Chrysalus postquam omnia hero narravit, revertitur gaudii plenus et propter ea, quae iam effecit, et spe plura auferendi, iambicisque octonariis et suam virtutem praedicat et senis stoliditatem ridet. In B titulus et eius et Nicobuli nomen habet et cum hoc soliloquio proximum colloquium iungitur, ut 571; nos cum Ritschelio duas scenas facere maluimus. Servus maiores res se gessisse gloriatur quam Agamemnonem et Menelaum Troia capta, senisque calamitatem quasi Troiae excidium ridicula nenia deplorat accuratam senis decepti cum Troia eversa comparationem instituens. *Atridae*, Pylades em. — 921. *diuina moenitum manu*, Neptuni et Apollinis, v. Iliad. 7, 452. — 923. *Cum mille* transposui versus causa; idem antiquo cuidam editori in mentem venit; est autem: „cum numero mille nauium". Camerar. „Millenum" vocabulo admodum dubio; R. Fl. Beckerum secuti: „Et mille". — 924. *termento* legendum esse et alii intellexerunt et Lambinus ex Festo, p. 363: „Termentum pro eo, quod nunc dicitur detrimentum; utitur Plautus in Bacchidibus". Derivandum igitur a terendo. Pro corrupto *pedibus* ed. pr. adoptavit, quod in codd. suprascriptum est, „Pelides", idque vulgo secuti sunt, quamvis et numeris refragetur et historiae, nec enim Achilles Troiam expugnavit. Kampmannus „peius" coniecit, quod ita

recepit Ritsch., ut etiam ex corruptela codicis C „termento ruit“ scriberet, quod nihil est, quum rectissime dicatur *termento fuit*, i. e. ruinæ aut excidio fuit, nec *praeut* comparativum sequi soleat, v. ad Amph. 370. Immo alia tentanda sunt velut: „Non equos iis termento fuit“, aut: „Nemo ibus termento fuit“, ut „ibus“ *κατὰ σύνεσιν* ad Troianos referatur, aut: „Non proinde id termento fuit“; proinde est enim idem quod perinde, v. Stich. 104. Amph. 953. Ter. Phorm. 382. Hec. 218. Gertzius proposuit: „Non Phrygibus termentum fuit“. Ceterum in huius versus exitu interpungendum est, non, ut vulgo faciunt, in proximi. — 927. Post *quam* hiatus; R.: „huc prius quam“, Müller „hic“ addit post „huc“. — 928. Pro *Priame* „Perame“ allitterationis causa commendat Fleckeis. Ann. phil. CIII, p. 8, not. — 929. *multabere* recte D; nam quid sit pecunia mulcare aliquem, nemo dum explicavit. — *quadringentis* alteram corripit, cf. 969. Proleg. p. 203. Schneider. et Ritsch. „quadrigentis“ scribunt. Ad numerum quod attinet, ducentos Nicobulus militi promisit, alteros ducentos nova epistola Chrysalus auferet. — 930. „Nam hæ“ inquit „tabellæ, quas fero, non sunt tabellæ, sed equus ille ligneus“. De attractione demonstrativi ad relativum vid. ad Amph. 1002. — *consignatas*, v. ad 919. — 932. *Epius*, doli fabricator, ut Verg. Æn. II, 264. — 933. Tryphiodor. v. 498 sq. *Αὐτίκα δ' Ἀργείοισιν Ἀχιλλῆος παρὰ τύμβον Ἀγγελίην ἀνέφαινε Σίνων εὐφεγγεῖ δαλῷ.* — 934. Aut post *secum* aut post *olim* hiatur; Ritsch. Pyladem secutus „ut“ addidit. — 935. *Nunc* Guietus restituit. „Sino“ ait „olim ignem habuit, quo signum daret; nunc ignis habentem ipsum urit; nam Bacchis ignis est“. — 936. Hiatus vitandi causa R. cum Guieto transp.: „hoc insunt in equo“; Büchel. „equod“; sed desiderari aliquid videtur. Müller., Nachtr. 123 sq. „[multi] milites“. Luchs. in Herm. VIII, 124: „hoc in equo [quæ] insunt, [sunt] milites“; equidem *tot* ante *hoc* excidisse credo. — 937. *mi usque* Both. restituit. — 938. *arcam* pecuniæ, quales etiam nunc in cavædiis Pompeianis inveniuntur, cf. Marquardt. Privatalterth. I, p. 245. — 939. *Exitium excidium*, hoc ordine A. *exlecebra* etiam in A lectum, quæ pecuniam elicit, cf. Men. 370: „ita sunt hic meretrices, omnes elecebrae argentariae“ — 941. *sum* addidi cum Hermanno et Müllero

magis orationis quam hiatus causa, quem post nomen proprium etiam Ritsch. Opusc. II, p. 498 defendit. — *Lartius* A, teste Geppertio, Stud. II, p. 34, i. e. Laertius, sive Laertis filius, v. Proleg. 216. Fragm. tragici incerti apud Quintil. VI, 3, 96: „Nisi si qua Ulixes rate evasit Lartius". Formam „Lertius" prætulit Fleckeis., qui Ann. phil. XCIII, p. 8, partim Ritschelium secutus, hanc censet antiquam huius versus formam fuisse: „Miles Menelauost, ego Agamemino: idem Ulixes Lertius". Mihi „Lartius" magis probatur, vel propter Soph. Ai. I: Ἀεί μεν, ὦ παῖ Λαρτίου. — 942. *Mnesilochus est* h. l. non solum ut in antecedenti („Menelaus est") B et C, sed etiam A, quod in textu retineri oportuit. — *exitio* A. — 943. *Is* C. D., „His" B. „Si" in A merus error est; *auexit* in A legit Gepp. p. 35. — *quoia causa*, v. ad Curc. 229. — 944. *Nam* refertur ad v. 941. — *illi itidem* Both., idemque in A esse Ritschelio visum est. *Ulixem audiui* A. — 945. Versum dedi ut in A esse dicitur; sed prima vox *Dolis* corrupta videtur. Lambinus „In dolis" coni., ad sensum recte; Acidalius, quem sequitur Ritsch., „Doli", iure improbante Müllero, Pl. Pros. p. 172. Requiri videtur aliquid, cui opponatur in proximis „mendicans"; num „Fallens?" — *ille mendicans* cett., i. e. mendicans inventus pæne interiit. De chiasmo ordinis v. ad Amph. 290. — *interiit* ultimas duas contrahit, v. Proleg. p. 212. — De Ulixe rem narrat Homerus Od. IV, 242 sqq., eum speculandi causa in urbem Troianorum introisse mendici hominis habitu, sed ab Helena tamen agnitum esse. Addunt tragici, ut Euripides, Hecub. 243 sqq., Helenam cum Hecuba rem communicasse, et Ulixem in extremum periculum adductum humillimis precibus Hecubam, ut se servaret, exorasse, cf. infra 958. — 946, ut et in A et in ceteris scribitur, septenarius trochaicus est. Octonarium restituit Gulielmus pro *illorum* scribens „Iliorum", sed pluralis numerus quid sibi velit, non intelligo. *fata* recte A et C, quamquam Ritsch. ex B „facta" recepit. Non facta sed res et condicio Troianorum exploranda erant, ut sciretur, utrum satis ad bellum continuandum sufficerent an non, vel utrum fata eorum ad exitum vergerent necne. — 947. *Uinctus sum*, me vinxerunt. Fl. „Uinctus fui". *me*, quod iam Pylades addiderat, in A legitur. *item se ille* et

A et ceteri. Herm. R. Fl. „item ille se“. Equidem malum septenarium pro spurio habuerim. — 948. Novum quasi caput orationis ordiens a trochaicis numeris incipit, sed post tres octonarios cum septenario iambici octonarii redeunt. — *forent* B et C. Ritsch. ex A „fuere“, contra rationem. Idem in proximo versu „alterum autemst“. Nec sane placet *etiam* pro tum aut porro positum; sed magis offendit *est*, pro quo necessario postulatur *fuit*; quod substituere ausus sum. Troiæ ait *tria fuisse fata*, i. e. tria tempora fatalia vel pericula, quæ si evitare potuisset, capta non esset. Primum expugnari non posse, quamdiu antiquum Minervæ simulacrum, Palladium, in arce servaretur, quod Ulixes et Diomedes furto abstulerunt; tum quam diu Troilus minimus natu filiorum Priami inter vivos esset, quem oppressit et occidit Achilles; denique, quamdiu moenia illa deorum manibus facta integra starent, quæ Troiani ipsi, ut ligneum equum in urbem reciperent, diruerunt. Eadem fata Servius commemorat ad Æn. II, 13 et 214, qui quum etiam Plautini loci mentionem faciat, limen quoque superum portæ nominat, in eoque addit sepulcrum Laomedontis fuisse, quæ posteriorum grammaticorum hariolatio fuisse videtur. Is autem quum „Scæam“ portam dixisset, edd. inde a primo „portae Scaeae“ ediderunt, dum Ritsch. codicum scripturam reduxit: *portae Phrygiae*. — *Troili mors*, quam et poetæ canebant et artifices sæpe pingebant, v. Overbeck, Bildwerke zum Thebischen u. Troischen Heldenkreis, p. 338 sqq. — 951. Pro *eis* Geppert. p. 37 „illis“ ex vestigiis Ambrosiani. — *nostro* Meursius em. — 953. *ibi* tempus significat, cf. 957. Amph. 246. — 954. *tunc* A. — 955. *detuli* codd.; „tetuli“ Acidalius, ut 806; sed conf. Poen. 784: „qui ad te trecentos modo Philippos detulit“. al. Tum Herm. „ego“ addit post „ibi“; utrumque R. Fl. sequuntur. — 957. *adsimulo, Ulixem ut prædicant*, i. e. comparo cum periculo Ulixis, quem prædicant; dure et *ἀναχολούθως*. Cf. Ter. Phorm. 53: „Conueniet numerus, quantum debui“. — 958 sq. trochaici septenarii sunt, quos, quoniam præter metrum nihil offendit, incuria quadam Plautum immiscuisse crediderim; cf. Amph. 1080 sq. Ritschelius Acidalium et Pyladem secutus sic iambos continuavit: „Ab Helena cognitum ..... Blanditiis ab illa exemit ...“; Seyffert. autem: „set ut

illim ille se Blanditiis exemit et ei persuasit, se ut amitteret." — 960. *extuli* Dissaldeus em. — Tertium fatum, limen scissum, nondum commemorat, huic alteram, quam Nicobulo portaturus est, epistolam comparat v. 982. — 961. *Post* Acidalius em. — *magnifico*, cf. Asin. 348, ironice dicitur, ut proxima significant, cf. Mil. 1049: „urbicape". Theophr. Char. 8 extr. *οἱ πόλεις τῷ λόγῳ κατὰ κράτος αἱροῦντες.* — 962. *Conflixi* ed. pr. — 963. Versus a proceleusmatico incipit. *adeo*, v. ad Amph. 464. — 964 sq. Trochaicus septenarius cum dimetro iambico. Talem clausulam Ritsch. non ferens in priore versu „Cepi ab eo spolia" scripsit, alterius posteriorem partem excidisse putavit. — 966 sq. iambicus octonarius hypermeter cum trochaico septenario, i. e. duo octonarii iambici systematis modo iuncti, v. Proleg. p. 186. Müller., Nachtr. 69, „altris" scripto troch. octonarium cum septenario facit. — Notum est imperatores Romanos triumphantes pecuniam militibus dividere solitos esse, velut Africanus ille a. 201 „militibus ex præda quadringenos æris divisit" (Liv. XXX. 45, 3), Cornelius et Minucius a. 197 septuagenos, Marcellus proximo anno octogenos (Liv. XXXIII, 23 et 37), al. *mulsum*, vinum mellitum, in hac re commemoratur infra 1071. Liv. XXXVIII, 55, 2. — 968 sq. Priamus quinquaginta filios amisit. Nicobulus quadringentos Philippos. *quadringentos* v. 929. — *lecti* nummi sunt electi, *sine probro* probi, quibus nihil abrasum, cf. Pseud. 1147: „hic sunt quinque argenti lectae numeratae minae" Ter. Phorm. 53: „Accipe; en, lectumst. — *atque equidem*, vid. ad Amph. 757; posterius delerunt Herm. R. Fl.; non opus. — 970. *contruncabo*, cf. Stich. 554. *duobus ictibus*, duabus epistolis Mnesilochi. — 971. *coemptionalem* duas primas syllabas contrahit, v. Proleg. p. 216, ac scribendo etiam contraxerunt codd. „Venire" pro decipi iam supra legimus. Chrysalus autem herum suum venditurus addit senem esse minimi pretii, qui per se vix emptorem inventurus sit, nisi simul cum aliis mancipiis aliisque rebus vendibilibus hastæ subiiciatur. Tales servi, qui simul emendi erant, *coemptionales* dici intellexit Gronovius. Cf. Curius ad Ciceronem (Fam. XII, 29, 1): „Sum enim *χρήσει μὲν* tuus, *κτήσει δὲ* Attici nostri; ergo fructus est tuus, mancipium illius, quod quidem si inter senes coemptionales proscripserit, egerit non

multum". Verum huc non pertinet locus Ciceronis pro Murena 12, 27 de senibus ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum causa repertis, qua de re vid. Savigny, Zeitschrift für geschichtl. Rechtswissenschaft II, p. 396 sq.

974. Colloquium heri et servi et ipsum canticum est, sed maximam partem trochaicis octonariis compositum. Primus tamen versus septem trochæorum est. Hermannus ultimum pedem excidisse putabat; Ritsch. „CH. Euge" supplevit, parum feliciter. Sed Nicobulus non dixit: „Quid fit? Quid? quod te misi, ecquid egisti?" Aut „Quid" delendum, ut sit: „Quid fit? Quod te misi", aut personis aliter distribuenda sunt verba. Et hoc quidem potius credo, Chrysalum non in mera nominis exclamatione substitisse, sed addidisse: „quid fit", ut supra v. 624, Nicobulum autem, potius sibi quærendum esse, respondisse. — 975—979 octonarii trochaici cum septenario. Ante *Rogas?* R. „Hem" addidit, quo non est opus. — *Gradior* ex C Ritsch. — 976. R. mutato ordine: „hominem ad lacrumas coegi". *coegi* duas priores syllabas contrahit, v. Proleg. p. 216. — 979. *mihi* (i. e. mi) *has dedit* codd.; R. Acidalium secutus: „has dedit mi". — *cantent*, dicant, cf. Rud. 478: „eapse cantat, quoia sit". Most. 964: „Uera cantas". — 980 sq. octonarius cum septenario. *Nosce signum*, cf. 784. — 982 sq. iambici octonarii. Priorem casu omisit B; addidit secunda manus: „Scinditur nunc etc.", quo modo trochaicus fit versus, sed præferenda auctoritas C. Post *exitium* hiatus, cuius vitandi causa Acidal. R. Fl. „prope adest". Chrysalus hæc secum alludens ad v. 950. Secedentem revocat herus.

984. Quæ extremo versui codd. addunt: „ut quod iubeo facias", Ritschelius vidit ex sequentibus (986 aut 990) male præsumpta esse; hic quidem inepta sunt. Idem, ut ex hoc et sequenti troch. octonarium faceret, ed. „opus est, quæso? NI. Ut scias, quæ scripta sint hic". Müller., Nachtr. p. 28: „opus est? NI. Tute ut scias, hic scripta quae sient". Codices sequenti primus versus iambicus dimeter dici potest; si „opust" altera brevi, aut „opus" legatur, eandem atque duo proximi formam præbeat, trochaici dimetri catalectici. — Mox Ritsch., quem Fl. fere sequitur, ex 986—87, addito „ego" post „uolo", troch. octonarium

fecit. Deinde turbato versuum ordine huic subiungit v. 990, tum 991, sed ita ut ineunti versui „Adero“ ex 988, exeunti „Uah“ addat; tum 993; deinde 992 iambicum octonarium, quem Fl. sic trochaicum facit: „Hoc age nunc iam. CH. Ubi lubet, recita sis: tibi dico aurium operam“; postremo 988 et 989. Nos codices secuti sumus, nisi quod ex duobus versibus tres fecimus, 986 dimetr. troch. catal., 987 trimetrum trochaicum, 988 septenarium trochaicum. — 987. *Taceas*, cf. infra 1152. Asin. 673. Most. 381. — 988. *Eu* ex C. D recipiendum fuit, nam „Euge“ adprobantis et gaudentis est, illud eius, qui quod subito apparet miratur, cf. Most. 332: „Adest, eu, Philolaches“, plerumque addito „hercle“, ut Pers. 705: „Eu hercle nomen multimodis scriptumst tuum. Rud. 821: „Eu hercle ne istic fana mutantur cito“. Mil. 396. Men. 718. 858. 312 (ubi codd. „Tu“). Trucul. 7 (codd. „Eum“). — *qui uideat*, i. e. si quis uideat, v. ad Aul. 481. — 989—90 octonarii trochaici. *quod te iubeo*, cf. Capt. 828. Pseud. 1325: „Fac quod te iubeo“. Cic. ad Fam. XIII, 26, 3: „litteras, non quae te aliquid iuberent“. cf. infra 1040. — 991 septenarius est, sive cum Studemundio, Cantic. p. 71, *tibi* ultima longa legas, sive „ut“ ante „tuus“ addendum censeas, quod orationis causa non est necessarium, vid. ad Asin. 445. — 993 item septenarius, si *iam* pro una syllaba legitur, cf. ad Amph. 37; si pro duabus, iambicus octonarius erit. *Hoc age*, vid. ad Asin. 1. *operam tibi dico* Pseud. 562. — 993. Iambicus octonarius hypermeter vix ferri potest. R. deleto *quidem* troch. octonarium fecit; Gertz. *equidem*, cf. ad Amph. 757.

Versui 994 in B præfigitur titulus EPIA, i. e. epistola, itemque ante v. 1004, 1010, 1016, 1022, 1025. Nobis interpungendi ratio per se sufficere videtur. Epistola autem, ut solet, senariis scripta est et quidem prosæ orationi proximis. — 995. *uitalem*, qui vivere possit, cf. Hor. Sat. II, 1, 60: O puer, ut sis vitalis, metuo“. — 996. *Malum . . . magnum*, sc. tibi dabo, non ducentos Philippos, cf. 1024. Nicobulus lectis duobus versibus suam sententiam addit, ut infra v. 1007, 1014. 1032. Chrysalus eum interrumpit verbis *Tibi dico*, i. e. fere „heus“, quæ particula plerumque anteponitur, v. Curc. 515. Men. 371.

683. Pseud. 211. Poen. 1309, sed etiam postponi potest, ut Mil. 436: „Tibi ego dico, heus, Philocomasium"; h. l. ut Mil. 219 abest; fuit, qui „Em" excidisse putaret. Recte autem C D inter personas verba distribuunt; editores inde a principe sic: „CHR. Malum quidem hercle magnum, tibi dico. NIC. Quid est?" „Videtur" inquit Taubmannus „malum precari Mnesilocho, sed mera simulatio est, mox enim corrigit, et aversus „Tibi dico" inquit, scil. Nicobule, non Mnesilocho". — 997. *salutem*, ut 727. Philodemus de vitiis X, col. 17 *αὐθαδείας* esse dicit *γράφων ἐπιστολὴν τὸ χαίρειν μὴ προσγράψαι μηδ' ἐρρῶσθαι τελευταῖον.* cf. Pseud. 1005 sq.: „Sed in epistula Nullam salutem mittere scriptam solet?" — 998. Versum in codd. pravo loco positum suo reddidit Acidalius. — 1000. *gerulum*, qui sibi nummos apportet. — 1007. *haud derides*, seria et vera te loqui re expertus sum. — 1013. *Persuasum est*, cupiditas et oculi me persuaserunt. — 1014. *cauisse* sunt qui duas primus syllabas contrahere credant, v. Proleg. p. 214. Ritsch. Acidalio duce „te" delevit; ego „ergo" malim. — 1015. *illi dixi* edd., Herm. R. Fl. „dixi illi"; non opus. — 1017. Hiatus post *Me* in epistola forsitan ferri possit; Both. R. Fl. „Med". Müller. „Me obiurigauit". — 1020. *Em*, cf. 271. — 1022. *obsecrare ab* aliquo alibi non invenitur, quare Acidalius præpositionem delebat; Ritsch. licentius „orare etiam" substituit, ut Amph. 64; Gertz. „hoc precari". Qui *abs te* ita defendunt, ut ad sequens *da* referatur, membrum plus quam supervacuum orationi addunt. — 1026. *id*, ducentos nummos, cf. Asin. 89. 395. Epid. 115: „quadraginta minas ... illud". Trin. 403—5: „minas quadraginta ... Quid factumst eo?" Nep. Timoth. 1, 2: „Athenienses M et CC talenta consumsperant; id ille sine ulla publica impensa populo restituit". Cicer. ad Attic. IV, 15, 7: „Apud eum HS quinquagena deposuerunt, ut qui a Catone damnatus esset, id perderet". ib. XI, 11, 2. al. — 1027. *perierem*, i. e. peierem, ut 1039, vid. ad Asin. 291. — 1028. *quantum potest*, vid. ad Amph. 964. — 1030. *diuidiae* Camer. em. cf. 766. — 1031. *Sescenta tanta*, cf. Pseud. 636, i. e. sexcenties tantum, ut si pro sescenties tantum duo tanta diceretur. — 1033. *Nihil quicquam*, v. ad Asin. 145. — 1034. *Neque haud*,

v. ad v. 15. — 1036. *si ego* codd. cum hiatu; Herm. R. Fl. „ego si". — 1037. *corrumpi*; nam periurio nullum maius scelus nec maior infamia cogitari potest. — 1038. *tu* versus causa Acidalius ante „utram" posuit; Guietus delevit. — 1040. *neque te iubeo neque ueto*, cf. Curc. 145. Trucul. 632, ubi codd. „uolo", i. e. uoto, ut h. l. etiam Fl. — 1041. Hunc versum in codd. et edd. excipit 1044, hiante sententia, nec *plus* habet, quo referatur; mox vero vss. 1042—43 nullo sententiæ nexu cum ceteris iunguntur, 1046 autem omnino intelligi nequit. Librarius codicis nostrorum archetypi duos versus 1042—43 incuria omisit, nec habet B, in C autem pravo loco post 145 additi sunt. — 1044. Iam servus, quum de animo heri non amplius dubitet, consilium proferre audet. *satius* legendum esse Scaliger et Dousa viderunt; suavitudo hic nulla cogitari potest. — 1045. *dispalescere*, i. e. palam fieri, hoc uno loco legitur. — 1046. *Quid ergo istic?* sic recte C, nisi quod interrogandi signum non habet. Auditur „faciendum est" aut simile quid. Locutio comicis familiaris, de qua Donatus ad Terent. Eun. 171 (1, 2, 91): „Hoc adverbium consentire incipientis est, et est ellipsis; deest enim „remoramur" aut quid tale", et ad eiusdem fabulæ v. 388 (2, 3, 96): „adverbium est ægre concedentis ac veluti victi". Apud Terentium præterea legitur Andr. 572. Heaut. 1053. Adelph. 350. 956, apud Plautum Merc. 994. Rud. 1331. Trin. 573. Epid. 142: „Quid istic? Facimus verba etc." Poen. 1229: „Quid istic? Quod faciendumst, cur non agimus?" Hoc non intellecto critici versum varie torserunt. Acidal.: „Quid ego istuc?" scil. dico, plerique Pium secuti: „Quin ego istic .... properem perdere?" Debebant saltem, ut Gruterus, „propero"; sed vel sic nec „istic" intelligitur. nec tota sententia apta est. Immo interrogandi signum non cum B in fine versus ponendum est, sed, ut vidimus, post „istic". *properem* hortativum est.

1050. Dum Nicobulus ædes intrat, ut pecuniam tollat, servus secum triumphatur solita ratione, cf. Attius v. 668: „Iam hanc urbem ferro vastam faciet Peleus". Liv. V, 53, 1: „vastam incendiis ruinisque urbem". — *proceres*, Græciæ. — 1051. *exitium*. Ritsch.: „A. Plauto nescio an exitio scriptum

sit, ut 942", sed cf. 939. — 1053. *ego* Herm. R. Fl. delerunt. — *pignus dare cum* aliquo est sponsionem facere vel posito pignore cum aliquo certare, cf. Cas. 75: „Id ni fit, mecum pignus, si quis uolt, dato, In urnam mulsi". Val. Max. IV, 3, Ext. 3: „pignore cum quibusdam iuvenibus posito". — 1054. „*Turbelas*" ait Fest. p. 355 „dixisse antiquos quas nunc turbas appellamus, testis est Plautus in Pseudolo (110): Quo pacto et quantas soleam turbelas dare"; et sic A; codd. B et C utroque loco liquidam geminant.

1056. Nicobulus redit cum pecunia. — 1057. *ut soluam* codd; „absoluam" Scaliger, cf. ad Aul. 509. Recepit Fl. deleto *ut*; nos cum Both. et Ritsch. Lambini emendationem „militi" prætulimus. — 1058. Agit Chrysalus, ut dixerat v. 1000. — 1059. *Odiose facis*, i. e. odiosus es. Affert Charisius p. 209 K: „odiose facis; cape uero". — 1061. *Morare*, sc. me alio properantem. Taubm. confert Most. 791. Mil. 941. Iuvenal. I, 125: „citius dimitte; moraris". — 1062. *Ohe* Ritsch. versus causa omisit; sed aptissima est interiectio desinere iubenti, eoque demum addito non offendit repetitio vocum v. 1059 positarum; cf. Cas. 228: „Ohe, iam satis, uxor; comprime te; nimium tinnis". Hor. Sat. I, 5, 12: „Trecentos inseris; ohe, iam satis est". II, 5, 96. Pers. I, 23. Martial. IV extr. Malim cum Corssenio, aliisque transponere: „seruet me". Müller. liberius: „Uel me qui seruet da aliquem". — 1063 si recte scribitur, *huc* corripitur; Herm. R. „ego" om., Müller. „rediero" aut „reuenio" mavult.

1064. *Curatumst esse te*, pro „ut sis". Non solum „postulare" apud Plautum accusativum cum infinitivo sibi adiungit, v. ad Amph. 357, sed etiam alia similia, cf. supra 518. infra 1079: „institui". Ter. Eun. 205: „Et is hodie uenturum ad me constituit". Pl. Poen. 813: „Nostro seruire nos sibi censet cibo". Mil. 621: „expetere, te ex opibus summis mei honoris gratia Mihi amanti ire opitulatum". Ter. Eun. 47 sq. „an potius ita me comparem, Non perpeti meretricum contumelias". — 1065. *mihi* unam syllabam facit; *uti* autem, ut alia iambica, pro pyrrhichio est; Both. R. Fl.: „uel mihi". — 1066. *incederem* codd., „cederem" Scaliger, Bentlei., Ritsch., et ipse probaverim, vid. ad Asin. 401. Fl.: „Ut ouans praeda onustus

incedam, euenit", producta priore vocis „ouans". — 1067. *Salute*, i. e. cum salute, vid. ad Amph. 32. — 1168. Post *reduco* hiatus in cæsura. Herm. „ego" addit, Ritsch. „iam". Fl. licentius: „Exercitum integrum omnem redduco domum". — 1070. *peruolgatum est*, vid. supra p. 369 sq. — 1071. *mulso*, v. supra 967. Chrysali milites, qui mulso accipientur, histriones sunt. — 1072. Manet in comparatione rei militaris. Satis constat prædam bello partam a *quæstoribus* vendi solitam esse, ut pecunia inde in ærarium populi redigeretur. Plauti huc pertinet Capt. 34.

1073. Philoxenus de filio suo sollicitus Mnesilochum quærit, cui mandaverat, ut eum a meretricibus abstraheret (v. 491), quid effecerit, scire cupiens. Quod ad metra huius cantici attinet, viri docti vehementer dubitarunt, utrum trochaicis octonariis an anapæsticis numeris compositum esset, v. Ritsch. præf. p. XI; tandem ad antiquam Hermanni sententiam redierunt Ritsch. et Fl., ut anapæsticis alternis octonariis et septenariis scriptum putarent, sed eius rei causa maxime in posteriore cantici parte non pauca mutarunt. Ego quoque anapæstos agnoverim, sed non prorsus accurate alternantes versus, nec aliter Studemund. Cantic. p. 53. 1073—74 octonarius cum septenario videtur; 1075—76 item. — *Quam magis*, vid. ad Asin. 157. infra 1088. Ante alterum *magis* v. 1075 „tam" omissum est. — 1074. *inscitus*, stultus, pravus, cf. Most. 203. 1117. Mil. 736. Curc. 185. Truc. 832. *se capessat*, cf. 111. — 1077 octonarius. *gnatis* ed. pr. em., Ritsch. transp.: „gnatis uolgo", ut septenarium faceret; huic enim versui Acidalio aliisque auctoribus anteposuit v. 1078, qui mihi quidem tam inutilis videtur versus 1076 circumlocutio, ut non dubitem quin spurius sit. In quo quod edd. Mercero auctore pro *dedi* „edi" posuerunt, laudari non potest; maiore iure pro *et enim* Pareus „at enim", Acidal. „sed enim". — 1079. Versus ceteris longior. Ritsch. „animo suo" scribens in „obsequium" terminavit, Fl. Hermannum secutus „me„ et „meo" deletis „animo obsequium ut" edidit. Si quid tollendum est, „institui" tollam, ut „dare me ludum" ab „aequom esse" pendeat. *Dare ludum* alicui est ei ludendi libertatem concedere, cf. 1080. Cas. 25. Stich. Arg. 7. Hor. Od. III.

12, 1: „amori dare ludum“. Cic. p. Coel. 12, 28: „Datur enim concessu omnium huic aliquis ludus ætati“. *obsequium sumere*, est obsequi, indulgere. — 1080 septenarius anap., si *ei* pro spondeo legitur. — 1081. *uiso*, i. e. quæro, visam, cf. Ter. Andr. 535: „id uiso, tune an illi insaniant“. Studemundio verba „Nunc ... mandaui“ dimeter acatal. videtur, „cui B insequentis septenarii longioris partem priorem subnexuit“. Nos codd. secuti sumus; v. 1082, si *ad* sustuleris, legitimus dimeter est. *ad frugem*, sc. bonam, ut. Cic. p. Cocl. 12, 28; cf. Trin. 118: „quin ad frugem corrigis?“ 270: „ad frugem adplicare animum“. — 1083 octonarius esse potest.

1084. Nicobulus a foro redit. Iam a milite de tota re certior factus vehementissime stultitiam suam accusat. Numeris utitur concitatioribus, primum anapæstis, deinde cum Philoxeno colloquens creticis; exitus scenæ trochaicus est. Sed primus versus duos iambos intermixtos habet, ut rectius iambicus dicatur octonarius; alter septenarius anap. est; sequuntur decem octonarii anapæstici. — *ubique* recte B, cf. Hor. Sat. I, 2, 60: „quidquid ubique officit“. Cicer. Verr. IV, 4, 7: „Verres quod ubique erit pulcherrimum, auferet?“ Agr. II, 21, 57: „ceteri agri omnes, qui ubique sunt“. Divin. II, 44, 93: „omnes, qui ubique sunt nati“. Ritsch. Fl. „ubi ubique“, quod vix Latinum est. *quique* autem pro *qui*, quod Hermannus voluit, fortasse recipiendum, ne obscura oratio sit. — 1085. Synonyma cumulantur. Isidor. Differ. 500: „Afranius Ego, inquit, me stultum existimo, fatuum esse non opinor; i. e. obtusis quidem sensibus, non tamen nullis“. *fungi*, cf. 280. „*bardum*“ ait Nonius p. 10 „est vi propria ingenio tardum; nam Græci bardos tardos dicebant. Homerus Iliados XXII: *Βάρδιστοι μὲν γὰρ οἳ ἔσαν καλλίτριχες ἵπποι* etc. Plautus Persa (170): Nimis tandem me quidem pro barda et pro rustica reor habitam esse abs te“. Item Epid. 417: „bardum me faciebam“. Cic. Fat. 5, 10: „Stupidum esse Socratem dixit et bardum“. *Blennos* stultos interpretatur Festi Epit. p. 35 h. v. allato. Græca vox est *βλεννὸς*, sensibus pituita (*βλέννα*) hebetibus; usus erat Sophron test. Anecd. Bekk. 85, ubi *νωθὴς καὶ μικρὸς* enarratur. Gifanius restituit apud Lucilium, XXX, 106: „deblaterant; blennus bonu'

rusticu' concinit una". Cf. Löwe, Prodomus glossariorum, p. 265. *Buccones* nec garruli sunt, ut Isidorus, nec arrogantes, ut Meursius voluit, sed simpliciter stolidi, qui buccis patulis et ore aperto omnia adspiciunt quasi ore devoraturi quod oculorum aut aurium ope intelligere nequeunt. — 1086. *indoctis.* R. ex Hermanni coni. „moris", temere. — 1087. *ludos factum*, v. ad Amph. 567. — 1088. *Quam magis* etc., cf. 1073. — *uror, quae* em. Camer., i. e. propter ea quæ, vid. ad Amph. 38. — 1089. *omnibus exemplis*, cf. Capt. 685. Most. 187. 217. 1024. al. — 1091. *delacerauit* versus causa Ritsch., ut Capt. 666. Hermannus „med" scripserat. — 1092. *scelus*, convicium (ut 1176), appositum pronomini *is*, nec tamen ideo masculini generis, ut apud Ter. Eun. 302 „ille senium". cf. Mil. 826. 839. 1425. Ter. Andr. 607. 844. — *auro attondit*, cf. ad 239. — 1194. „sibi eam" Herm. et Ritsch. transpos. versus causa, fortasse recte; sed quod iidem uoluerunt: „memorat", iure sprevit Fl. — 1095. *Relicuum id auri factum*, hanc summam restare, pro qua sibi etiamnunc opera deberetur. De forma „relicuus" vid. Proleg. p. 215 et ad Asin. 231. — 1096 sq. turbata descriptione in tres versus divisit B, quum octonarius et septenarius sint. In priore versu Ritsch. „quo" pro „*quod*" scripsit, quo non opus est; necessario autem addendum est subiectum verbi *peracescit*; Herm. „pectus" addidit, ut Aul. 460; Seyffert. Stud. p. 13, quum *hoc* non recte corripi videretur, *cor*, quod facilius excidere potuit. Posteriorem versum R. Fl. pro spurio habuerunt. — 1098—1105 septenarios anapæsticos esse vidit Fl. — *Cano capite*, i. e. cum cano capite. cf. Merc. 301: „Tun capite cano amas?" 398: „illa forma". — 1099. *non nauci*, nihil, cf. Most. 1025. Truc. 601. Fest. p. 166.

1102. *Hic quidem pater Mnesilochi*, sc. „est", quod R. post „Mnesilochi", Fl. post „quidem" addit. *pater* ultimam non producit; etiam *mali* pro pyrrhichio est. — 1103. *Philoxene*, altera brevi. — *Et tu*, v. ad Aul. 169. — *Unde agis?* i. e. unde venis? Herm. „te" addit, et sic dici solet, v. Most. 335. Mil. 860. Poen. 330. Pers. 483. Ter. Andr. 708; sed omittitur „te" etiam Pers. 217: „Quo agis?", ut in recipiendi verbo supra v. 292. — Nicobulus non a foro se venire respondet,

sed ab eo loco, ubi miser pecuniam perdiderit, quam militi solvit. — 1106—8 cretici tetrametri. *par idem*, „par atque adeo idem“ enarrat Lamb., quod ferri non potest. Ritsch. „mihi aegre est idem quod“, equidem „cordi“ scripsi. — 1109. Ut tetrameter creticus efficiatur, Herm. R. Fl. extremo versui „meum“ addunt. Si transponas: „homo optumus“, trimeter erit ut 1113. — 1110—12 tetrametri cretici. 1111. *aegre est*, v. ad Amph. 903. — 1112. *Id* codd., edd. recte *Is*. — *perit* Both. em. — *atque* ex *aeque* male lecto ortum esse, idque ab ipso librario correctum, intellexit Herm. — 1113 trimeter creticus; R. et Fl. „mihi misero: disperii“. — 1114—16 trochaici septenarii.

1117. Exeunt sorores meretrices. Scena festivi leporis et protervi lusus plena, priore parte bacchiacis, posteriore anapæsticis scripta numeris, sed utrumque genus et ordiuntur et claudunt trochæi. Primus quidem trochaicus octonarius est, nam dubitari non potest, quin Pylades recte voc. *nomine* deleverit. Quo addito quum versus longior factus esset, extrema verba in sequentem migrarunt, et in hoc quoque idem factum est, nam v. 1118 tetrameter bacchiacus est, cui additur 1119 clausula ⏑ — — ⏑ — ⏑ — ⏑. Qui codicem secuti a voc. *nam* hunc versum incipiunt, huic voc. pravam vim tribuunt; est enim interrogativum cum antecedenti *quid* iungendum. — *Oues* appellat senes stolidos. Festive iam a principio intelligitur et probe attonsos esse, i. e. spoliatos (cf. 1092), et fore ut etiam amplius tondeantur. Nota comparatio, cf. Aristoph. Nub. 1203: *Τί κάθησθ' ἀβέλτεροι, ἡμίτερα κέρδη τῶν σοφῶν, ὄντες λίθοι, ἀριθμὸς, πρόβατ' ἄλλως.* Propert. II, 16, 8: „Et stolidum pleno vellere carpe pecus“. — 1120—21 tetrametri bacchiaci. Posteriora affert Charisius p. 141 K, recte omisso *sic*, quod metrum turbat. *haec* et Charis. et C, vid. ad Aul. 378. Ritsch. repetitione pronominis offensus hoc delere maluit, sed vid. ad Aul. 549. *palitantes* em. Cam., i. e. palantes, cf. 1134. — 1122. At, inquit soror, oves, quæ palantur, sordidæ et illuvie plenæ esse solent; hæ vero, ut locupletes senes convenit, cultu nitent. Versus is est, quem Reitzianum appellarunt, v. Proleg. p. 191. Hermannus Bothium secutus tetrametrum bacchiacum fecit: „At hae pol nitent, sordidae ambae haud uidentur“. Male

Lomanus, Specim. crit. p. 46 eumque secuti R. et Fl., quum contrariam sententiam requirerent: „At pol haud nitent; sordidae ambae uidentur". — 1123—24 tetrametri bacchiaci. Sane, inquit, nitent; probe attonsæ sunt. *hae* cum Both. R. Fl. delevimus. — *Sine,* sc. eos nos deridere. — 1125 tetrameter bacchiacus, si hiatur post „tu". Ritsch. licentius: „Rerin ter tu in anno has ovis tonsitari". Si *tu has* pronuntiando coniunguntur, versus constat ex dimetro bacchiaco et penthemimere iambico ut 1128. Nec absimilis est 1126, quem ut tetrametrum faciant, R. Fl. „altera haec" scribunt. — 1127 compositus ex duobus bacchiis et dimetro iambico catal. Pro corrupto *thimiame* Lambinus: „thymiama", i. e. suffimentum; „quæ incenduntur" inquit „arida sint necesse est; hos senes igitur significat esse aridos". Salmasius „thymiamae", quasi thymi amantes; sed hoc omne ovium genus, non solæ veteres sunt. Plerique Coleri emendationem secuti: „minae ambae", ex Varron. R. R. II, 2, 6: „minam (ovem) i. e. ventre glabro". Quod si voluisset Plautus, saltem „minaeque" scripsisset. *ambae* verum videtur, sed antecessit sine dubio *nimis*. — 1128 constat ex bacchiaco dimetro et semiquinario iambico; tetrametrum bacch. Lachmannus fecit Lucr. p. 387 hiatum esse statuens post „obsecro", Both. R. Fl. „contuentur" scribentes. Senes levissimi quamvis summæ severitatis speciem induerunt, tamen cupiditate moti meretrices, quas recta intueri non audent, obliquis oculis adspiciunt; hoc est enim limis sive *limulis*, cf. Mil. 1209: „Aspicite limis oculis, ne ille nos se videre sentiat". Ter. Eun. 601: „ego limis specto Sic per flabellum clanculum". Hor. Sat. II, 5, 53. — 1129—1136 tetrametri bacchiaci. — 1131. „*Cogantur*, compellantur, cf. Verg. Buc. III, 20: „Tityre, coge pecus". Lamb. — 1132. *lacte* Lamb., cf. v. 31. Men. 1067. Trucul. 890. — *ullam* Both. R. Fl. delerunt versus causa. — 1133. „*Exsoluere* pretium, quanti emptæ sunt" Lamb. Pessime Gruterus „exoluere" scribens exoletas esse interpretatur. — 1134. *palantes* Camer. em. cf. 1121. — 1135. *solae liberae* cum Hermanno R. Fl. pro glossemate habemus. — 1137 dimeter iambicus catalecticus tetrametro pro clausula additus. — 1138 tetr. bacch. — 1139 compositus ex bacchio et penthem. iamb. — *ilico manete*, i. e. in

loco; ex Cæcilio, Attio, Hemina affert Nonius p. 325. Nævius b. Poen. VI: „septimum decimum annum ilico sedent“. Ter. Ad. 156: „Otiose; nunc iam ilico hic consiste“. *haec* Loman. ut 1121; codd. „hae“.

1140—47 trochaici septenarii. — 1141. *Haec* primus Both. Perseverant senes in ovium similitudine a meretricibus instituta. — 1142. *te condono*, tibi remitto, cf. Rud. 1368: „mihi triobolum Ob eam ne duis; condono te“. Pers. 814: „Caue sis me attigas, ne tibi hoc scipione Malum magnum dem. PAE. Utere; te condono“. Ter. Phorm. 947: „Argentum quod habes, condonamus te“. Eun. 17: „Habeo alia multa, quae nunc condonabitur“. — 1145. *clam mordax*, qui non latrans, sed furtim insidiando mordit. Satis festive Chrysalus significatur.

1148 sq. septenarii anapæstici. *est quod te uolo*, vid. ad Amph. 167. *illaec* Both. em., cf. 1121. — 1149 corruptum legit Priscianus, qui bis (III, 3, p. 97 H. et VI, 15, p. 265 H) sic: „Senem tibi dedo illum veteriorem, lapide ut lenitum reddas“, ut comparativi illius testimonium afferat; sed recte codd. Plautini *ulteriorem*, i. e. remotius stantem. Alterum Prisciani errorem Bergk. Philol. XVII, p. 53 commendare non debuit, ut „ulteriorem lapida“ scriberet. Ceterum recte glossæ in cod. D suprascriptæ *ulteriorem* Philoxenum, *hunc iratum* Nicobulum esse significant. — 1150—52 octonarii anapæstici. Primum constituit Bergk. l. l., a quo eatenus tantum abscessimus, quod vere Plautinam pronominis formam *hosce* restituimus; *si* iam Ritsch. addiderat septenarium faciens: „Ego ad hunc nunc iratum adgrediar, si hos possumus intro inlicere huc“. Studem. Cantic. p. 54 frustra codicum scripturam tueri conatur. *hoc* B. pr. m, i. e. huc, cf. Merc. 316: „hoc non uoluntas me inpulit“. 859: „hoc respice“. Pers. 604: „hoc accedat ad me“. Truc. 528: „adduce hoc tu istas“. Ter. Eun. 501: „Si Chremes hoc forte aduenerit“. (Cf. ad Amph. 163 et supra ad v. 217: „istoc“.) — 1151. Codicum scriptura „quam odiosumst mortem amplexari!“ Studem. l. l. dubitat an tuenda sit; sed talis exclamatio cum antecedentibus („lepide“) minime convenit. Ritsch. cum Herm. „quamquam est mortem“; Both. „quamquam odium est m. a.“; Bergk., quod prætulimus, „odiost“. — 1152. *Facito*,

ut facias, i. e. Cura ut facias. Müller. Nachtr. p. 55: „tace", ut septenarium faciat. — 1153 septenarius est; 1154, ut in cod., senarius hypercatal., sed verisimile est septenarium fuisse, ut exciderit aliquid. Herm. et R. „mi homo". Weis. „Quid tu me uis?" Fl. „Quid me nunc uis?" — 1155 sq. septenarii. — *sed*; sententia quasi non interrupta continuatur, cf. 712 et ad Amph. 1136. — 1156. „scio iam pridem" voluit Müller. cum Both. Herm. — *qui nihili 's*, *id memora*, em. E. Becker in Studem. Stud. I, p. 148 sq.; vulgo inde a Guieto: „qui nihili sis, memora". — 1157 sq. quaternarius cum septenario, ait Studem. Cant. p. 5. Ritsch. et Fl. additis pluribus septenarios faciunt. Philoxenus captum se esse a meretrice fatetur. *uisco* cf. 48. Cor suum amoris stimulo pungi dicit. Alter respondet, potius latera eius stimulo fodi debere ut asino aut bovi segnius eunti. — 1159—1164 septenarii. *iam ego ipse* codd.; Müller.: „ipsus", R. Fl. etiam: „ego iam ipsus". — 1160. *malast* pro duabus brevibus legendum, ut proceleusmaticus anapæsti locum teneat. — 1161. Luditur ex ambiguo, quia *mala* tam deformem quam improbam significat. — *Naì γάϱ* Hermann. Weis. ceterique; priores male „necas"; in codd. Græca omnia Latinis litteris scribuntur. Non raro autem Plautus Græcas voces vulgo notas, maxime asseverandi formulas, Latinæ orationi intermiscet, cf. Capt. 874 sqq. Casin. 688 sq. Most. 957. Pseud. 443. 483 sq. Pers. 160. — 1162. *putide*, cf. Hor. Epod. 8, 1: „Rogare longo putidam te sæculo". — 1163. *quid opus uerbist* B, i. e., ut C, uerbis est. Both. Fl. „quid opust uerbis?"

1165. Accedunt meretrices. Herm. R. Fl. ab initio excidisse aliquid rati tales tres faciunt septenarios:

BA. [Quid tam diu, soror, hic adstamus?] Sequere hac. NI. Eunt eccas tandem
Probriperlecebrae et persuastrices. Quid nunc? iam redditis nobis
Filios et seruom? an ego experior tecum uim maiorem? RH. Abin hinc?

Nos ab initio nihil desideramus. Primus versus est septenarius anap., nam *tandem* posteriorem non producit. Duo posteriores si iunctim leguntur, unum efficiunt systema anapæsticum

undecim pedum cum dimidio, vel, ut nos divisimus, dimetrum et septenarium. *perlecebrae*, cf. Asin. 132. Herm. R. Fl. „probriperlecebrae“ una voce, sed „probri“ etiam ad „persuastrices“ pertinet. — 1166. *Etiam*, v. ad Asin. 669. Herm. R. Fl. „iam“. — 1167—72 septenarii anapæstici. *uim maiorem*; qualem, non indicat, sed in promptu erat ædiles advocare. — 1168. *appelles*, cf. Cic. Manil. 5, 11: „appellare superbius“. Agrar. II, 24, 63: „asperius“. — 1169. *optume quantum est*, cf. Aul. 778. — *exorarier* Herm. m.; „me hoc exorare“ Ritsch. Fl. — 1170. *oppugnatum*, vindicatum. — 1171 et 72 dimeter catalecticus cum acatalecto, ut ait Studem. Cant. p. 54. R. Fl. unum septenarium faciunt, qualis 1173 est. 1174 dimeter acatal. — *Ei mihi, metuo.* Hæc codd. et edd. Nicobulo continuant, quasi iam timere incipiat, ne blanditiis meretricis resistere non possit; sed eum nondum eo pervenisse, proxima et meretricum et ipsius verba ostendunt. Bacchis hæc dicit Nicobulum aut pugno aut sublato baculo sibi minantem timere se simulans; sed verisimile est ante hæc excidisse minax aliquod Nicobuli verbum. Proxima B rectissime Samiæ sorori tribuit, Hermannus. R. Fl. Atticæ, sed ita ut post *tranquillust* excidisse aliquid statuant, velut: „tu quoque tranquillus fito“. Immo nihil deest. Illa Philoxenum ait magis mansuetum esse; hæc non ei respondet, sed Nicobulum aggredi pergit. — 1175—1178 anapæstici septenarii. — 1177. *Ego ... exorabo* Samiæ sorori recte Acidalius tribuit. Item proximo versu *Mecum ut sis*; cf. Trucul. 945: „Tu eris mecum quidem“. — 1179 sq. duo trimetri anapæstici acatalecti. Herm. R. Fl. post Philoxeni verba Samiæ sororis responsum excidisse putant velut: „Lepide apud me tu eris acceptus“; quo facile caremus, nec tanti est duos septenarios efficere. — 1180. *Homines* Lambinus em. — *Ita sum*, v. ad Amph. 571. — 1181—83 septenarii. 1181. *lepide uictibus*, cf. Mil. 739: „Meae domi accipiam benigne, lepide et lepidis uictibus“. — 1182. *nihil paenitet*, non parum mihi videtur quod damni hucusque per vestram hospitalitatem accepi. Cf. Ter. Eun. 1013: „An paenitebat flagiti etc.“, ubi Donatus recte: „parum videbatur“. Plaut. Mil. 740: „Nil me paenitet iam quanto sumptui fuerim tibi“. Stich. 551: „Duas dabo

una si parumst; Et si duarum paenitebit, . . . addentur duae". Rud. 578: „an te paenitet in mari quod elaui, ni hic in terra iterum eluam?" Trucul. 430: „Ut quoius me non paeniteat mittas mihi". 530: „Paenitetne te, quot ancillas alam?" Trin. 321: „Is probus est, quem paenitet, quam probus sit et frugi bono". Aul. 426. Liuius sæpius. — 1183. *circumduxerunt*, cf. 308. — 1184 sq. dimeter catalecticus cum acatalecto ut 1171 sq. Herm. R. Fl. unum septenarium faciunt addito „hodie" ante *excruciem*. Locum sic enarrat Lamb.: „Quem ut non excruciem si quis mihi alterum tantum auri, quantum perdidi, donet, accipere nolim"; cf. Hor. Ep. 1, 18, 16 sq.: „ut non Sit mihi prima fides et, uere quod placet, ut non Acriter elatrem, pretium aetas altera sordet". — 1186 septenarius. „*dimidium auri*, quod redit v. 1190, ex Bacchidibus commemorat Gell. III, 14, 14". R. — *isne*. Ritsch. Pareum secutus: „Videtur *in'* vetus scriptura pro „isne" esse". — 1187, quinque anapæsti. Herm. excidisse aliquid censuit, præsertim quum *ut* optantis hic vix locum habeat. Ritsch. supplevit: „Atque induces animum, haec ut eis delicta ignoscas?" quo septenarius efficitur. — 1188—94 septenarii. *Nihil moror* dactylum facit; R. Fl. „moro". Philoxeno se persuadere et secum ducere conanti dicit: *Sine sic*, sc. adstem, ut 1132. *illos ambo*, Mnesilochum et Chrysalum. — 1189. *Etiam?* Sic interpunxi; „Etiam caue" iungi posse non credo. Miratur Philoxenus etiamnunc eundem animum Nicobuli esse. — *tua* per synizesin cum proxima vocali coalescit. Müller. transp. „tua culpa"; Fl. pronomen delevit. — 1190. *scortum adcumbas*, cf. Men. 465 et 1120. — 1192. Nicobulus nondum concedit, nec *Age iam* etc. h. l. dicere potest; quare Ritsch. versum suo loco motum post 1203 posuit, non admodum apte. Philoxeno continuandus videtur, et *Ego* pro „Age" scribendum. *dedecori* R. em. Idem „id" delebat, prob. Müll. — 1193. *accubet* ed. pr. — 1194. Post *Te* hiatur. Ritsch. verba „Te amabo et te amplexabor" h. l. deleta post 1202 posuit. — *Caput prurit* ei, qui quid agat nescit. Hæc Nicobulus secum. — 1195 sq. octonarius anapæsticus cum quaternario; sed hiatus post „mentem" vix verisimilis; Speng. transp.: „Non tibi, amabo, uenit in mentem", Müller.: „Non uenit in

mentem tibi". — Hæc verba edd. inde a pr, Philoxeno dederunt; equidem codd. sequor. Etiam Seyffert. Stud. p. 2 Bacchidi danda censet; *amabo* enim marem mari dicere posse negat, quod quum magna locorum multitudine probet, tamen repugnante uno saltem Mostellariæ loco (878) affirmare non audeo. — 1196. *Iam* sensu caret; Fl. del.; Weis.: „Tamen", quod sententia postulat, sed *Tam* scribendum videtur eadem vi, quod etiam Seyffert. commendat, Stud. p. 14; cf. Fest. p. 360: „Antiqui tam etiam pro tamen usi sunt etc." Hanc formam A servavit Stich. 48: „si illi inprobi sint atque aliter [In] nos faciant quam aequomst, tam pol Magis nos omnibus obnixe opibus Nostrum officium meminisse decet", ac verisimile est aliis locis restituendam esse. — Epicureorum autem sententia, quam Bacchis Nicobulo in mentem revocat, satis nota est. Lamb. affert Lucret. III, 912 sq. „brevis est hic fructus homullis. Iam fuerit, neque post unquam revocare licebit". — 1197—1201 septenarii anap. — *amiseris* codd.; Both. R. Fl. „amissis" ut 1189. — *in morte*, i. e. quum mortuus eris, nec enim mortem vicinam esse negare audet, cf. Capt. 735. Lucr. III, 880: „corpus uti volucres lacerent in morte feræque". Verg. Æn. VI, 371: „Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam". Senec. Ep. 30, 9: „si quis revixisset et in morte nihil mali esse narraret expertus". Non opus igitur, ut cum R. corrigemus: „id post mortem". — 1198. *sed* pro *et* scripsi sensu iubente. Post *metuo* autem comma posui, quia continuatur oratio proximo versu, ut 1154 sq. Metuit, ne filius et servus, si ipse similem nequitiam commiserit, se in sua potestate habeant imperiumque patrium amittat. — 1199. *Istaec fiunt* codd.; Lamb. enarrat: „Istæc sunt usitata, istæc sunt humana, ut Terentius: Uolgo faciunt (Heaut. 957)". Verum Bacchis si hoc dixisset, timorem Nicobuli, quem tollere conatur, confirmasset. Immo orat patrem, ut filio ignoscatur, nec verendum esse ait, ne imperium in eum amittat; nam filium semper in eius potestate futurum, nec quod aliis det habiturum, nisi si quid ab ipso patre sumat. Itaque necessario *fiant* scribendum est; cf. Curc. 671. Orationis vitium sensit etiam Seyffert. Stud. p. 14, sed longius abscessit scribens: „Istaec mitte". —

1200. *censes sumere* codd.; R. Fl. „sumere censes“. — 1201. *Ut terebrat!* „Quo pacto mihi animum blandis suis dictis perfodit et perforat!“ Pers. 238: Numquam hercle istuc exterebrabis tu, ut sis peior quam ego siem“. — *Satin*, nonne, v. ad Amph. 627. — 1202 iambicus dimeter catalecticus septenariorum seriem claudens. Ritsch. adscita priore parte versus 1196 septenarium facit: „Quod mihi erat, nunc id me exorat? BA. Te amabo et te amplexabor“. Sed rectissime continuatur Nicobuli oratio, qui et hæc et proxima Philoxeno dicit. — 1203 et 4, septenarii anap. — Bacchidis responsum corruptum est. Camerarius principem secutus: „Nusquam tu a me te auelles“. Schneiderum secuti Herm. R. Fl.: „Ne tis quam mea mauellem“, i. e., quoniam „tis“ pro „tui“ ponitur, „ne tua quam mea opera te improbiorem factum esse mauellem“. Quæ quo sententiæ vinculo cum ceteris iungantur, non video. Equidem pro „is“ scripsi *eius*. Bacchis ait se quidem senem corrumpere noluisse; si improbior factus sit, malle se Philoxeni quam sua culpa factum esse. — 1204. „Mutilum versum“ ait R. „velut sic redintegrare licet: Satin ego istuc habeo offirmatum, ut illis iratus ne sis“ proximumque versum a „Quod“ incipit. Ego loci sententiam eum perspexisse credo, sed lacunam, quam B in medio versu habet, verbis *quod dixti* supplevi, sc. me exorasse te, ut filio et servo veniam dares. — 1205 quinque anapæsti, vel potius dimeter cum clausula trium brevium syllabarum. — 1206 septenarius. *Quam quidem actutum emoriamur.* Iniuria R. et Fl. interrogandi signum posuerunt. Sane, inquit Nicobulus, nos expectant, verum non societatem, sed mortem nostram desiderant. Acidalius contulit Most. 228: „Utinam meus nunc mortuus pater ad me nuntietur!“ — 1207 septenarius anap., quem defendit Müller. Pl. Prosod. p. 119 et 416, ita ut *sequimini* ultimam corripere censeat. R. Hermanno duce „ite“ ex proximo versu adscivit et sic ed.: „Iam uesper hic est: ite, sequimini. PH. Ducite nos tamquam addictos“. *Vesper hic est*, cf. Amph. 539: „lucescit hoc iam“. — *addictos*, ut quos prætor, quia æs alienum reddere non potuerunt, creditoribus addixit. — 1208 item septenarius. *filis* B, et sic pronuntiandum. *ite* recte omiserunt edd.

1209 sqq. Septenarii trochaici fabulam claudentes in codd. Bacchidi continuantur; Pylades GREX suprascripsit, Ritsh. CATERUA, nos Ω, vid. Proleg. p. 173. — 1211. „*haec faceremus*, in theatrum produceremus“ Gr. — 1213. Codd. „uos ualere uolumus et clare adplaudere“. Both. transposuit aut: „uolumus uos ualere et clare adplaudere“ aut: „uos ualere et uolumus clare adplaudere“. Herm. et R.: „uos ualere et clare uolumus plaudere“. Nos Fleckeisenium secuti sumus, nec enim nobis persuasit Spengel. ad Trucul. 5, 76, *adplaudere* non esse Plautinum; quum enim simplex in novem comoediis legatur, „adplaudere“ ut h. l. in Pseudolo et in Truculento legitur; in Men. B „plaudite“, C „adplaudite“ habet.

COMMENTARIUS

IN

CAPTIUOS.

Captivorum argumentum huiusmodi est. Quum bellum esset inter Ætolos et Eleos, Philopolemus Hegionis Ætoli filius ab Eleis captus est. Pater sperans fore, ut permutatione captivorum facta filium recuperet, Eleos captivos commercatur; inter hos Philocratem, nobilem Eleum, una cum servo eius Tyndaro. Sed inter dominum servumque convenerat, ut servus domini, dominus servi personam indueret. Quo fit, ut quum Hegio servum æstimatione facta in patriam remittere constituerit, ut filium suum inveniret et de redemptione aut permutatione ageret, dominum pro servo dimittat. Mox fraude detecta furore incensus Tyndarum compedibus vinctum in lapicidinas coniicit. Sed hic Tyndarus ipsius Hegionis filius erat, quem ante viginti annos fugitivus servus furto secum abstulerat. Sic pater nescius in suum ipse filium sævit, hominique optimo propter egregiam erga dominum fidem gravissimæ pœnæ infliguntur. Verum ne diu maneat fortunæ iniquitas, brevi revertitur Philocrates ex Elide et filium Hegionis secum ducens et servum illum, qui cum altero puero olim aufugerat. Quo facto Tyndarus agnoscitur et libertatem patremque recuperat.

Fabula optima et elegantissima a ceteris comœdiis non nihil differt. Poeta ipse in epilogo pudicitiam eius laudat, ac sane eo nomine omnibus præstat. Nec enim in amatorio, ut pleræque fabulæ, versatur argumento, sed in pietate patris, in filio amisso et contra omnem spem recuperato. Quod quum et ipsum frequens comœdiarum antiquarum argumentum sit, tamen plerumque cum illo altero coniungitur; hic solum spectatores moratur, et ita quidem, ut nemo quidquam præterea desideret.

Sed qui ea de causa hanc fabulam ad aliud genus referendam, mediæque potius quam novæ comœdiæ adnumerandam putarunt, sine dubio errarunt. Immo si temporum notas secuti quærimus, quo sæculo verisimile sit tale bellum fuisse inter Ætolos et Eleos, rerum memoria maxume ad tempus post Alexandri magni ætatem nos ducit, quo Ætolorum fœdus subito crescens vicinos populos vi sibi adiungere conabatur. Tum Eleos verisimile est Ætolorum impetus armis repulisse, quamquam iidem postea, quum Arato duce Achæorum potentia totam Peloponnesum sibi adiungere studeret, Ætolorum amicitiam et societatem amplexi sunt.

In argumento serio et ad risum movendum parum apto tamen non desideratur persona ridiculi causa inventa, parasitus. Quum ex aliis scriptoribus tum ex sexto Athenæi libro satis constat, hoc nomen proprie honorificum fuisse eosque significasse, qui ad epulas sacrorum publicorum causa factas adhiberentur, postea vero scurras indicasse, qui ad convivia admitterentur, ut ridicule dictis et factis convivas oblectarent, pauperes fere homines, qui ad nullam rem utilem apti, ventris causa quidvis facere et pati parati essent; quare protervi adulescentes sæpe non tam ut lepores et ridicula eorum admirarentur, quam ut haberent, quibus impune illuderent (vid. ad v. 88), convivii eos participes faciebant. Eiusmodi adulatores sive κόλακας iam antiqua comœdia Epicharmi et Eupolidis in scenam introduxerat, quorum egregia fragmenta Athenæus VI, p. 235 sqq. affert; sed parasitorum nomen et prope constans persona, nigro capillo nigroque aut pullo pallio amicta (v. Polluc. IV, 119 et 148) a media comœdia initium cepit et ad novam traducta est. Ibi autem tam frequens usus eius erat, ut si abesset, magis mirandum esset, quam si adesset. Qui igitur a Captivis propter argumenti gravitatem parasitum non solum abesse maluerunt, sed etiam a Græca fabula, unde Romana efficta est, abfuisse putarunt, totum hoc comœdiæ genus parum considerasse videntur.

Captivos Camerarius ceteris omnibus Plauti fabulis prætulit, Lessingius autem (Kritik über die Gefangenen des Plautus) omnium, quæ unquam in scena actæ sunt, fabularum præstantissimam esse censuit. Cui iudicio quum hodie perpauci accedant,

tum ipsa fabula nequaquam tam multos imitatores invenit quam Aulularia aliæque Plautinæ. Dunlopius (History of Roman literature I, p. 172) antiquam Anglicam fabulam „The case is altered" hinc ductam esse dicit; tum Rotrou, poeta Gallus „les Captifs" scripsit, et non nulla etiam Ariostii fabula „I Suppositi" hinc mutuata videtur. Avorum autem nostrorum memoria gravitas huius fabulæ admodum placuit; nec iniuria ab hoc fonte ductum putatur genus illud, quod Galli „la comédie larmoyante" appellarunt, et in Germaniam translatum Iffiandii et Kotzebuii ingenia excoluerunt.

Captivos multi viri docti separatim ediderunt, hoc quidem sæculo Avellinus Neapoli 1807, Bosscha Traiecti 1817, Lindemannus Lipsiæ 1823, 1830, 1844, Ekius Lundæ 1853, Geppertus Berolini 1854, Brixius, Lips. 1864, ed. tert. 1876, nostratium autem O. Wormius (ed. post mortem eius 1834) et ego Hauniæ 1869. Ad hanc autem editionem præter ea, quæ attulerunt superiores, mihi præsto fuerunt collationes, quas ipse feci, codicum B et I (v. Proleg. p. 157 et 155), quorum illius varietatem contextui subscripsi, hunc, quoniam accurata codicis D collatione careo, pro ceterorum codicum vicario habui. In B animadvertendum est priorem fabulæ partem, usque ad v. 190, eadem elegantia qua superiora scriptam esse, a v. 191 alius librarii manum excipere minus exercitatam. Ambrosiani palimpsesti (A), cuius testem habemus Geppertum, ad hanc fabulam duo tantum folia pertinent, quorum prius continuit vv. 899 ad 926, posterius extrema fabulæ a v. 1018, sed ita ut post v. 1024 nihil omnino legi potuerit et ceterorum perpauca. Huius quoque discrepantiam textui subnexi.

Personarum nomina nihil admodum memorabile præbent. Ex Græca fabula immutata retinuit Latinus poeta. Qui Ἀριστοφῶν Græce erat, Latine *Aristophontes* fit, nomine ad casus obliquos formato, ut Bellerophontes dicitur non minus quam Bellerophon, cf. Bergk. Zeitschr. f. Alterthumsw. 1850, p. 335. *Ergasilus*, i brevi, formatum ut Ὀνήσιλος, ironice parasitus appellari videtur, quasi operosus aut industrius. *Stalagmus*, quod fugitivi servi nomen est, Guttam significat, et sic Athenienses τὸ μικρὸν παντελῶς

ἀνθρωπίον appellabant, v. Athen. VI, p. 242 e, unde hunc quoque parva statura fuisse coniicias.

Argumentum

acrostichon, v. Proleg. p. 150. Qui hoc composuit antiquitatis imitator, *Capteiuei* scripsit repetito diphthongo, qui quum in ultima syllaba et Lucilianæ legi accommodatus est et titulorum antiquorum auctoritati, in syllabis penultimæ similibus rarius occurrit. — 1. *Captus est* codd. ut fere semper; nos cum plerisque editoribus iunctim scripsimus, ubi iunctim pronuntiandum est, nec in varietate scripturæ hoc amplius afferetur. Post *pugna* hiatus in cæsura, cf. Studem. Herm. I, p. 309. — 2. *Alium*, i. e. alterum, cf. v. 9. — *quadrimum* ex 8 et 754. — 3. *captiuos commercatur*, v. 100. *Aleos*, Eleos, v. Capt. 27. — 4. Versus claudicat; Lambinus extremo addidit „suum"; possis etiam „sibi" addere, aut ut Müller. „domum". Brugman. et Brix: „gnatum captum recuperet". — 5. *Et ibi* B manu prima; secunda *in* suprascripsit, et D et I: „inibi"; *in ibus* em. Gulielm., v. ad Curc. 506. — 7. *uorsa*, mutata. — 7. *Ut amittatur*, v. Capt. 36. Oppositionem proprie requirere, ut „ille" adderetur, animadvertit Brix. — 8. *Indicio quoius*, cf. Arg. Curc. 8: „Ornatu quoius". Apud Plautum ipsum talis verborum ordo non invenitur, ac dubitari potest, an utroque loco „que eius" scriptum fuerit. Lucret. I, 149: „Principium cuius".

Prologus

Captivorum non ab ipso Plauto conscriptus videtur, sed aliquanto post eius ætatem, quum fabula denuo relata est, v. Proleg. p. 163. De persona prologi v. ad Asinar. 1.

1. Fabula agitur ante Hegionis ædes. Ibi captivi duo, quos nuper emit, Philocratus et Tyndarus, vincti adstant. Ab his prologus argumentum fabulæ narraturus initium facit, eorumque alterius Hegionem patrem esse dicit. *Hos quos*; demonstrativum pronomen ad relativum accommodatur, v. ad

Amph. 1002 et infra 110, qui versus prologi scriptori obversatus est. — 2—3, parenthesis fuisse videtur frigidum aliquem iocum prologi continens; sed *Illi* corruptum est, nam sive pro adverbio capias, post *hic*, sive pro pronomine, ante *hi* vitiosum sit. Fl.: „Uincti quia astant" coni. — 3. *Hoc* emendator codicis B; ceteri „Vos quos". — 5. *suo sibi*, v. ad Amph. 265. — *operam datis*, cf. 54. 612. Asin. 14. 446 cum annot. Trin. 5. Mil. 774: „purgatis ambo damus tibi operam auribus". al. — 8. *Alterum* cum syncope pronuntiandum videtur, Prol. p. 211. *surpuit* item, Prol. p. 210, cf. infra 754. — 9. *uendidit* ultimam producit, v. Prol. p. 196. *Alis*, i. e. Elis, Dorica forma, in hac fabula constanter, cf. 24 sqq. — 10. Post *patri* hiatus, v. Prol. p. 219. Geppert: „Huius patri. Iamne hoc tenetis?" quia „Iamne" sic Poen. 116. Amph. 481, sed inde non sequitur interrogandi particulam semper ponendam esse, v. ad Amph. 718. — *Optumum est.* Spectatores enim nutu significarunt, se illud tenere. Unus tamen ex ultimis et remotissimis renuit vel etiam voce obstrepit; scilicet parum clare audivit. Eum histrio abire iubet potius quam se ita clamare cogat, ut rumpatur et voce fracta mendicari cogatur; quid enim aliud facere potest histrio voce amissa? Itaque hic de spectatore molesto idem queritur, quod prologus Phormionis, v. 18, de poeta malevolo Terentium exagitante: „Ille ad famem hunc ab studio studuit reicere"; eumque similiter alloquitur atque Plautus Mil. 81 sq.: „Qui autem auscultare nolet, exsurgat foras, Ut sit ubi sedeat ille, qui auscultare uolt". Hoc intellecto Bentleius ad Ter. Heaut. prol. 31 „discedito" scripsit pro *accedito*, quod codd. præbent; facilius Both. *abscedito*. Ritschelius quidem in Parerg. p. 222 codicum scripturam defendere conatur, ultimumque illum putat ab histrione invitari ut propius accedat, nam si sedendi locus non sit, tamen in præcinctione theatri stare eum posse; quibus recte obiicit Ekius (quicum consentit Spengel. Philol. XXIV, p. 175): „si nihil aliud quam clamandum et strependum fuit, ut popello, qui remotissime stans spectabat, in gradus scenæ propiores accedere liceret, quis non clamaret?" Et, quod gravissimum est, *ambulare* non stare significat, sed abire, v. ad Asin. 107 (locis ibi

allatis add. Pers. 251. 748). Quod quum recte intellexisset Dombart. ap. Brix., nimis contorta enarratione „accedito“ tuetur. — V. 11 numeros non explet; nos „Tu uero“ addidimus; alii aliter. Lindem. „Negat hercle illic“. Ritsch. „Negat hercle uero“. Gepp. „Negat mehercle illic“. Spengel. „Negauit hercle“. — 13. *mendicarier*. Deponentem formam Non. p. 138 affert ex Vidularia: „Malim moriri meos quam mendicarier“. — 14. *me non rupturus sum*, cf. Cic. ad Fam. VII, 1, 4: „dirupi me paene in iudicio Galli Caninii“. Hor. Ep. I, 19, 15: „Rupit Iarbitam Timagenis æmula lingua“. Plaut. Casin. 758: „dirupi me cantando hymen“. Merc. 137: „Tua causa rupi ramices“. Poen. 543. — 15. *ope* sua (i. e. suis opibus, sua pecunia) *censeri* locupletes dicuntur, qui in theatro sedebant, senatores in orchestra, equites ceterique in gradibus post orchestram surgentibus, ibi quoque non nulla dignitatis ratione habita, locisque per dissignatores attributis, v. Poen. 19. Infima plebs, quæ capite solo censebatur, in ultimis theatri locis fere stans spectabat. — 16. *relicuum* v. ad Asin. 231. Lusus ex ambiguo quasi non de reliqua argumenti parte, sed de residuo æris alieni nondum soluto sermo esset, qua significatione „reliqua“ sæpe dicuntur apud Ciceronem. Cf. Cist. 185 sq. „Nunc quod relicuum restat uolo persoluere, ut expungatur nomen, ne quid debeam“.

17. *dixeram*, v. ad Amph. 379. — 20. *Peculiarem*, v. ad Asin. 536. infra 977. 983. Ulpianus in Digest. XV, 1, 7, 3: „Pupillum autem tam filium quam servum peculium habere posse Pedius libro XV scribit, quum hoc, inquit, totum ex domini constitutione pendeat“. — *quasi*, fere. Brix. conf. Most. 613: „quasi quadraginta minas“. Ter. Heaut. 145. — 21 sq. *Enimuero* olim emendatum. „Digressiuncula brevissima“ inquit Lamb. „qua significat homines huc illuc iactari arbitrio deorum tanquam pilas“. Abesse potuisse hanc digressiunculam libenter concesserim, sed post v. 34 aptiorem esse Geppertio et Brixio non concesserim, præsertim quum immutata illuc transferri non possit. Gepp. quidem pro *Hic* posuit „Sic“; Brixius autem toti versui 21 versum 50 substituit; neutrum subiecti mutatio offendit. Ad rem autem Br. affert Græcum proverbium: *θεῶν παίγνια ἄνθρωποι*.

— 24. *quom* scripsi Geppertium secutus. *Aleis* (Aliis) olim emendatum, cf. 31. Hiatum ante hoc nomen reliqui, cf. Proleg. p. 223, cuius tollendi causa Gepp. „Posthac quom" ed., Fl. „autem Ætoli", Müll. „Ætoli olim". — 27. *hic*, Hegio. Gepp. ante hunc versum alterum excidisse putavit, velut: „Utroque orbatus filio senex miser". Quo vereor ne non librarium, sed scriptorem correxerit. — 28. *posset* cod., Fl. „possit", vix opus, vid. ad Amph. 192. *cum* iam Acidalius delevit, cf. 171. — 29 Gepp. post v. 33 posuit; Br. pro spurio delevit; equidem nihil muto. — 30. *indaudiuit* Gulielmus restituit, ut Merc. 930. 933; idem restituendum est Most. 532. Mil. 444; Stich. 81. — 31. ante *Aleum* hiatus, Fl. „ex Alide". Gepp. „adulescentem Aleum". Müll. „Summoque genere natum captum esse Aleum". — 33. *Reconciliare*, v. ad 131. — 34. Fl. transp.: „de praeda hosce", Schmidt. de pron. demonstr. „Hosce emit". Sed restat aliud vitium in duplici *de*, quod quum idem v. 111 recurrat, v. 452 legitur: „de praeda a quaestoribus", quod ad ceteros quoque locos transtulerunt Fl. Gepp.; mihi consideratis omnibus, quæ accurate exponit Studemund. Annal. phil. 1876, p. 67 sq., facilius visum est, quod ille proponit, *e praeda*. Producitur ultima verbi *emit* ut v. 9. De *quaestoribus* cf. Bacch. 1072. — 35. *Hisce*, Plautina nominativi forma ante vocales, v. Schmidt. pron. demonstr. p. 25. Commemoravit Priscianus XII, 26, p. 593 H; in antiquioribus titulis autem legimus nominative casu „heisce magistreis", v. Corp. Inscr. Lat. I, n. 565 sqq. atque etiam „heis" ibid. 1059. 1071. — 36. *is seruus* cod. I; „hic" emendator codicis B. — *amittat*, dimittat, v. ad. Asin. 604. — 39. *ille* Gepp. Fl. — 44 sq. cf. Ter. Hec. extr.: „Equidem plus hodie boni Feci imprudens quam sciens ante hunc diem umquam". — 48. Offendit *hi* nunc demum positum, quum in principio sententiæ desideretur, quare Fleckeis. ed.: „Sed inscientes hi sua sibi fallacia", et hunc versum uncis seclusit. Damnavit etiam Brixius, nec mihi placet, sed reliquo prologo non absimilis videtur. Multo minus cum Lorenzio, Philol. XXX, p. 433 omnes vss. 46—49 damnaverim. Gepp. pro *de* „sunt", quo carere posse videmur, v. ad Amph. 590. — 49. *ad*, apud,

v. ad Asin. 818. — 50 plus iusto similis v. 21. — 51 effictus videtur ex Rud. 155: „Homunculi quanti estis!“ Etiam prologo recentiorem et „ex interpellatione fœdissima irrepsisse“ censet Fl. Ep. crit. p. XX. — *quom recogito*, cf. Curc. 375. Merc. 730. Stich. 301. — 52. Hoc, inquit, argumentum est; hanc rem agemus; vobis autem, addit facetias quærens, non res, sed fabula agetur. — 55. „*pertractate*, usitato et vulgato more“ Lamb. cf. 1026. — 56. „*inmemorabiles*, memoratu indigni, infandi“ Gron. — 59. *esse*, quod librarii errore in antecedentem versum migravit, huc pertinere olim intellectum est. — 60. *fient* codd. præter B. — 61. *paene iniquomst* etc., i. e. vix deceret, si comico instrumento et apparatu scenarum tragœdiam ageremus; sic enim recte *choragium* interpretatur epit. Festi p. 52. Glossa Plautina apud Loewe Analect. p. 221: „ornatus mimicus“. Cf. etiam Rhet. ad Heren. IV, 50: „choragium gloriæ“. — 63. Scurriliter addit, si quis pugnæ cupidus sit, eum lites contrahere oportere, et maxime quidem cum valentiore. — 65. *faciam ut inspectet*, i. e. faxo inspectabit, profecto inspectabit. — 67. *iudices iustissimi*, cf. Amph. 16: „aequi et iusti hic eritis omnes arbitri“. Acidalius recte iunxit „domi iudices iustissimi, belli bellatores optimi“; nec ideo opus, ut cum Gepp. *que* deleamus.

---

69. Fabulam orditur parasitus ingenium suum expromens prorsus ut in Menæchmis: „Iuuentus nomen fecit Peniculo mihi“. cf. Antiphan. ap. Athen. VI, 238 e: *καλοῦσι μ᾽ οἱ νεώτεροι διὰ ταῦτα πάντα σκηπτόν.* *Scortum* appellari se ait, eiusque nominis rationem repetit ex ambigua significatione vocis *inuocatus*; nam et ipse invocatus, i. e. non vocatus, in conviviis edere solet, et scortum invocatum dici potest, ubi invocatur. Solebant autem amatores inter bibendum et ubi talos iaciebant puellæ nomen invocare, v. ad Asin. 772. — 70. *Eo quia in* pro dactylo legenda; 71. *Scio absur* pro anapæsto. — 72. *aio* olim recte emendatum; I ceterique „dico“. — 72 sq. *scortum* bis poni in eadem sententia non potuisse apparet. Plerique priore loco delerunt et voc. *Sibi* in superiorem versum retraxerunt; ego retenta

versuum discriptione malueram: „Nam certe in conuiuio Sibi amator, talos quom iacit, scortum inuocat“; iam Seyffertium secutus, Philol. XXIX, p. 396, posteriore loco *suum* substitui. Fieri potest ut lacunam invenerit librarius, nam vitium h. l. contraxisse membranum apparet ex proximo versu, ubi iam antiqui edd. viderunt excidisse verbum substantivum. Editur autem vulgo: „Estne invocatum an non est? Est planissime“. Sufficit unum *Est*, si hiatum in cæsura admittas. — 75. *uero* iam antt. edd., cf. Curc. 375. *planius*, sc. invocati dicimur, cf. Truc. 168: „An me mortuum arbitrare? A. Qui potis amabo planius?“ 625: „Quo pacto excludi, quaeso, potis est planius?“ Cist. 150. — 77. *Quasi mures*, cf. Pers. 58: „quasi mures semper edere alienum cibum“. Similiter Diogenes quum mures mensæ suæ subrepentes vidisset, Ecce, inquit, etiam Diogenes parasitos alit, v. Diog. Laert. VI, 40. — 78. *Ubi res prolatae sunt*, ubi res sive causæ forenses et iudiciales in aliud tempus reiectæ sunt, quod fiebat vel propter ludos et ferias vel propter anni tempus nimio calore molestum, quum Romani nobiles urbe relicta rus proficisci solebant; cf. Cic. p. Muren. 13, 28. ad Q. f. III, 8, 4. ad Attic. VII, 12, 2. — 80. *quasi*, v. Amph. 159. *caletur*, cf. Trucul. 67: „quom caletur maxume“. Priscian. VIII, 26, p. 393 H. — 83. *occulto* correpta prima, v. Proleg. p. 199. *miseri* cum antecedentibus iunxi suadente Brixio, qui confert Merc. 794. Rud. 561. — *suco suo*; deteriorum codicum ordo versus causa præferendus erat. — 84. *rurant*, rusticantur, quæsita alliteratione. — 85. *canes*, quod in codd. ultra numerum additur, antiqui edd. pro interpretamento delerunt, recte; Fl. Br. in proximum versum transtulerunt deleto voc. *res*. Et inusitate dici *res redire* apparet, sed parasitum sic loqui potuisse non negaverim, nec Bothium et Lindemannum probo „rure“ scribentes. *Venatici* canes graciles et macri, *Molossici* pingues et obesi; nam fere domi manebant et domus aut gregis custodiendæ causa alebantur. — 87. Odiosos et incommodos parasitos dicens, inde quoque comico more gentilicia nomina format. — 88. *hic*; Calydone res agitur, sed Plautus v. 90 suo more Romana loca admiscet. — *colaphos*, alapas. Iniurias adolescentium gravissimas parasiti sæpe patiebantur,

v. infra 470; Ter. Eun. 244: „ego infelix neque ridiculus esse neque plagas pati possum". Apud Athen. VI, 238 c Aristophontis parasitus „si oportet" inquit „ὑπομένειν πληγὰς, ἄκμων sum"; Diphilus autem ibid. VI, 262 a non, ut vulgo, ψωμοκόλακον sed ψωμοκόλαφον dixit. Alciphr. III. 6: οὔτε τὰ ῥαπίσματα οἷός τ' εἰμί φέρειν καὶ τὴν ἄλλην παροινίαν etc. Peloponnesiorum magis quam Atheniensium talem feritatem esse idem ait III, 51. Nihil autem frequentius quam ut parasito pocula in os iniicerentur, v. Alciphr. III, 45: ἀκούω γὰρ τὸν καταπύγωνα καὶ Θηλυδρίαν περικατεάξαι σου τὴν φιάλην ὡς τὰ θραύσματα λωβήσασθαί σοι τὴν ῥῖνα καὶ τὴν δεξιὰν σιαγόνα. Itaque hoc loco patiendum esse dicitur *frangi aulas in caput*; Pers. 61: „iis cognomentum erat duris capitonibus". Cf. Curc. 396. Amph. 1030. — 89. Pro corrupto „potes" olim „potest" scriptum; Camerarius demum *potis* omisso verbo substantivo. — 90. De primo versus pede, *Uel ire ex*, v. Proleg. p. 181. Fl. Gepp. Br. „Uel extra .... ilicet", iusto licentius. *extra portam* et cett. codd. et B sec. m. *Porta trigemina* inter Aventinum montem et Tiberim sita erat, v. Becker, Handb. d. röm. Alterth. I, p. 157. Salinas ibi fuisse novimus; *Saccus* quid sit, ignoratur. Longolius locum fuisse putabat, ubi pauperes stipem mendicantes sederent; sed testimonia desunt, nam Trin. 423 huc non pertinet. Qui vero *ad saccum ire* „peram mendicorum capere" enarrant, vix verum viderunt. Parasito si parum succedit ars parasitica, duo restant, aut ut mortem sibi consciscat, ut ille Alciphr. III, 51, aut ut laborem et opus faciendum suscipiat, ut Alciphr. III, 7: ἐπ' ἐργασίαν τρέψομαι καὶ Πειραιοῖ βαδιοῦμαι τὰ ἐκ τῶν νεῶν φορτία ἐπὶ τὰς ἀποθήκας μισθοῦ μετατιθείς. Hic quoque laborem significari arbitror. Extra portam trigeminam, ubi Romæ portus erat et merces navibus adjectæ exponebantur, frequens baiulorum usus erat. — 92. *Nam* delevi; ortum videtur ex initio v. 94. Editores hoc retento vss. 93—97 pro parenthesi capiunt, structura durissima minimeque Plautina; Brixius vv. 93—94 delevit, quasi ex prologo, non qui nunc extat, sed vere Plautino adscitos: mihi verisimilius videtur, Plautum nullum prologum scripsisse, sed Ergasilum ea, quæ spectatoribus narranda esse videbantur, hic exposuisse. — *rex*, v. ad Asin. 910. *est potitus hostium*,

in hostium potestatem venit, v. ad Amph. 175. infra 144. — 93. *Ita*, ut capiantur opulentissimi homines. *cum* non coalescit, v. ad 24. — 94. Numeri corrupti; Fl. „illist captus in Alide", Gepp. „captust illi in Alide"; ego aut *captus* aut *in* deleverim. — 96. *lamentariae*, lamentorum causa. — 98. *hic*, Hegio. Honestum virum parum decuisse captivorum mangonem esse facile intelligitur, et infra 129 cum custode carceris comparatur. Quod animadvertit Brixius ne Catonem quidem ab hoc quæstu abstinuisse, is in suum usum servos emit, v. Plut. Cat. mai. 21, 1. — 101. *qui* Scioppius emendavit, cf. 28. — 102—107. Versus incuria omissi ex margine in proximum scenam migrarunt; huc pertinere Acidalius vidit. 102. Numerorum causa Pylades „ego quidem"; Fl. voc. „senex" addebat, Spengel, Philol. XXIV, p. 350 „cupide", cf. Cas. 245: „quid istuc tam cupide cupis?" — *nimis quam*, cf. Most. 501. — 104. Versus claudicat. Fl. „Nulla iuuentutis spes est"; Müller. „Nullast spes in iuuentute"; Br. „nec ullast"; ego: „Nullast spes iam inuentutis". — 105. *antiquis*, probis, quo nomine vulgo antiqui laudantur, cf. Trin. 295: „moribus uiuito antiquis". Ter. Ad. 442: „antiqua uirtute ac fide". — 107. *Condigne*, similiter, v. Aul. 457. — 109. *saturitate ebrius*. Parasitum loqui videas, cf. 859. 871; Casin. 699: „cena ebria". Spengel. Philol. XXIV, p. 735 „Unde satur atque saepe etc." scribebat.

110. Hegio domo sua progressus eum servum alloquitur, cui captivorum custodia mandata erat; *lorarium* codd. dicunt. *istos quos*, v. 1. — 111. *e praeda*, v. 34. — 112. *Is*, i. e. iis, scripsi Seyffertium secutus, Stud. Plaut. p. 17, cf. Prolegg. nostra p. 212. — *singularias*, simplicis ponderis; antea duplicis aut maioris habuerant; sed dominus inhumanus non est; modo serventur captivi, eos vexari non vult. — 115. *uti* iubentis est, vide ut, cf. Epid. 275: „At ut eam te in libertatem dicas emere". 276: „ut aliquo ab urbe amoveas". — 116. *Liber captiuos*, i. e. captiuus liber factus. — *ferae* I aliique. — 118. *post illam* codd.; edd. vulgo „postilla", Ritsch. Opusc. II, p. 545: „postillac". — 120. *Non uidere* cett. codd. „Nam si re vera liber esse quam servire malles, frugi fores et operam dares ut comparares peculium, quo te redimeres" Gr. — 121. Luditur in vario usu

verbi *dandi*. At inquit, non habeo, quo me redimam. Num vis, ut aufugiam? „*in pedes* se conferre", v. Bacch. 371; „in viam quod te des" Cic. Fam. XIV, 12. Pl. Cas. 882: „hac dabo protinam [me] et fugiam". — 122. *Si dederis*, sc. te in pedes. — *quod dem*, magnum malum. — 123 sq. Versus ineptissimi; nam si avis aufugerit, quo modo eam in caveam includet? Itaque Lamb. „ne faxis" scribebat. Sed versus manifesto spurii sunt; nec enim *prædixisti* propter metrum ferri potest, qui autem „prædicas" reponunt, orationi nocent, nec *Ita ut dicis* Hegio respondere potuit; nam quod Brix. affert, Ter. Phorm. 396, longe aliud est. — 127. *quipiam* ex B receperunt Fl. Br. ed. pr.; cett. *quippiam*, rectius, cf. Rhet. ad Her. IV, 50, 63: „ne quid isti barbari turbent". Brix. contulit Most. 1016: „Num quid Tranio turbauit?" Bacch. 1088. Cas. 818. — 128. *Inde*, v. Proleg. p. 203.

129. *Aegre est*, v. ad Amph. 903. — 131. *conciliare* proprie est coniungere, adsciscere, v. Mil. 801; sed apud Plautum sæpe emendi vim habet, ut Epid. 468: „Conciliauisti pulchre". 644: „sororem in libertatem opera concilio mea". Pers. 538. Inde reconciliare est redimere, v. 33, 168. 576. — 133. *Quis his loquitur?* v. Proleg. p. 181. — 134. *et*, v. ad Asin. 564. — 135. *Ossa atque pellis*, cf. Aul. 556. *miser a macritudine* codd., quod fuerunt qui Livianis exemplis (v. Madv. Gr. Lat. 256, not. 1) defenderent, quamquam non prorsus similibus, quasi propter macritudinem. Camerar. „misera macritudine", quod probat Spengel., Phil. XXIV, p. 350. Nos cum antiquis edd. et Lindemanno Nonium secuti p. 136 præpositionem omisimus. Fl. Gepp. Br. „miser aegritudine". — 137. „Id quod foris" inquit „gusto, aliquantillum etiam beat", i. e. eius nondum amisi voluptatem. De ordine verborum cf. Aul. 112. *beat*, cf. Mil. 470. — 138. *Ergasile* cett. codd. — 139. Alterum *ne* versus causa delevit Both. — 145. *fuerit* iam in B emendatum. — 148. *Alienus ego?* Fleckeis. mutato ordine „Ego alienus". Quod ut in Cicerone et Propertio probarem, ita in Plauto legem non agnosco. Sed *illi* alienum scribendum esse vidit Geppert. — 151. *quom*, v. ad Amph. 636. — 152. *habe bonum animum*, causam videas v. 167; quominus statim afferat, impedit Ergasili interruptio. Ceterum

hiatur et post „animum“ et post „Eheu“. — 153. *Quia* i. e. quod, v. ad Asin. 55. — 155. Hegionem non fallit, qua de causa parasitus filium amet. Eius agendi rationem, quæ ciborum stragem facit, cum bello comparat. Deficiente epularum copia et apparatu *exercitum remissum* dicit, ut nulla amplius res geri possit. (Quod etiam in centuriatis comitiis exercitus imperari et remitti dicitur, huc non pertinet.) *dixi* Lamb. em.; Fl. Br. deteriorum codd. scripturam prætulit: „dixti“, eaque de causa priora Hegionis verba: „Huic ... exercitus“ parasito tribuerunt, quod et contra codd. nec recte fit; nam parasiti illudendi initium non ab ipso, sed ab Hegione fieri debet. — 156 sq. Si *quod obtigerat* ab initio scriptum fuit, hoc glossema sit necesse est, ac delevi in priore editione, in altero versu „posteaquam“ pro postquam scribens; idemque iam Pylades fecerat. Lambinus pro *quod* scripsit *quoi*, quasi „ut cuique“; „omnes, suo quisque loco, cui provincia obtigisset“; quod quamvis plerique defendant, tamen Latine vix dici potest. Immo si *quoi* verum est, necessario amplectenda est Brixii ratio posteriores versuum partes permutantis; id quod iam probo, quia repetitio „fugitare hanc provinciam“ minus offendit, si statim sequitur, quam si versus intercedit. „Quoi“ autem cum proxima syllaba coalescit, cf. Aul. 75, et versus a duobus dactylis incipit. — 158. *fugitare* sc. eos, ne cum Gepp. „fugitari“ scribas. — 159. *multigeneribus*, cf. Stich. 384: „unguenta multigenera multa“. Manet in similitudine exercitus, copiasque enumerans, quibus ad cenam opus sit, nomina iis imponit quasi militibus ex suo quibusque oppido profectis. Non pistores aut pistorum opera dicit, sed *Pistorenses*, quo audientibus in mentem veniret Pistoriensium Etruscorum. Pistorum varia genere et nomina ex titulis collegit Marquardt, Privatalterthümer II, p. 29; eorum hic duo genera commemorantur, qui panem et qui placentas faciebant; inde *Paniceos* et *Placentinos* nominat, hos quasi Placentia ex Gallia Cisalpina oriundos, illos fortasse ignoti alicuius oppiduli nomen referentes, v. Vissering, Quæst. Plautin. I p. 77 sq. Tum turdorum causa *Turdetanos* nominat, Hispaniæ populum, ficedularum causa *Ficedulenses*, qui ubi habitaverint ignoratur; propter piscium varia genera *maritimos omnes milites* quasi homines ex

ora maritima postulat. — In v. 160 aut post *dum* hiandum aut „opus est“ legendum. — 165. Facete parasitus Hegionem imperatorem optimum prædicat et, quod privatus sit, queritur. — 167 a proceleusmatico et tribrachy incipit. — 168. *in his diebus*, cf. Trucul. 633: „in diebus pauculis“. Pseud. 316: „in hoc triduo“. — *reconciliassere*, reconciliaturum esse, v. Madv. Gr. 115 f. — 169. Hiatur et in cæsura et ante ultimum creticum; Fl. Br.: „captiuom hunc adulescentem emi Aleum“. — 170. *diuitiis* duas primas syllabas contrahit, v. Proleg. p. 214. — 171. *me mutare confido fore* pro „confido fore ut mutem“ Latinum non est; *pote* scribendum esse, ut Aulul. 301, vidit Müller. Annal. philol. 1866, p. 503.

173. *Uocatus es* Both. — 174. *Quia mist natalis dies.* Luchs., Herm. VIII, 106: „quia mi hic natalist dies“, vix necesse. Natalem diem, *τὰ γενέθλια*, non solum Romanos, sed etiam Græcos pro festo celebrasse, de quo iniuria dubitarunt viri docti, comœdiarum loci ostendunt, v. Pseud. 164. Pers. 767. — 175. Post *uocari* hiatur; Gepp. „uocatum esse“; Fl. Br. melius: „ad me ad cenam“, quamquam corruptela cod. B hoc non firmat; nam „ad te“ nihil aliud est quam „ad ce“ male lectum. — 176. *Facete dictum*, laudat ut ipse laudari volebat. — *Pauxillum contentus* (sic cett. codd.). Lambin. „pauxillo“ emendabat. Lindem. respondet: „Male et ex interpretatione. Pauxillum contentus non significat parvo contentus, sed aliquatenus contentus“, et his accedit Brix. Immo illam sententiam locus necessario postulat, nec si accusativus semel positus esset, ab emendando abstinerem, sed cautum reddit eadem forma proximo versu repetita. Ac fieri potest, ut antiqua lingua eadem vi accusativum posuerit, cf. ad Amph. 712, ad Asin. 148, ad Curcul. 136. Eadem Fleckeisenii sententia fuit, qui Philol. II, p. 96 sq. hunc locum optime tractavit. — 177. *Ne perpauxillum modo*, i. e. modo ne p., cf. Ter. Ad. 835: „Ne nimium modo etc.“ Tibul. II, 3, 67: „ne sint modo rure puellæ“. Omisso „modo“ Pl. Pers. 447: „Iam faxo hic aderit“. TO. „At ne propalam“. — 179. *Age* olim recte emendatum; cetera edd. prava personarum distributione, plerique etiam assumpta Acidalii emendatione „Emin' tu“? ita corruperunt, ut intellegi non possent. Exempli causa Linde-

manni enarrationem afferam: „Dixerat Hegio: Age sis, roga, quanti, i. e. quam laute mecum cenare velis. Cui respondet parasitus nihil curans pretium: Empta res est; caute tamen addit: nisi qui meliorem conditionem afferet". Nec multo proficitur, si aut cum Salmasio „rogo" scribas aut cum Gepp. „rogan". Immo nihil mutandum, ut unus Palmerius intellexit. Codd. B et I omnia recte non, ut Pareus dicit, Hegioni, sed parasito continuant. Eius est hortatio *Age sis*; is addit *roga emptum*, i. e. emptionem confice, stipulationem fac, qualis est Epid. 467: „MIL. Estne empta haec? PER. Tibi istis legibus habeas licet". *Emptum* substantive ponitur, ut ubi „ex empto agitur", de qua re v. Digest XIX, 1. *Condiciones* autem sive *leges* (cf. Asin. 232) sæpe in emendo addebantur, si addictio in diem fiebat, maxime ubi de *fundis* agebatur, cf. Dig. XVIII, 2, 1: „ille fundus centum esto tibi emptus, nisi si quis intra Kal. Ian. proximas meliorem condicionem fecerit". *Condicio* etiam de invitatione ad cenam dicitur, v. Mart. XI, 52: „Cenabis belle, Iuli Cerealis, apud me; Condicio est melior si tibi nulla, veni". Retinetur imago rei vendendæ etiam in addito *amicis*; nam qui caute rem familiarem administrare volebant, amicos in consilium adhibebant. Sic τῷ *αὐθεκάστῳ* Philodemus de vitiis X, col. 17 obiicit, quod *μηδενὶ προσαναθέμενος ἀγοράζει καὶ πωλεῖ*. — 182. Tu, inquit, non fundum vendis, sed *profundum*, i. e. voraginem omnia haurientem, nam venter tuus numquam expleri potest. Cf. Curc. 122: „barathrum". — 183. „Sed si venturus es" inquit, „mature venito". *temperi*, v. Aul. 446. Parasitus non recusat, quominus vel statim cena incipiat. *Em*, cf. Asin. 333. — 184. Hegio nihilo minus hortatur ut meliorem condicionem sibi quærat. Lautiorem cenam cum lepore comparat, suum cum *ictide*; sic enim legendum esse recte vidit Lælius Brisciola. Est enim ictis mustelæ genus, v. Plin. H. N. XXIX, 4, 16, 60: „Mustelarum duo genera sunt, alterum silvestre, distans magnitudine; Græci vocant istidas". Aristot. H. Anim. IX, 75: *ἡ δ' ἴκτις ἐστὶ μὲν τὸ μέγεθος ἰλίκον Μελιταῖον κυνίδιον τῶν μικρῶν, τὴν δὲ δασύτητα καὶ τὴν ὄψιν καὶ τὸ λευκὸν τὸ ὑποκάτω καὶ τοῦ ἤθους τὴν κακουργίαν ὅμοιον γαλῇ*. Duram carnem eius fuisse apparet ex proximo versu, ubi Hegio suum

victum dicit non molliter incedere sed scruposam calcare viam. *Nam* olim emendatum. „*Conmetare*, conmeare“ Nonius p. 89 Novii et Afranii exempla afferens, cf. Men. 998. Ter. Heaut. 444. — 186. *uinces me*, sc. ut non veniam; similitudine retenta dicet se, quamvis calceatis dentibus opus sit, tamen venturum. Brix. conf. Stich. 751. — *ne postules*, cf. Amph. 782. — *tamen*, v. Amph. 538. — 189. *terrestris*, ex terra nata, ut ipse proximo versu explicat, *multis oleribus*, i. e. multorum olerum, ablat. descript. ut v. 170. Oleribus autem fere pauperiores vivebant, cf. Plin. H. N. XIX, 4, 19, 52: „ex horto plebei macellum“; delicatiores spernebant, cf. Pseud. 816 sqq. Iuven. 11, 78: „Curius parvo quæ legerat horto, ipse focis brevibus ponebat holuscula, quæ nunc squalidus in magna fastidit compede fossor“. Plautus consulto obscurius loquitur, ut parasito respondendi occasio sit, sibi quidem terrestrem victum gratissimum esse, quoniam sus terrestris bestia sit. Planius autem re explicata „isto“ inquit „cibo ægrotos, qui domi tuæ sunt, curato“. — 190. *Num quid uis?* cf. Amph. 538. — *memorem mones*, cf. Stich. 578. — 191. *subducam ratiunculam*, cf. Curc. 371. Non. p. 399: „subducere, supputare“. — 192. *Quantillum.* Non multum restare putat postquam ad captivos emendos tantum insumpserit. — *trapezitam* „tarpessitam“ Plautum dixisse veri simile est, v. Proleg. p. 208. — 193. *quo ire dixeram*, cf. Aulul. 108. — *iuero* olim emendatum.

Postquam abierunt Hegio et parasitus, in proscenio remanent captivi duo et servi eos custodientes (v. 211 sqq.), quorum princeps captivorum dolorem solari conatur. Canticum incipit ab iambicis versibus systematum modo coniunctis, deinde transit in creticos. 195—97 duo octonarii iambici cum quaternario; sed alterius numeri vix integri sunt; in tertio *fuistis* synizesin patitur, v. Proleg. 215. — *exequi*, i. e. perpeti, v. Pseud. 998: „mortem exequi“. Trin. 686: „egestatem“. — — 198—200. Duos octonarios iambicos excipit senarius, cui additur eiulatio. Ultimum et ipsum octonarium facit Studem. Cant. p. 23 scripto: „Ohe! ohe! — 199. *et herili* codd. corrupte. Editorum plerique „et“ delerunt (Fl. „etiam“ substituit), et enarrare conatur Bothius: „eamque per ingenia vestra facere

lenem, i. e. facilem, non renitentem herili imperio". Verum lenis servitus servis tantum esse potest. Lambinus licentius: „Atque herile imperium ingeniis vestris lene reddere"; sed sensum assecutus est; nam Plautus idem dixit, quod aliis verbis Curtius VIII, 8, 8: „Regum ducumque clementia non in ipsorum modo, sed etiam in illorum, qui parent, ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia". Quod quum Acidalius animadvertisset, minus feliciter emendavit: „Feramque erili imp.", nec multo melius Brixius: „Duramque". Pareus „Eamque ex erili imp." scripsit, parum perspicue; Geppert. „Eamque ex rigido imperio", quod esse debebat „ex dura (sc. servitute)". Mihi in mentem venit „Aptamque erili imperio", i. e. dum ad heri imperium accommodatur. — 201 sq. octonarius iamb. cum senario. Pro corrupto *miraclitis* mali quidam codd. „mira cuditis", unde antiqui edd.: „oculis multa misera cuditis", quod frustra defendit Lindemannus. Camer. elegantius: „oculis multam miseriam additis". Pareus: „multas oculos multa Heracliti", ita ut per multam intelligantur lacrimæ Heraclitæ. Gepp.: „oculis multa mira cernitis". Br. „oculis lamenta editis". ego in priore edit.: „Eiulatione haud opus est multa; oculis multam indicitis"; sed prius *multa* non potest non offendere, nec dubitari debet, quin ex altero male præcepto ortum sit; etiam „multam indicere", quod habet Plinius H. N. XVIII, 3, 12, pro „dicere" insolitum est. Quare iam malo: *oculis multam miram dicitis*. Nolite, inquit lorarius, eiulari, ne oculos lacrimando corrumpatis (Amph. 526) itaque oculis vestris multam grandem dicatis. — 202. *In re mala*. Apud Plautum alibi constanter contrario ordine poni „mala res", animadvertit Luchs. in Studem. Stud. I, p. 26; nec tamen ideo correxerim „Animo in male re", quod commendat.

203 octon. iamb. — *quia*, cf. 153. *cum catenis* Grut. em.; Br. confert Cic. Mil. 4, 11: „esse cum telo". Superiores: „concatenati". Ceterum utri ex captivis hæc tribuenda sint, codd. non distinguunt, nec nos audemus. — 204 si recte traditus est, constat ex tripodia troch. catal. et duobus creticis (cf. Studem. Cantic. p. 15). Hermannus trimetrum creticum fecit deleto inutili voc. *uos*, quod, si corrigendum est, et ipse

probaverim. Fl. et Gepp. tetrametrum faciunt, hic „istis si uos", ille „nunc si uos" scribens. — 205 tetram. cret.; *que* del. edd. — *emerit*, de coniunctivo cf. ad Amph. 953. — 206 compositus ex tripodia iambica et cretico. — 207 tetrameter creticus, si corripitur prima syllaba vocis *officium*. Pro *est* Becker in Studem. Stud. I, p. 310 „sit" postulat, sed cf. ad Amph. 696. — 208 comp. ex dimetro cretico et dimetro troch. catal. Ut tetrametrum creticum facerent, Herm. Lindem. Müll. „quam rem agis". Brix. „hanc rem agitis". — *fingitis*, i. e. paratis, cf. Lucil. XXVIII, 57: „sed fuga fingitur. Ut timido pede percitu' vadit!" — 209—10 octonarii trochaici. Fl. epist. crit. p. XXI et Müller. Pl. Pros. p. 71 anapæsticos esse affirmant. Fl. præterea „Fugiamus nos" postulat, v. ad 148. — 210. *dehortor* synizesin non patitur, cf. Proleg. p. 213. Poen. 677: „Neque nos hortari neque dehortari decet". — 211 hexameter creticus. 212 compositus ex cretico et quinque trochæis. *exorare* cum duplici accusativo, cf. Bacch. 1202. Ter. Eun. 185. Andr. 901. — 213—14 tetrameter creticus et dimeter creticus cum clausula duorum trochæorum. *Abscedite* captivis dicit, quorum precibus concedit, *nos* etc. conservis suis; *sed . . . incipisse* iterum captivis, nec transitus in singularem numerum offendere debet. Huius autem verbi pænultimæ cum recc. edd. *i* dedimus ut infra 796. Mil. 230. 239. — 215. *Em* etc. Hæc, quæ B pr. m. Tyndaro tribuit, cum plerisque edd. Philocrati dedimus, quoniam *concede* eundem dicere oportet, qui v. 219 „secede" dicat. Versum autem hunc et proximum, quos coniungit B, cum plerisque edd. in duos divisi. Proxime Müllerum secutus sum, qui Pl. Pros. p. 105 correpta ultima vocis *erat* primum versum anapæsticum fecit; equidem compositum dixerim ex tribus iambis et molosso, proximum autem ex tribus iambis et duobus trochæis. — 217 et 18 cretici videntur. *quom*, v. ad Amph. 636. Ante *quae* omittitur „eorum", vid. ad Amph. 38. infra 264. — Ante *ea* addiderunt „atque" antiquæ quædam edd. et Müller.; sed *compos* apud Plautum alibi semper cum genetivo iungitur, nec copiæ, sed rerum compotes fiunt; quare non dubito quin aliud fuerit, velut: „uosque eorum".

219—23 tetrametri cretici. 220. *arbitrari*, v. Aul. 599. — 221. *Neu* versus causa recentiores edd. — 222. *ni* codd.; edd.

vulgo „nisi“; sed tum non *colas* scribendum erat, verum „celes“, ut in priore editione posui, quamquam hic versus locus vix molossum pro cretico patitur. Iam *etsi* posui, i. e. quamvis, vel etiamsi, ut infra 850. Aul. 413. Trucul. 802. Rud. 1350. *astu*, cf. Poen. 111: „Ita docte atque astu filias quaerit suas“. Pers. 149: „Prænónstra docte; præcipe astu filiæ“. Ter. Andr. 208. Eun. 924. — 223. *id*, sc. quod machineris, parum definite ponitur, cf. Poen. 183 sq. „Quid tu dubitas, quin extempulo Dupli tibi, auri et hominis, fur leno siet Neque id unde efficiat habeat?“ Most. 113: „si quid nummo sarciri potest, usque mantant neque id faciunt, donicum parietes ruunt“. cf. ad Bacch. 1026. — 224 constat ex dimetro cretico et dimetro trochaico, 225 iambicus octonarius est. Hermannus, quem fere sequuntur Lindem. Fl. Gepp., duos tetrametros creticos et dimetrum iambicum descripsit; sed primum versum mutarunt, ut Fl. „Nam si erus tú mihi's átque ego esse mé tuum“. — 226—30 tetrametri bacchiaci. *hoc* delevit Herm. — 227. „inceptu“ Acid.; non opus, nam consilio capto res iam incepta est. — 229. *Nam*; merito eum hoc sperare significat. Versus non bacchio terminatur, sed pæone primo. — 230. *me* addidit Herm. *offerre uilitati*, permittere ut pro uili habeatur. Leporem aliquem in componendis vocabulis poeta secutus est, nam vile caro contrarium est. — 231. Personarum nomina permutanda esse intellexit Guietus. Versum iambicum septenarium edd. fecerunt, Pylades addito „tunc“ post scire, Fleckeis. transpositis vocibus: „At memento scire“. Equidem nihil audeo mutare, quoniam etiam duo versus, qui sequuntur, incertissimi sunt. *homines* spurium videtur, nam Latine dici non potest „homines maxima pars“ pro „hominum maxima pars“, nec simile est Most. 18: „numerum, genus ferratile“, ubi minime otiosa est appositio. Cf. Most. 111 sq.: „magna pars morem hunc induxerunt“. — 234—238 tetrametri cretici. — 235. *Fiunt* Herm. em. — *Nunc* etc. Antea, inquit, dixi (v. 228) me talem futurum esse, qualem tu me esse velles, nunc dico, qualem te mihi esse velim, scilicet memorem beneficii (231), nec quidquam melius aut pietati convenientius suadere possum. Ut *autumo*, ita *suadeo* priore loco scribendum esse iam antiqui quidam edd. viderunt. (Simili

errore Most. 1082 codd. „quod agas, id agas“, ubi olim emendatum „quod agis“.) Quod autem Acidalius, Divinat. p. 93, ante 236 lacunam esse statuit, quamvis recentiores edd. sequantur, probari nequit, nam loco recte intellecto præcedit id ipsum, quod desiderat, admonitio servi, ne herus beneficii oblati immemor sit. — 237. *te si*, hoc ordine iam edd. antiquæ. Tyndarus hero non aliter quam patri se suadere dixit. Immo, respondet Philocrates, tu mihi patris loco es. — 239 septenarius trochaicus, sed malus et sine diæresi; Br. mutato verborum ordine: „moneo sæpius te u. m.“; octonarium faciunt Gepp. „sæpiuscule“, Fl. „sæpius ted“ scribentes. — *Audio*. „Libenter hoc admitto“ enarrat Donatus ad Ter. Eun. 371; cf. Phorm. 236. Andr. 552. Cic. Rosc. Am. 18, 52. Plaut. Curc. 610. — 240 octon. troch. *conseruos* Acidal. em. ut 242.

241—49 troch. septenarii. 242. *Ut qui*, v. ad Asin. 501. *erum* iam in B emendatum. *esse* priorem corripit. — 243. *antehac* fortasse et ipsum corripi potuit, v. Proleg. p. 203; sed *Quod* parum recte dicitur; nec enim hoc unquam antea imperaverat. Fl. „Quom“ ed., Müller. „Qui“, quem secutus sum. — 245. Versus iusto longior. Both. *que* delevit; Lindem. Br. *con*; Fl. Gepp. *commune*, sed ut ille „quod mihi“ scriberet, hic „meum quod“. *hostica* priorem corripit, v. Prol. p. 201. — 246 *seruibas* iam antiquæ edd. — 247. *meminisse memineris*, v. ad Aul. 174. De *ut* repetito ad Aul. 786. — 248. *potes* recte cett. codd. — 249. *memoriter*, v. Madv. Cic. Fin. I, 10, 34. Repetitio eiusdem notionis ut in substantivo et adiectivo (v. ad Amph. 274), ita in verbo et adverbio Plauto admodum placet, cf. Amph. 413. Curc. 534. 683. Cas. 245: „cupide cupis“. Pseud. 1295: „ut madide madeam“. Poen. 609: „sapienter sapit“. Pers. 428: „ualide ualet“. Trucul. 353: „nitide nitet“. — Si versus recte traditur, *hac* corripi videtur; Müller. maluit: „inest nobis spes“, ut „est“ corriperetur; Fl. „est nobis spes“.

250. Scena trochaicis septenariis scripta. Hegio domo egrediens iis, qui intro sunt, dicit se brevi rediturum esse. *ex his*, captivis. — 251. *Ubi sunt?* nam secesserant custodis permissu. — 252. *tibi ne in quaestione essemus*, i. e. ne nos

quaereres. Antt. edd. „quaestioni“, Camerarius rectius: „in quaestione“, cf. Cas. 507 (v. Spengel, Plaut. p. 46). Pseud. 667. Pers. 52. Cist. 421, ut h. l., „in“ excidit. Trin. 1012: „si aberis ab eri quaestione“. Mil. 1271: „ne sies in expectatione“. — Post *essemus* in B rasura est, quam rubricator explevit addito HE. — 254. *quom etiam*, i. e. etiam quom. — 255. *cautor*. Fl. ep. crit. p. XXI „cauitor“ scribendum censebat, ut fauitor, Amph. 67 al., quo magis appareret allitteratio vocabuli iuxta positi *captus*; parum refert. Cf. Epid. 355: „ipse cautor captus est“; qua similitudine permoti Bücheler. et Brix. hunc versum spurium putarunt, iniuria. *is* abesse potuit, sed cf. 223. — 256. *causa est ut*, cf. Liv. V, 55, 5: „Ea est causa, ut veteres cloacæ . . . privata passim subeant tecta“. Plin. H. N. XI, 37, 55, 148: „Ea causa est, ut pleraeque alitum hominum oculos potissimum appetant“, cf. „spes est ut“ Bacch. 367, „occasio est ut“. Mil. 971. — 258. *quia* cf. 203. — 259. Post *si* hiatus. Fl.: „si hinc abeamus“. — 260. *illic* codd.; „illi“ Both. Fl. — 261. *ignaui* in margine cod. B emendatum est. — *fuimus* prima longo, ut infra 550, 627 aliisque non multis locis, v. Müller., Nachtr. p. 84. — 262. Post *quae* hiatus. Cam. „ex te quae“. Fl. „quae ego ex te“. Koch. „Secede ad me huc“. — 263. *Quarum rerum falsiloquom esse*, i. e. quas res mentiri, liberius posito genetivo obiecti. — 264. *quod sciam*, i. e. eius quidem, quod sciam, cf. 217. — *nescium* passive, ut Rud. 275: „in locis nesciis“. Tac. Ann. I, 59: „nescia tributa“. XVI, 14: „neque nescium habebat Anteium caritate Agrippinæ invisum Neroni“. cf. Gell. IX, 12. *nescium tibi tradam*, i. e. nescire me fatebor, cf. Curc. 385: „ego hoc ecfectum lepide tibi tradam“. — 265. Tyndarus quum Hegionem secreto cum Philocrate, quem pro servo habet, colloquentem videat, successu doli gaudet, vulgataque imagine senem, qui decipitur et pecunia sua fraudatur, cum viro comparat tonsoris opera capillum et barbam ponente, cf. Bacch. 239. *adtinet* i. e. admovet, prope tenet, cf. Men. 717: „nunc eandem ante oculos attines“. Sed subiectum „senex“ esse videtur. Itaque Seyffert. Phil. XXVII, p. 441: „cultro os“ vel, ne „nunc iam“ bissyllabum sit, „os

cultro", quorum prius in priore editione amplexus sum. Sed tum in proximo versu offendit subiecti mutatio, nec pluralis *cultros* eliminari debet, nam in tondendo pro novacula plerumque utebantur duobus cultris, i. e. forficibus; v. Poll. X, 140: *τὰ κουρέως σκεύη . . · κουρίδες μάχαιραι, μαχαιρίδες*, quorum illud ex Cratino, hoc ex Eupolide affert. Phot. p. 250. Clem. Alex. Pædag. III, 11, p. 290: *κείρειν οὐ ξυρῷ, ἀλλὰ ταῖς δυσὶν μαχαίραις ταῖς κουρικαῖς*. Martial. VI, 95, 11 sq.: „rigetque barba, qualem forficibus metit supinis tonsor". Novum igitur iam hinc subiectum est. Brix. „nunc erus" scripsit; ego „hic iam". Hiatus in cæsura legitimus est. — 266. *inuolucri* Lindem., em.; Turneb. „involucrum" scripserat. Ne tantum quidem, inquit, lintei humeris eius iniicit, quod prohibere possit, ne vestem inquinet; adeo ei non parcit. *ut ne*, Brix. confert Mil. 149: „eumque ita faciemus, ut quod uiderit ne uiderit". — 267. *strictim*, *ἐν χρῷ*, usque ad cutem; *per pectinem*, pectine interposito. *dicam*, i. e. putabo, cf. 528. 536. Trin. 2. — 268. *usque admutilabit probe*, prorsus mutilum faciet. Plautina abundantia, cf. Cist. 182: „usque adsiduo". Pseud. 547: „totum usque". Cas. 698: „propere cito". Most. 526: „plane in perpetuum modum". 701: „iure optumo merito". Mil. 394: „me insimulatam perperam falsum." 402: ad id exemplum simile". Merc. 93: „ut uolui, ex sententia". — 272. *familiaris filius*, cf. Asin. 265. — 273. *Eugepae* Pareus em., *Thalem talento* iam antiq. edd., cf. Bacch. 120. „talentum" autem paronomasiæ causa poeta posuit. Sapientissimum virum, inquit, præ hoc contemnam, ac si talento mihi addicatur, quod pro tali servo vile pretium videtur, emere nolim, nam hunc habeo. — 274. Voculam excidisse numeri ostendunt; *ille* Camerar. addidit; Both. aliique: „Nam pol". — 275. *ad seruitutem contulit*, i. e. accommodavit, cf. Cic. Verr. V, 30, 77: „tu supplicia, quæ debentur hostibus victis, ad tuum, non ad reip. tempus conferes?" — 276. *Quo de genere natus*. Vulgo sine præpositione „quo genere natus" dicitur, nec tamen ideo mutaverim aut Brixii coniecturam „Quo, dic, genere" probaverim. — *Polyplusio*, cf. 968. Nomen generis ad divitias significandas aptum fingit. — 277. *illi* Both. em., cf. 340. —

unum pollens atque honoratissumum, i. e. unum pollentissumum a. h.; Plauto satis visum est semel superlativum ponere. — 278. *atque ab summis uiris*, nec ab inferioribus solum sed etiam a summis viris ei summus honor habetur. — 279. Versus corruptus, nam *Aleis* synizesin non patitur. Lindem. „est tanta gratia", Fl. „est gratia tanta"; plerique *in Aleis* mutandum censuerunt; Lachm. ad Lucret. p. 262: „in eieis", Müller. „illic", Brix. „in illis". Sed nullam rationem habet causalis hæc sententia anteposita verbis *Quid diuitiae?* a quibus novam sententiam incipere apparet. Itaque Madvigius, Advers. II, p. 5, pro *Tum igitur* „Rumpitur" coniecit, qua emendatione nec numeri expediuntur, nec his interpositis non importune interrumpitur quæstionem series. Quare nunc ut olim versum delendum censeo. Addendi causa hic, ut sæpe, nulla alia fuit nisi περιεργία histrionum. — 280. *opimae* iam a Lipsio et Lambino emendatum. Propria vocis vi retenta Philocrates tam opimas ait esse senis divitias, ut inde sebum excoqui possit. — 281. *abimus* præsenti tempore Both. aliique, v. ad Amph. 661. — 282. *uiuatne* Both. et posteriores. — 283. *philosophatur*, servorum more, cf. Pseud. 978: „Saluos sum; iam philosophatur". — 284. *Quid erat ei nomen?* v. ad Amph. 360. — *Thensaurochrysonicochrysides*, quasi qui auro thesauros omnes vincit. — 285. *quasi*. Iungendum „quasi propter diuitias". Vocabulum ethicum quum primo loco positum non esset, vulgaris sermonis more postea additum est, cf. Poen. 91: „Uosmet nunc facite coniecturam ceterum". Nimis langeret Geppertii „quidemst". — 286. Ingentes divitiæ nisi ab avaro homine et quæstus causa omnia audenti comparari posse non videntur. Parum igitur considerate Acidalius *audaciam* non genuinum esse affirmavit. Quod autem substistuere conatur „tenaciam", id proximis (v. 288) non commendatur, quæ si ad antecedentia referrentur, „Ain tu?" dicendum fuit; *Quid ais* novi aliquid infert, v. ad Amph. 414. — 287. *ille quidem* Gepp. et Luchs. Herm. VI, 278. Mirum illud nomen propter vitæ rationem ei inditum esse dicit, quum proprium et germanum eius nomen aliud esset. Versus per se nihil habet, quod offendat, sed dubitatio mota est, quod infra 629 Hegio verum nomen primo audire videbatur; quare Both. Fl. Br.

hunc versum spurium habuerunt. — 288. *pertinax*, i. e. admodum tenax. Vocem alia significatione notam (v. Attii v. 4 sqq.) Plautus facete hic posuit. — 289. *ut magis noscas*, sc. rem aut eum, omisso obiecto parum definito, cf. Curc. 259. 630. Merc. 436: „si tu scias". — *ubi quando*, i. e. ubi aliquando; inutiliter quidam: „suo sibi quando". *Genio suo* Romani maxime natali die sacrificabant, vid. Tibul. II, 2 et IV, 5. Censorin. d. nat. 2. Festo et læto die pretiosissima et splendidissima vasa homines apponere solent; ille fictilibus utitur, nec religionis causa, quod in publicis quibusdam sacris servabant Romani, v. Plin. H. N. XXXV, 158, in vita privata non servabant, sed sordidæ parsimoniæ et suspicionis causa, quasi timeret ne deus ipse, si argentea vasa adveniens invenisset, furto auferret. *Samia* autem vasa fictilia et vilissima erant, v. Stich. 690. Bacch. 199. Rhetor. ad Herenn. IV, 51, 64. Cic. p. Muren. 36, 75.

292. Hegio, qui huc usque eum, quem servum esse censebat, interrogavit, iam Tyndarum, quem herum esse censet, aggreditur. *Eadem*, v. ad Bacch. 47. — 295. *e* iam ab antiquis edd. additum est. Cur „ex" potius scribamus, nulla causa est. — 296. Pro *scio* in ceteris codd. et edd. emendatum est „scito"; Geppert. et facilius et verisimilius: *scis*. — 297. *quamquam* olim emendatum est. — 300. Non postulo, inquit, ut iste (personatus servus) me magis quam te metuat. — 302. *Memini quom*. Brix. comparat Bacch. 466. Poen. 726: „Uidistis, leno quom aurum accepit". Truc. 112: „ipsi uident, eorum quom abgerimus bona". *haud audebat*, sc. me lædere, cf. Asin. 246: „si mutuas non potero, certumst sumam fenore". Casin. 525: „Nunc uale atque istam iube". Aul. 269. — *facto*, sicut me prodidit. — 303. Communis sententia. Theophr. Char. 8: ἐνθυμῇ τὸ τῆς τύχης; Hor. Od. I, 34, 12: „Valet ima summis Mutare et insignem attenuat deus". — *artat*, in angustias redigit; *fingit*, in alias formas redigit. Gepp. male „findit". — 306. *proinde ut*, i. e. talem, qualis, cf. Amph. 953 et not. ad Amph. 571. — 308. *hoc*, quod sequitur. — *uoluerim* Brix. em. ut v. 53. — *nisi forte ipse non uis*, nisi forte tibi incommodum aut molestum est, cf. Trin. 328. 1156. — 312. *que et*, v. ad Amph. 5. — 313. *habueris . . . curauerit*, habebis . . .

curabit, cf. ad Aul. 562. Quam similis utriusque verbi vis sit, apparet ex Lucretio, qui II, 31: „iucunde corpora curant", V, 1394: „iucunde corpora habebant". — 315. „me meus pater" Fl. — 316. *istuc* scripsi cum Brixio; superiores fere „istaec"; „istoc" ablativus est. — 317. „*fateor esse*" Fl. — 319. *auariorem*, ut tantum pretium pro me exigas, quo soluto in patria (*illi, ubi minime honestum est*) mendicare cogar. Quod si patiendum sit, veretur, ne pater unicum filium servire malit. — 320. *decere* cum dativo iunctum v. ad Amph. 813. Offendit *unicus* dactylica vox trochæi loco posita, v. Prolegg. p. 180 sq. Fl. ed. „Ne, tametsi unicus sum, magis decere uideatur patri". Felicius Müller., quem Br. sequitur, pro „decere" scripsit „esse e re". — 323 extat etiam Aulul. 159, nec iniuria Ritsch. Opusc. II, 283 sqq. spurium iudicavit, quia *nostrum*, quod illo loco aptissimum est, hic „meorum" esse debebat. — 325. *Scio*, v. ad Amph. 433. *lutulentos*, turpes, cf. Poen. 158: „lenone istoc ... non lutum est lutulentius". Deteriorum codd. scriptura, quam plerique edd. receperunt, „luculentos" et metro repugnat, nec sententia ferenda est, nisi post hunc versum addatur „sed". Brix. versum pro spurio habet. — 326. Edd. compararunt Ter. Ad. 216: „Pecuniam in loco neglegere maxumum interdum est lucrum". *Profecto*, hercle, similia non raro secundariæ sententiæ, si antecedit, inseruntur, cf. Mil. 156: „Ni hercle defregeritis talos". Asin. 411. Aul. 242. Rud. 1361. Trin. 457. al. — 328. *aduorte* cett. codd. Cf. Curc. 270. Mil. 766. Trin. 66. — *pariter*, cf. Mil. 235: „ut scias iuxta mecum mea consilia". — 329. *Alide* codd.; Lindem. „in Alide" ut v. 95. Malim ibi quoque præpositionem delere; nam Alis etiam urbis nomen est, cf. 568. — 330. Post *praeterea* hiatus in cæsura. Fl. „praeterea tu". Gepp. „nummulum". Ritsch. „praeteread". alia Müller. p. 547. — *ne duis*, cf. Aul. 231. — 331. *amittam*, v. 36. 338. — 332. *oras*, loqueris, cf. Epid. 714. Men. 1124. Pseud. 389. Stich. 724. Similiter Cas. 477. Men. 153: „aequom oras". Most. 670. Pers. 400. Rud. 184: „bonum aequomque oras". Pseud. 538: „Ius bonum orat". — *es homo*, hoc ordine cett. codd. — 334. *Pol hic quidem* codd.; Fl. Br.: „Pol is quidem"; vix opus. *huius*, i e. meus, δειχτικῶς, cf.

Curc. 248. Epid. 142: „huic homini“. Poen. 650: „hic uenator“. ib. 1261: „huiusce“, si scriptura sana. Rud. 937: „hic rex“. Male Lindem. hæc Philocrati tribuit, qui hic interloqui non debet. — 335. *hoc*, ut redimatur filius tuus. *in procliui* cett. codd.; Fl. „st“ addit. Significat „facile est“, cf. Ter. Andr. 701. H. l. retenta propria vocis vi tam facile accidere ait, quam imber cadat. — 336. *ted* scripsi cum Fl. Idem „hoc“ addidit post „oro“, ut vitaretur hiatus, qui ante nomen proprium ferri posse videtur. Br. „sed tecum orò hoc“. — 337. *ab re*, quod ab eo, quod effectum volumus, alienum est, cf. Asin. 222: „haud est ab re aucupis“. Trin. 238: „ab re consulit“. Truc. 518: „haud ab re tibi istic obuenit labos“. — *scies* iam in codd. emendatum; nec *tum* offendere debet, quod etiam post „si“ sæpe ponitur, v. ad Most. 659. Fl. „Faciam, dum ab re ne quid ores. TY. Ausculta, scies“, ut Asin. 347. Br. „Ausculta dum, ut scias“. — 338. *donicum* olim emendatum. — 339. *ut* versus causa delevi cum Bosscha aliisque, Br. „te“ tollere maluit. — *hunc*, Philocratem. *aestumatum*, pretio constituto, v. 352. — 340. *illi*, Elide, cf. 322. — 341. *conueniat* olim emendatum. — 343. *nihil est*, nihil proderit, v. ad Asin. 424. — *operam luseris*, i. e. perdideris, cf. Cas. 401. Pseud. 369. Ter. Phorm. 332. — 344. *omne* versus causa transposuit Both. *transactum reddet*, cf. Asin. 121, al. ap. Br. — 346. *ex sententia*, gratus, cf. Pers. 18: „Satine ergo ex sententia?“ Ter. Phorm. 256. al. — 348. *periclo* scribendum videtur, ut solet Plautus in mediis versibus, v. Kampman. r. milit. Pl. p. 21 sqq., cum hiatu in diæresi legitimo, quamquam Ritsch. „periculod“ scr., Fl. Br. „ego huius“. — *uice* librarii errori deberi, olim intellectum est. — 349. *scit*, producitur, v. Prolegg. p. 196. — 350. *istunc* versus causa Camer. — 351. *Quam citissume*, v. ad Aul. 229. — *cedere ad factum*, ad effectum perduci, si vera scriptura. Madvigio „ad pactum“ in mentem venit. — 352. *Num quae causa est*, cf. Aul. 254. Utroque loco *optume* scripsimus, ut h. l. dett. codd. Nam si retinetur codicis B scriptura „optima“, necesse est audiatur non id, quod præcedit, sed contrarium, h. l. „Immo optuma causa est, cur dem“, Aul. 254 „Immo optima causa est, cur

nuptias faciamus". De *immo* postposito v. ad Aul. 758. Gepp. „Immo optume. H. Quin soluite". — 354. *Atque*, atque adeo, cf. 580. Merc. 730: „amatori seni Cenast coquenda, atque quom recogito, Nobis coquendast". — *ferant*, codd. repugnante versu; Camer. „afferant"; recc. *offerant*, cf. Ter. Ad. 978: „Di tibi, Demea, omnia omnes semper optata offerant". — 355. *Quom*, v. ad Amph. 636. *honore honestas*, cf. 391. — 356. Solutis vinculis lenimentum sentit. *iam* ad sequentia, non ad antecedentia, retuli cum Brixio. *collus*, v. ad Amph. 441. *collari* em. Lindem. „*collare*" ait Non. p. 36 „est vinculi genus, quo collum adstringitur. Lucil. lib. XXIX: Cum manicis catulo collarique ut fugitiuom deportem". Collaria canibus imposita Varro R. R. II, 9, 15 commemorat. Cf. etiam Poen. 1354. — 357. Versus allitteratione insignis. *gravida*, magni ponderis; cf. Pers. 674: „Si quid bonis boni fit, esse idem et graue et gratum solet". Rud. 939: „boni quod bene fit, haud perit". — *gratia ea*, i. e. eius rei, cf. 715. 373. Most. 911. ib. 1147: „istam ueniam", cf. Casin. 911. — 358. *Nunc* cett. codd. *illum* cett. et B man. sec. — *dice*, *monstra*, *praecipe* Camer. em.; eadem leguntur Mil. 258. — 359. *ad* aliquem nuntiare dicitur ut litteras mittere ad aliquem. Br. confert Most. 228. Mil. 116. Trucul. 690.

360. Ab hoc versu codd. novam scenam incipiunt, quos si quis sequi velit, ei v. 292 idem faciendum est. Hæc autem sive nova scena sive eiusdem scenæ pars levioribus numeris scripta est usque ad v. 383. Servo enim, quem putat, Hegio mandata tradens senariis loquitur. — 362. *quod is uelit*; de demonstrativo omisso v. ad Amph. 38. — 363. Post *aestumatum* hiatus in cæsura. Fl. *te* post *dedi* posuit, prob. Müller. Pros. p. 167. — 366. *nostris filiis*, nostrorum filiorum, v. ad Amph. 44. — 367. *rectum est*, regitur, dirigi potest, cf. Bacch. 409. — 368. *ad* olim additum. — 370. *Tute tibi* item in principio senarii poni Curc. 9 et Cist. 393, animadvertit Br. — *ea*, si verum est, significat „hac ratione"; cf. „eadem" Bacch. 47. Boxhornius „a" substituebat, Gertz. „ex", quorum neutrum recte dicitur; melius Fl. et Br. omittunt. — 371. Fl. aliique: „fers ita". — 372. *Em tibi hominem*, ei dicit,

quem Philocratem esse existimat. *Em* est en, v. ad Amph. 771, infra 853. — *Gratiam habeo*; de hiatu v. Prolegg. p. 220 et 222. Fl.: „Habeo gratiam", cui recte adversatur Luchs. in Studem. Stud. I, p. 22. — 374. *meos* omittunt cett. codd. probante versu. — 376. *rem* scriptor codicis B quum in textu omisisset, in margine addidit; cf. Amph. 593. Anacoluthi speciem enuntiatio præbet, quia *me* Plautino more ex secundaria in primariam sententiam translatum est, cf. ad Bacch. 211. — 379. *rebitas*, redeas, vid. ad Curc. 141; cf. infra 408. 690. 741. Pro *huc* Loman. Specim. critic. p. 3 „huic" postulat, et secuti sunt Fl. et Br., non opus. — 381. Madvigius Advers. II, p. 5 sq. ab hoc versu Tyndari verba incipere statuit; sed ut ipsum Philocratem Hegio remitteret, pater eius nullo modo expectare poterat. Ad v. *pater* autem tam „tuus" quam „meus" audiri potest; nec ambiguitatem h. l. Plautus quæsivit. — *aliquem*, i. e. alium quem, ut sæpe apud Ciceronem.

384. Redeunt trochaici septenarii. — 385. *in rem conducat tuam*, cf. Cist. 462: „quod tuam in rem bene conducat". — 386. *semper* pro „id per" em. Br. *uiribus* cett. codd. *ac* pro „atque" scripsi versus causa; Fl. „et"; alii prius *et* delere maluerunt. — 392. *præcipias* B man. sec. — 393. *equidem* Lamb. em. — 394. Post *cum* hiatus, cf. v. 24. Müller. aut „cum hoc mihi", aut „mihi cum hoc hic". — 395. *mora merast*, cf. Trin. 795 sq.: „in huiusmodi negotio diem sermone terere, segnities merast". — 396. *uicem*, cf. 521 et ad Amph. 330. — 597. *poterit* Reiz. em.; idem *istuc* delebat, nam versus iusto longior est. *utrique*, cf. Aul. 129. — 400. *Me hic ualere* et errore apparet repetita esse ex v. 390. Br. Gepp. Fl. „Me hic .... inter" spuria habuerunt, ut Tyndari verba a *Nos* inciperent. Mihi iam verisimilius videtur, hic aliud scriptum fuisse, velut: „Hoc si quaeret, tute audacter dicito"; „nos" enim cum Lindemanno et Madvigio omitti potuisse credo. — 402. *te ... mihi* scribendum esse viderunt Lindem. Brix. Madvig. Advers. II, p. 6; nam et si *me* scribitur, difficulter auditur in proxima sententia subiectum „te", nec *aduorsari* herus recte dicitur servo, qui nihil sibi, sed omnia domino velle debet, cf. Stich. 74: „Exorando, haud aduorsando sumendam

operam censeo". Aulul. 139. Ter. Hecyr. 654. al. Omnino totus locus in servi, non in heri laudibus versatur, et v. 404 *med* obiectum est, *te* subiectum, cf. 614 sq.; *deserere* enim patronus libertum, non servus herum potest. — 403. *tamen*, v. ad Amph. 538. — 405. *egenis*, ubi egestas et inopia consilii sit, cf. Poen. 130: „res ... dubias, egenas, inopiosas consili". De asyndeto cf. ad Amph. 891. Adiectivorum et adverbiorum exempla v. Most. 718: „piscatu probo electili". Pseud. 681: „certa deformata". Poen. 665 et 1025: „clam furtim". Truc. 434: „unanimantis fidentis". al. — 407 *gratis* pronuntiandum esse versus ostendit, v. Prolegg. p. 212. Editores recc. trisyllabam formam solam agnoscentes verba transponunt, Fl. „manu te emittat gratiis", Luchs. „manu emittat te gratiis". Br. „te manud emittat gratiis". — *redire denuo*; conferunt Ter. Hec. prol. II, 30. — 412. Fleckeisenio Ep. crit. p. XXII ita languere visus est hic versus, ut eum post 406 collocatum mallet; recte defendit Br. — 413. *ita* Fl. versus causa. — *gratum*, v. ad Amph. 48. — 414. Ne hiatus sit aut ante aut post *ea*, voculam excidisse credas; Fl. „Merito tuo", Br. „Sed merito". — 416. „nam quasi ... sis" Fl. em.; verum *qua* potius in „nam" latere crediderim, ut fuerit: *quasi seruos meus esses.* — 417. Versus claudicat. Both. Br. transp.: „Obsequiosus mihi fuisti semper". Facilius „tu" adderetur, nec ideo opus est, ut transponamus, ut Fl.: „Opsequiosus tu mihi semper". Lachm. Lucr. p. 304 suspicatus erat: „Mi obsequë obsequiosus". — 419. Excidit aliquid. Fl. suppl. „quantis hic modo laudibus". Gertz. „quibus et quantis", i. e. siquidem talibus et tantis. — *corde*; Br. confert Trucul. 179: „neminem hodie mage amat corde atque animo suo". — 420 sq. *haud centesimam* etc., „centum partibus minus me laudat quam" Ek., cf. Mil. 764: „Haud centesimam partem dixi atque, otium si sit, possum expromere". — 422. *quom* i. e. quoniam, v. ad Amph. 746. — 423. *occasio cumulare*, cf. Curc. 60. Pers. 725: „occasio ulcisci", alia apud Brix.; cf. Madv. Gr. Lat. 417 not. 2. — 424. Servus personatus ait se hoc et vehementer cupere nec minus fortiter exsecuturum. Dubito tamen an pro *possum* „possis" scribendum sit. *Magis non factum possum uelle*, i. e. non

possum magis factum uelle, v. ad Aulul. 224. — 425. *ut* Nonius, prob. Müller. p. 211. *laudo* Nonius p. 335: „Laudare est verbis ecferre .... Plautus Captiuis: id ut scias, Iouem supremum testem laudo Egio“. Recentiores quidem edd. Reizii emendationem „do tibi“ prætulerunt, sed nec hiatus offendere debet, v. 336, nec ille verbi usus non satis certus est, vel in auctoribus laudandis notissimus. — 427. *quam memet*, i. e. quam ipsemet faciam, v. Madvig. Gr. Lat. 402 b.

428. *expedire* Fl. em., i. e. ad effectum perducere. — *operis*, v. ad Bacch. 43. — 429. *quo*; auditur demonstrativum „ad id“, v. Amph. 38. Ablativus autem differentiæ est; quod priori admonitioni deesse videbatur, id additurus est. Brix. comparavit Ter. Andr. 655: „Immo etiam, quo tu minus scis aerumnas meas, hae nuptiae non adparabantur mihi“. Eun. 737: „correxit miles, quo intellexi minus“. Quare nec cum Fl. „quom“ scribendum, nec cum cod. Brit. „quod“. Sed quod sequitur *de te* corruptum est. Ut in superiori versu r pro d scriptum erat, ita h. l. d pro r scriptum videtur, „de te“ pro *recte*. — 430. *caue tu* Bosscha aliique em. — 431. *Sed*, quod B et edd. præbent, sententiam loci pervertit, cod. Brit. „Se“, equidem *Sic* scripsi; hic enim incipit nova illa, quam indicavit, admonitio. Sic, inquit, i. e. ea condicione, te domum mitti cogitato, ne me *ignores*, vel obliviscaris, quum primum e conspectu abieris. *quom extemplo*, v. ad Amph. 858. — 434. Post *te* hiatus, Ritsch. „ted“. Hunc versum Fl. et Br. uncis incluserunt, ac sane abesse potuit; sed in eiusmodi sermonibus Plautus verbosior esse solet, quam nobis opus videtur. Eadem de causa Brixium in versu 437 notando sequi nolui. — 435. *deseras* olim emendatum. — 438. Pro vera librorum scriptura et alii et Lindemannus: „Fac fidele sis fidelis“ ex Nonio p. 512: „Fidele pro fideliter. Plautus Captivis: fac fidele; caue fidem fluxam feras“. Sed is corrupto exemplari usus est. Quod autem Brixius hunc versum sequenti postposuit, ne eo quidem opus esse video. — 440. *hunc*, Hegionem, quem iam amicum invenisti, restituto filio multo amiciorem et perpetuum amicum invenies. Brix. et alia comparat et Cic. Fam. XIV, 1, 5: „uide

ne puerum perditum perdamus". — 443. *Tu hoc*, cum hiatu, v. Prolegg. p. 219. Müller. et Brix. „Nunc". — Hegione audiente Philocrati quasi servo suo „Tu mihi" ait „nunc erus es". — 446. *Et tua et tua*, fictum illum Philocratem et Hegionem appellat utrumque digito monstrans, cf. Ter. Heaut. 977: „Nihil suscenseo nec tibi nec tibi". Pl. Trucul. 762: „Egon tibi maledicam aut tibi". Amph. 736. Men. 1054: „Tu erus es, tu seruom quaere; tu salueto, tu uale". Pseud. 336 et 338. Senec. Troad. 1069: „Tuosne potius an tuos luctus". — — „*ornatus*, i. e. instructus, nempe Philopolemum reducens" Lamb., cf. Mil. 893: „Lepide hercle ornatus incedit". — 447. *Num quid aliud?*, cf. Most. 397. Mil. 1187. not. ad Amph. 538. — 448. *trapezita*, v. ad. 192. — 449. *eadem opera*, cf. Most. 1023 et ad Bacch. 47. — *syngraphum*, v. ad Asin. 236. „Diploma significat, per quod liceat Pseudotyndaro belli tempore in Elidem redire". — 451. *Tu*, Tyndarum alloquitur. — *Bene ambulato*, v. ad Asin. 107.

451 sqq. Hegio quasi bene re gesta secum lætatur. — 453. *si dis placet*; pie deorum meminit, nec, ut vulgo, ironice hæc dicuntur. — 454. Stultitiam suam accusat, quod tam diu dubitaverit de his hominibus emendis. *hosce* scripsi ad vulgatum Plauti usum, v. Schmidt., pron. dem. p. 38. — 455. *istum*, Tyndarum. *sultis*, i e. si vultis, sed iubentis est, cf. 661. — 456. *custodela* em. Both.; *Iam* addidit Camer. — *apparebo*, i. e. comparebo; cf. Poen. 621: „Iam ab re diuina, credo, apparebunt domi". — 457. *ad fratrem*, cf. 126. *modo* ne posteriorem longam haberet, Fl. Br. „ad captiuos" scripserunt. Sed ipsa vox vitiosa est, nec enim id unum aget, ut captivos invisat, sed, ut ipse ait, ante omnia personatum Tyndarum dimissurus est. Præterea *inuiso* antecedente et sequente futuro vitiosum est. Itaque substitui: *ibo; dum.* — 458. *Eadem* sc. opera, cf. 449. — *ecqui* versus causa Fl. Br. — 459. *ei rei praeuorti*, hoc prius agere volo. Posteriores fere „ad aliquod prævorti" dicunt, Plautus dativo utitur, cf. Mil. 1086. Merc. 112. 368. 370. Pers. 797, aut accusativo, ut infra 1021. Cist. 615. Pseud. 606. Rud. 641.

460. Parasitus postquam frustra melioris cenæ condicionem quæsivit, de misera sua fortuna queritur. Trochaicis septenariis utitur, sed in cod. B scenæ superscriptum est DV, i. e. diverbium, aut falso, aut hæc scena contra morem simpliciter recitatur, v. Prolegg. p. 172. In primo versu *ipsus* Fl., fortasse recte. *edit*, antiqua forma pro „edat", cf. Aul. 462. 664. Men. 90. Poen. 1288. Trin. 339. 102. Bacch. 739. Trucul. 531. — *aegre*, difficulter, vix, cf. Poen. 235: „uix aegreque amatorculos invenimus". Asin. 118. Etiam apud Terent. Andr. 434 necessario scribendum: „Ægre quidquam nunc quidem", non „æque". — 462. Versum iure expunxit Br., nec enim maius aliquid additur, sed mera circumlocutio est superioris versus. Numeri etiam claudicant, quare Lindem. „id quod" ed., Fl. „cupiit". — 463. *Nam* non ad sententiam propositam refertur, sed ad eum animi affectum, unde profecta est. — *diei* pro iambo est, ac plerique „die" scribunt, v. Prolegg. p. 216. infra 894. Ad phrasin cf. Stich. 195: „Ei hercle uerbo lumbos defractos uelim". — 464. „Omnes homines reddidit in me illiberales et malignos" L. — 465. *ieiuniosiorem*. Br. comparat Poen. 130 „inopiosas" al. — *ecfertum fame*, cf. Aul. 84: „inaniis oppletae". — 466. *qui* ablativus est, v. Amph. 257, i. e. quo die. Pro nominativo cepit librarius, qui in extremo versu *occeperit* scripsit, pravo sensu, nec enim dies quidquam incipit; quare confidenter „occeperis" emendavi. Superiores editores illo relicto „quoi" scripserant, Geppert. „ubi", qua re vitium occultatur, non tollitur. — 467. *Ita* olim emendatum. — *esuriales feriæ*, i. e. esuritioni dicatæ. ferias agimus vel, quia eiusmodi diebus proprie nihil agendum (feriandum) est, quiescimus s. *residemus*, cf. Cic. Leg. II, 22, 55: „denicales feriæ, quæ ... residentur mortuis". — 468. *Ilicet*. Donat. ad Ter. Phorm. I, 4, 31 (208): „Sic iudices de consilio dimittebantur sententia dicta, quum præco pronuntiasset Ilicet, quod significat ire licet". Parasitus arti suæ imperat, ut in malam crucem abeat. Præpositio „in" facillime excidere potuit, sed omittitur etiam alibi, v. Men. 324. Poen. 499. 802. 1313. Ter. Eun. 536: „malam rem hinc ibis". — 469. *inopes*, deleto *que*, recte Fl.; *ridiculos* autem pro substantivo est. — 470. *Lacones* parasitos

dicit, quia, ut pueri Lacedæmonii, sic et parasiti plagas et verbera ferre consueverant, v. supra ad 88; cf. Petron. Sat. 105: „tres plagas Spartana nobilitate concoxi". — *uni subsellii* codd. h. l. et Stich. 489: „Haud postulo quidem me in lecto accumbere, scis tu me esse uni subselli uirum". Quod quum non intelligeretur, edd. inde a Pio „imi subsellii" scripserunt, eos significari censentes, quibus infimus accumbendi locus assignatus esset, ac fuerunt qui Senecæ locum afferrent Dial. II, 15, 1: „si in convivio regis recumbere infra mensam vescique cum servis ignominiosa officia sortitis iubebitur". Luchsius demum, Genetivbildung der lat. Pronomina p. 8, codicum scripturam tutatus est, *uni*, i. e. unius. Sed in enarrando erravit; „solius" enim interpretatur et parasito subsellium solum, ceteris convivis lectum cum subsellio tribuit. Verum subsellium non est scamnum. A lecto differre apparet ex Stich. 699 et Varr. L. L. V, 128: „quod non plane erat sella, subsellium; ubi in eiusmodi duo, bisellium dictum". Videmus ad sedendum, non ad cubandum destinata esse subsellia, ac frequens eorum mentio est et in theatris (ut Amph. 65) et in tribunalibus et in senatu. Unius subsellii vir parasitus propter paupertatem dicitur, ut pote qui domi suæ unum solum subsellium habeat; nec hæc locutio ad convivium pertinet; immo parasitus hic queritur, quod in convivium omnino non adhibeatur. — 471. *plagipatidas*, cf. Most. 349, patronymicum comice formatum, v. ad Aulul. 362. — *uerba*, cf. „dictum" v. 481; hæ solæ eorum divitiæ sunt. — 472. *qui, lubenter* etc., „qui eos, apud quos iucunde cenaverint, vicissim domum suam invitant", Lamb. coll. Cic. Fin. II, 8, 24: „Non negat libenter umquam cenasse Gallonium, mentiretur enim, sed bene". — 473. *Ipsi opsonant.* Theophrastus etiam Char. 11 *βδελυρίας* esse dicit *ὀψωνεῖν ἑαυτῷ καὶ ἀνλητρίδας μισθοῦσθαι.* Parasiti in hac re opera spectatur Ter. Eun. 255 sqq. cf. Pl. Mil. 668. — 474. *aperto capite*, sine pudore. — 475. *in tribu*, comitiis. Ne hiatus sit post h. v., Both. transp.: „sontes aperto capite". Müller. „quom" addit; Ritsch. Br. „tribud" — *condemnant* iam in codd. emendatum. — 476. *iam teruncii* olim emendatum. — 477. Versus causa Bosscha et Lindem. „Namque" ed., Fl. „Nam uti". Seyffert., Stud.

Plaut. p. 20, „Nam ego ut“. — *dudum*, i. e. nuper, v. ad Amph. 654. — 478. Alterum „inquam“ versu iubente del. Both. *atque*, v. ad Amph. 948. — 479. *Quis agit hoc?* i. e. Quis ad hæc verba animum advertit, v. ad Asin. 1. Editores inde ab antiquissimis: „Quis ait hoc“, i. e. „huc“, parum considerate. — *profitetur* primam corripit, ut apud Ter. Eun. 3. Fl. *aut* delebat, sed v. Brix. — 480. Si versus integer est, hiatur aut post *inquam* aut post *illi*. Fl.: „ubi cenamus hodie“ ed., Müller. Brix. „illisce“. — 481. *de dictis melioribus*, cf. Stich. 401: „Ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus“. — 482. *menstrualis epulas*, totius mensis. — *adipiscier*; Fl. „apiscier“, ut infra 769; sed etiam illa forma Plautina est, v. 774. Epid. 16. Stich. 281. — 483. *de compecto* Charisius II, p. 197 K., et sic legitur Pseud. 541; ib. 544: „sumus conpecti“. Contra Men. 922: „in carerem ted esse conpactum“ et Rud. 546: „uidulum, aurum atque argentum ubi omne conpactum fuit“. — 485. Ordo verborum hic esse debuit: ut, si non arriderent, saltem d. r.; cf. ad Asin. 230. *dentes restringere* autem nec, ut vulgo enarrant, leviter ridere significat, nec, ut Brixius, coactum ridere. Dentes restringunt, ut ex h. l. apparet, canes morsum minitantes; inde ad homines refertur rem aliquam aut personam ægre ferentes. Parasitus queritur, quod ii, quos allocutus est, ne offensos quidem se ostenderint importunitate sua frigidisque iocis, sed se omnino non curaverint; illud enim multo malebat. — 487. *una res*, i. e. eadem res est; Fl. Br. „rest“, non opus, vid. ad Amph. 590. cf. Rud. 175: „salua res“. Stich. 473: „Certa res“ (sic A). Ter. Eun. 361: „alia res“. Quod autem vulgo dicitur „unus et idem“, etiam simpliciter *unus* dici potest, v. supra v. 20. Epid. 632: „alia matre, uno patre“. Most. 665: „Iterum iam ad unum saxum me fluctus ferunt“. Merc. 511: „una aetate“. — 488. *de conpecto* Fl. Br., ut 482. *quasi*, i. e. ut, v. 80. *Uelabrum*, locus Romæ infra Palatinum montem inter vicum Tuscum et forum boarium, ubi vendebantur quæcunque ad victum pertinebant, v. Curcul. 482. Hor. Sat. II, 3, 229. Olearii huius loci consentire inter se dicuntur de pretio olei, ne quis minoris, quam ceteri, vendat. — 489. Versum non solum huic loco parum aptum, sed omnino post 486 non

ferendum, primus seclusit Fl. — 491. *barbarica lege*, i. e. Romana, v. ad Asin. 11. Quum viri docti alius aliam legem hic intelligi suspicati essent (v. Vissering, Quæst. Plaut. II, p. 30), Rostius (Opusc. Plaut. I, p. 56 sqq.) nullam certam legem significari affirmavit, sed potius universam Romani iuris rationem, qua in eos animadverti posset, qui perniciosa in populum consilia inirent; ac frumentarios quidem, qui, ut annonam incenderent, frumentum vendere noluissent, ædiles damnasse sæpe videmus. Verum Plauti verba certam aliquam legem indicare videntur. Nomen et ætas legis ignota sunt, sed quod lege Julia de annona (v. Digest. XLVIII, 12, 2) adversus eum qui contra annonam fecisset societatemve coisset, quo annona carior fieret, pœnam statutam esse novimus, id iam aliquot sæculis ante factum esse apparet. Parasitus h. l. suam causam populi facit, et quasi ipse magistratus sit, *diem dicit*, *irrogat multam* (cf. Cic. p. Milon. 14, 36); omnia ad risum movendum optime comparata sunt. — 492. *consilium* scripsi cum aliis et Fl.; „concilium" aliud verbum postularet. Alter versus pes proceleusmaticus est. Lœwe, Analect. p. 210 *iniere* pænultima brevi legit. — 493. *Is*, i. e. iis, Fl. ut 112. — 494. *sic egero*, v. ad Aul. 562. — 495. Quoniam in foro eum nemo invitavit, una spes restat, ut in portu aliquem inveniat, qui se invitet. — 496. *decolabit*, i. e. delicuerit, defluxerit quasi per colum, scribendum esse vidit Gronov. ad Liv. XXVII, 17. Cf. Casin. 284: „si sors decolassit". — *cenam asperam*, v. 188.

497. Hegio postquam Tyndarum, quem credebat, dimisit, lætus et spei plenus redit alium captivum secum ducens, Aristophontem, sodalem Philocratis, qui petierat, ut sibi amicum convenire liceret. Canticum vario numero scriptum a creticis et trochaicis fere numeris incipere, in iambicos desinere videtur. Fl. non nullis mutatis sex priores versus bacchiacos fecit, Müll. Pros. p. 110 duos primos anapæsticos esse censet. Apud nos versus ita descripti sunt ut in codicibus et Palatino-Vaticano et Britannico. Primus, 497, ex iambo constat et sex creticis, vel, si quis hos malit, ex sex bacchiis et iambo; secundus, 498, si post *emi* hiatur, ex dimetro trochaico et duobus creticis compositus est, tertius, 499, ex duobus creticis et dimetro troch.,

500 ex anapæsto et dimetro troch.; 501 tetrameter bacchiacus est; 502 constat ex dactylo et tribus bacchiis, 503 ex anapæsto et iambo quater repetitis. Reliqua minus commota sunt. Omissis iis, quæ necesse est omittantur, dipodiam trochaicam sequitur systema iambicum tribus versibus scriptum, quorum primus 505 iambicus septenarius est (nam post *mei* hiatur in diæresi), 506 iambicus senarius, 507 senarius hypercatalecticus, 508 item, nisi forte cum priore parte sequentis, usque ad *uidere*, in unum systema coniungas. Reliqua pars versus 509 senarius est, 510 septenarius; nam quem hiatus ante *hominem* offendit, is „uti" scribat.

497. *bono publico*, v. ad Amph. 317. Publicum bonum est hostem nobilem captum magno pretio vendi. Hegio non is est, quem pæniteat, quod magno emerit; tam suam vicem lætatur, quod spem ceperit filii recuperandi, quam reipublicæ, quod lucrata sit. — 498. *quisque uident*, cf. Curc. 180. Most. 100: „sibi quisque inde exemplum expetunt". — 502. *requieui*, a gratulantibus. — 503. *ilico*; edd. ante h. v. interpungunt; cod. B post, a quo cur discederem, non vidi. — 504. *Inde ... domum*: hæc delenda esse Acidalius vidit, si quidem non domum, sed ad fratrem se contulit; nec minore iure idem in proximo versu *inde abii* delevit. — 506. *omnium* abesse potuit, ac delevit Br.; Herm. Fl. „hominum" substituerunt. — 507. *hic*, Aristophontes.

511. Hegio cum Aristophonte domum intrat, ut Philocratem ei ostendat, Tyndarus autem Aristophonte conspecto statim intelligit dolum suum patefactum iri, nisi congressum vitare contigerit, et summo timore correptus foras se proripit (v. 528). Animum vehementer commotum octonarii iambici optime pingunt. *Nunc illud est quom*; moriendi tempus esse dicit, quoniam nulla salutis spes sit. Brix. confert Rud. 664: „Nunc id est, quom omnium copiarum atque opum, auxili, praesidi uiduitas nos tenet". Ter. Ad. 299: „Nunc illud est, quom, si omnia omnes sua consilia conferant, ... auxili nil adferant". Ennius Annal. v. 383: „Nunc est ille dies, quom gloria maxuma sese Nobis ostendat". — 512. *spernuntque se* et Dousa et alii ante eum; spernere enim idem est quod segregare, cf. Enn. ap. Non. p.

399: „Melius est uirtute ius; nam saepe uirtutem mali Nanciscuntur; ius atque aequom se a malis spernit procul". — 513. *sperabilis est*, sperari potest. — 514. *exitio*, i. e. exitus, cf. Trucul. 508: „Quid illi ex utero exitio est?" cf. „deliquio" infra 620. In cod. archetypo primum errore scriptum erat „exilium", deinde vera vox adscripta. Camerarius male posterorem vocem eiecit, Bentleius longius progressus „auxilium" rescripsit, item Fl. Br.; Gepp. „expectatio". Mox *quae hunc* cum hiatu legendum. *aspellat*, i. e. abspellat, legitur etiam Merc. 113. Trin. 672. — Vss. 513—15 Fl. et Br. pro spuriis habent, nec aliter Götz. in Act. Lips. VI, p. 259. Mihi quidem duos priores genuinos esse persuasum est; tertius aperta circumlocutio est proximi versus, ex quo etiam vox mantellum retenta est, nec probari potest coniectura a Lambino recepta „integumentum". V. 516 autem Tyndarus queritur, quod nihil *obuiam* sit, i. e. praesto sit, quo dolum suum tegat. *mantellum* pro manteli Philargyrius ad Georg. IV, 377 ex h. l. et ex Lucilio (V, 32) affert. *fucus*, quo novus color proprio et genuino inducitur, sæpe translate de fraude dicitur, ut „fucum facere alicui" Ter. Eun. 589, al., „sine fuco et fallaciis" Cic. ad Attic. I, 1. — *confidentiae hospitium*, cf. Most. 343: „nusquam stabulumst confidentiae". — 520—23 sine dubio spurii sunt. Coarguunt numerorum vitia. Fl. et Br. non paucis mutatis (520 „Omnis palamst res". 521 „pestem eri uicem malam". 522 „qui intro aduenit modo") senarium iambicum et tres trochaicos septenarios efficiunt; sed nec ulla causa est, cur octonarii interrumpantur, nec Latine dicitur „de hac re negotium est". — 524 legitimus octonarius iambicus est, cui additur senarius, in quo *machinor* ultimam producit, v. Prolegg. p. 195. Magis offendunt proxima, v. 526—27, qui septenarius trochaicus cum senario iambico (hiatur ante *hæreo*) videntur; neque dubito, quin hæc quoque, ut 520—23, interpolatori debeantur. *malum quid* pro „mali aliquid" scriptum videtur; plerique „malum" pro exclamatione habuerunt, et pro *qua* „quam" scripserunt. *incipisso* Camer. em., cf. 214, „si est forma verbi Latina" ait Lindem. Recentiores plura mutarunt, velut Ritsch. Proleg. Trinum. p. CLXXIX quattuor septenarios constituens:

Neque Salus seruare, si uolt, me potest, nec copiast
Me expediundi, nisi si astutiam aliquam corde machinor.
Quam, malum? quid machiner, quid comminiscar, haereo.
Nisi nugas ineptias*que iam* incipisso maxumas.

A quo Fl. Br. non multum abscedunt.

528. Redit Hegio Tyndarum, qui exierat, quærens. Continuantur octonarii iambici. Sed primum sequuntur trochaici duo, 529—30; hiatus post *occidi* removetur, si aut „iam" additur aut cum Brixio scribitur: „adeunt"; id. „ted"; in altero v. *mihi* abundat, quod Br. in proximum transtulit: „Res mi omnis". 531 malus octonarius iambicus est. Fl. huic duos priores similes fecit, scribens 529: „Enimuero nunc etc., 530: „Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? nam mihi". Equidem in priore ed. omnes tres versus damnavi; hodie tertius quidem admodum displicet; quid est enim *mihi res omnis in incerto est*, quum sensus requirat „omnino incertum est"? duo priores prorsus Plautini videntur. 529. *Eunt ad te*, cf. Pseud. 452: „Itur ad te". — 532—35 octonarii iambici. *perderent*, imperfectum pro plusquamperfecto, cf. Pseud. 437: „Uel tu ne faceres tale in adulescentia". Rud. 495: „Utinam, te priusquam oculis uidissem meis, Malo cruciatu in Sicilia perbiteres". cf. Madvig. Gr. Lat. 347 b not. 2. — *periisti* et *imparatam* olim emendata. *periisti e patria tua*, cf. Poen. 86. 990: „perierim Carthagine". Rud. 1111: „Athenis periit". — *ex parata re*, proprie „rem" scribi oportuit, cf. Casin. 771: „facies tu hanc mihi rem ex parata inparatam." — 534. *Occisa est hæc res*, cf. Men. 500. Pseud. 423, et ad Bacch. 159. — *atrocem*, audacem et invictum, cf. Hor. Od. II, 1, 24: „cuncta terrarum subacta præter atrocem animum Catonis". — 535. *Em*, cf. 372.

536. Colloquium Aristophontis cum Tyndaro et Hegione trochaicis septenariis scriptum est. 537. *aspernari* propria significatione positum esse animadvertit Br., ut auorsari Trin. 627. cf. supra v. 512. — 543. *istic*; demonstrativum variatur in eadem persona, cf. infra 727 sq. 1009. Most. 1136: „Is me adiit; nam illum prodire pudet in conspectum tuum". Mil. 21 sq. Rud. 810 sq. „illic ... istunc". Etiam Græci, ut Plat.

Protag. 310 D: ἂν αὐτῷ διδῷς ἀργύριον καὶ πεισθῇς ἐκεῖνον. Xenoph. Cyrop. IV, 2, 12: εἶπεν, ὅτι ἡγήσοιντο μὲν αὐτοῖς οἱ πεζοὶ, ἐκείνους δὲ ἕπεσθαι σὺν τοῖς ἵπποις ἐκέλευσε, ib. 5, 20: ἡνίκα οἱ φίλοι αὐτοῦ τοὺς ἐκείνου ἐχθροὺς ἀπολλύουσιν. al. — *auris inmittas*, cf. Epid. 331: „neque ego id inmitto in auris meas", sed præpositio etiam omitti potest, cf. Pers. 71: „quempiam iniexit manum". Trucul. 749: „te manum iniciam". Lucr. I, 117: „an pecudes alias diuinitus insinuet se". — 545. *qui sputatur, morbus*, comitialis sive ἐπιληψία, nam, ut Plinius ait XXVIII, 4, 7, 35, „despuimus comitialis morbos, h. e. contagia regerimus"; cf. X, 23, 33, 69: „(coturnices) comitialem propter morbum despui suetum". Theophr. Char. 16: μαινόμενόν τε ἰδὼν ἢ ἐπίληπτον φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι. Apul. de magia 52. al. Quum igitur proprie propter morbum hunc, quum eum vidissent, homines sive in suum sinum sive in terram sputarent, ut fœdum visum et contagium abominarentur, mox etiam ipse morbus despui dicebatur, nec minus qui hoc morbo laborabat. Quin ægrotis ipsis sputum aliorum salutare esse creditum, ex vss. 548 et 550 apparet. *qui* autem h. l. non nominativus est, nec enim simplex verbum eandem, quam composita, transitivam vim habet, sed ablativus, propter quem, cf. 466. — 546. Ante *recedas* positio negligitur, cf. Prolegg. p. 204. Fl. „apscedas" ed. — *Ultro*, i. e. apage, v. ad Amph. 316. — 548. *ut qui* v. 242. — *me* codd. cum hiatu in diæresi; „med" edd. et Ritsch. Neue Exc. p. 45. — 550. *fuit* prima longa, v. ad 261. — *iis* vel *is* Lindem. em. „Si duae enuntiationes relativæ ad eandem notionem spectant, constans hic est usus et Græcorum et priscorum Latinorum, ut semel tantum ponatur relativum, in altera autem enuntiatione aut nullum pronomen aut pronomen tertiæ personæ sequatur". Holtz. Syntax. prisc. scr. Lat. I, p. 389. — 551. *Quid tu autem?* sic recte interpunxit Both. *etiam*, v. ad Asin. 670. — 552. *intuitur*; tertiæ coningationis formam restituit Both. cf. Asin. 123. Eodem modo erratum est Trucul. 591. — 553. Versus causa aut *ego* aut *tibi* delendum est. Illud Both., hoc Fl. maluit. — 555. *Quin* olim em. — 556. *Haud uidi magis*, sc. qui sodalis sit, ironice, v. ad Amph. 672. —

557. Aristophontem cum tribus hominibus propter insaniam nobilissimis comparat, Alcmæonem nominans Amphiarai filium et Orestem Agamemnonis, quorum uterque patris ulciscendi causa matrem interfecit, et Lycurgum Thraciæ regem contra Bacchum furentem eaque de causa punitum. De forma *Alcmeus* v. ad Amph. 99. Attice *Ἀλκμέων* dicebatur, vulgo *Ἀλκμαίων*. — 558. *una opera, qua*, v. ad Asin. 98. — 559. *Non* in B primo omissum, supra lineam additur. — 560 spurium habuerunt Fl. Br., vix iure. — 363. „*enim* ironice affirmat, ut „uero" Pseud. 635: „tu inuentus uero, qui etc." Br. — *ueriuerbio*, veritate orationis, ut mox *uanitudine* mendacio. — 566. *tu* addidi, quoniam parum verisimilis videbatur correpta ultima vocis *negas*. Fl. Ritschelium secutus: „Ten negas Tyndárum esse? TY. Nego ego. AR. Tun te Philocratem esse ais? ‖ Ego uero inquam". Müller.: „Tun negas te Tyndarum esse? TY. Nego, inquam. AR. Tun te Philocratem". Brix.: „Tyndarum esse te negas? TY. Nego. AR. Tun te Philocratem esse ais? ‖ TY. Aio ego, inquam". — 567. Müller., Nachtr. 126: „aut tibi aut mihi" postulat. — 568 *tu* om. Lindem.; hiatur in diæresi. Fl. transp.: „quem tu esse hunc". — 569. *qui*, omisso demonstrativo, quasi „at is". Servus dominum habet, patrem non habet. — 570. *es* Fl. em. — 572. *esse* addidi versus causa; Lindem. „tete" scripserat; Fl. „tun memoras gnatum te esse liberum". — 573. *Quid est?* v. ad Amph. 552. Ekius Suecice vertit: „Hvaba?" Merito scurrilem iocum miratur Aristophontes, quo servile proditur ingenium. — 574. *te* Lindem. addidit. *ludos facit*, v. ad Amph. 567. — 575. *praeter se*, Br. confert Rud. 49: „erat ei hospes par sui". — *ei* extat in cett. codd. — 576. Convicium regerit. Ipsum ait tam pauperem fuisse, ut nullum servum haberet. — 577. *inueniri* olim emendatum. *similis tibi*; expectabatur „tui", et sic edd. recc., sed vid. ad Amph. 595. — 578. *Est miserorum ut*, Br. confert Asin. 189, al. — *inuideant* cett. codd. — 580. *aliquid pugnae edidit*, aliquid mali fecit, cf. Bacch. 270: „pugnam quam uoluit dare". Pseud. 525 sq. „Prius quam istam pugnam pugnabo, ego etiam prius Dabo aliam pugnam". Ter. Eun. 899: „Dabit hic pugnam aliquam denuo".

Unde hic quoque Fl. Br. edd. „pugnae dedit“. Epid. 489: „bene pugnasti“. — 581. *neutiquam* apud Plautum et Terentium primam syllabam brevem habet, v. Poen. 199: „elui neutiquam potest“. Mil. 632. Merc. 590. Ter. Andr. 330. Heaut. 357. Hec. 403; Fl. et Br. „ne utiquam“ scribunt, ut „ne“ elisione evanescat. — 584. *amisi*, cf. 36. — 587. Versus iusto longior; Both. pro *Enimuero* „Enim“ scripsit, cf. ad Aul. 492. Sed *Heus* quoque offendit (sic B; cett. codd. „Heus tu“); quare etiam hoc delendum videtur. — 588. *illunc* post „illic“ repetitum, cf. Mil. 936 sq. „ego ad forum illum Conueniam atque illi hunc anulum dabo“. 1163: „Sed ubi ille exierit, ... Ita uolo adsimulare, prae illius forma quasi spernas tuam“. — 589. *fune opust* codd. plerique et edd.; Fl. malebat: „opus, Hegio, st“; equidem, cur addatur „est“, non video. — 590. Furoris signa enumerantur, ut Men. 815 sq. „Uiden tu illi oculos uirere? Ut uiridis exoritur colos Ex temporibus atque fronde, ut oculi scintillant, uide“. Verg. Æn. IV, 643: „Sanguineam volvens aciem maculisque trementes interfusa genas“. Apul. de magia 50: „(morbus comitialis) pectoris primoris cutem vitiligine insignit et omnimodis maculationibus convariat.“ Hippocrat. Tom. III, p. 85 Steph. — 591. *Atra bilis*, v. ad Amph. 720. — 592. „Atra“ in principio versus errore librarii ex superiore repetitum omisi; superiores edd. transposuerunt: „Pix atra“. A crudelissimis suppliciis antiquos non abhorruisse constat; *picem* ardentem commemorat Lucret. III, 1030: „Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ“; laminas Plautus Asin. 543, furnum calidum idem Cas. 286. Epid. 120. — 593. *deliramenta loquitur*, cf. Amph. 689. Men. 904. *laruae*, Amph. 770. — 594. *ais* addidit Seyffert, Philol. XXVII, p. 441, ut v. 607. — *Quid si* tam coniunctivum sequi, ut v. 607. Curc. 351. Poen. 1170, quam indicativum, ut Cas. 322. Most. 572. Men. 830, animadvertit Br. — *Sapias magis*. Mil. 1413: „Magis sapis“. — 595. *Crucior*, de infinitivo vid. ad Bacch. 234. Ad rem cf. Hor. Sat. II, 7, 116: „Unde mihi lapidem?“ — 596. *concinnat*, v. ad Amph. 525. — 597. *te uolo*, sc. convenire, v. ad Aulul. 202. — 598. *Istinc*, ubi stas, a me remotus.

— *tamen*, cf. 187. — 599. *Namque* in principio responsionis, ubi pro affirmatione affertur affirmandi causa, cf. Cist. 70. Men. 1115. Mil. 1218. Merc. 499. Pseud. 557. Poen. 325. Eodem modo ponitur „enim" Most 911, et simplex „nam" Cas. 182. Poen. 852. — *adbites*, v. 379. — *os denasabit*, ori nasum eripiet, v. ad Amph. 314. — 601. *quem* extat in cett. codd. — 602. *uinciri* item. Pro *Uolo* Müller. Pros. p. 191 „ilico" coni. — 604. *te* olim additum. — 606. *Quid mihi abnutas?* Signum ei dedit, ut taceat, cf. Men. 600 sq. — *Quid agat* etc. Hæc non Tyndari, sed Aristophontis verba esse Lessing., Ek., Br. viderunt. Fl. ante hæc duo hemistichia excidisse putabat; non credo. — In B ab initio fuit „abis", non „absis" — 608. *quoi* Acidalius emendavit. Orationem sensu carentem significat, vid. ad Asin. 721. — 609. *Ornamenta absunt*, sc. scenica, v. ad Amph. 85. Curc. 463. Si ornamenta vel vestitus adesset, Aiacem, inquit, illum furentem videres. — 610. *Nihili* olim emendatum. — 611. *inter sacrum saxumque*, i. e. in summo discrimine, ut, ad utram partem me vertam, pernicies adsit; nam aut de saxo præcipiti cadam aut in sacrarium me conferam, quod intrare non liceat. Cf. Casin. 891: „Nunc ego inter sacrum saxumque sum nec, quo fugiam, scio". Apul. Met. XI, 28: „quod ait vetus proverbium, inter sacrum et saxum positus cruciabar". Vulgo a victima dictum arbitrantur sive porca, quam sacerdos silice percusserit; sacrum altare appellatum putant, silicem autem saxum ex Liv. I, 24, 9: „porcum saxo silice percussit". — 612. *Do tibi operam*, ausculto, cf. v. 6. — 614. *expurigare* versus causa Br., cf. Corssen., Aussprache d. L. II, p. 21. Fl. „med expurgare" scripsit. *me* subiectum est in priore sententia, in altera obiectum, cf. Men. 876: „Num eum ueternus aut aqua intercus tenet?" — 619. *nullam causam dico, quin*, v. ad Amph. 845. — 620. „*deliquio*, oblivio", Placidus; immo interitus. Præter „deliquium" illam quoque formam in usu fuisse, etiam Servius ad Æn. IV, 390 testatur. *siet* recte cett. codd. — 625. *maior*, ætate. — Post *maiorem* hiatur. Br. transp.: „maiorem maior". — *Em*, v. ad Amph. 771. Idem regerit. — 627. *Fuitne*, priore longa, v. ad 261. Müller. voluit: „Fuitne huic ibi pater". — 630. *Quin quiescis?* cor suum alloquitur

præ timore saliens. *i dierectum* Gulielmus, v. ad Bacch. 577. — 631. *subsultas*, palpitas, trepidas, cf. Cas. 410. Cor salire vulgo dicitur, v. Cist. 381. Casin. 391. 338: „corculum adsultascit iam ex metu". cf. Aulul. 618. Æschyl. Choeph. 167: *ὀρχεῖται καρδία φόβῳ.* Anaxandrid. ap. Athen. XV, 688 b. *ὦ πονηρὰ καρδία, Ἐπιχαιρέκακον ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος · Ὀρχῇ γὰρ εὐθὺς, ἢν ἴδῃς δεδοικότα.* Plato et Plutarchus *πηδᾶν τὴν καρδίαν* dicunt. — 632. *exquisitum*, exploratum. — 633. *tam satis quam*, proprie dicendum erat „quam quod maxime". — 635 sq. Hos versus Brix. post 639 posuit, et hoc quidem loco ferri non possunt, nec *Tum* orationem continuat, sed responsum incipit; sed ne illo quidem loco quisquam desiderabit versus vere barbaros. *ærumnatus* enim non est Latinum; Turneb. „deruncinatus" reposuit ex Mil. 1135, i. e. runcina (qua ligna lævigantur) mutilatus. *deartuatus* v. 666. *ductauit dolis* cf. 749. Mihi uterque versus spurius videtur. — 637. *uide sis*, ne error tamen aliquis subsit; cf. 877. Poen. 289. — 638. *Quin* cett. codd. *magis certius*, v. ad Amph. 297. — 641. *et* versus causa deletum. Similes descriptiones Br. comparat Asin. 397. Merc. 630. Pseud. 1214. Poen. 1115. — 642. *Subrufus* codd., „Subrufust" Fl., non opus. Ad phrasin cf. Ter. Andr. 447: „subtristis aliquantum". — 643. *Ut quidem.* „Et tam accurate quidem convenit, ut ego cum summo malo huc processerim"; cf. Cas. 277: „Mihi optinget sors. LY. Ut quidem pol pereas". ib. 366. Trin. 429: „Factum. ST. Ut quidem illud perierit". — *processerim.* Br. confert Ter. Ad. 979: „Syre, processisti hodie pulcre". Pl. Aul. 439. — 644. Ne in miseria quidem et summo timore abstinet a scurrili servorum loquendi ratione. Non se, sed virgas miseras dicit, quæ in tergo suo conficiendæ sint, v. Amph. 1022: „ulmorum Acheruns". Mox similiter inversa ratione se custodem compedum dicit, cf. Asin. 295: „custos carceris". — 647. *illisce* Müller. et Schmidt., pron. dem. p. 69. *Satin*, cf. ad. Amph. 627. — *capti*, i. e. captivi, *ceperunt*, lepida similium appositio, ut Hor. Ep. II, 1, 156: „Graecia capta ferum victorem cepit". — 649. *Nuculeum* nucleum, cf. Curc. 55. — *pignori*, pro pignore, cf. 432. — 650. *sursum uorsum.* Fuerunt qui interpretarentur *ἄνω κάτω*, sed

hoc esset „sursum deorsum“; et sic edd. Bosscha et Geppert. Immo os sursum trahitur, offuciisque oblatis prohibetur, quo minus ea, quæ ante pedes sunt, videat. *os subleuere*, v. ad Aulul. 660. *offuciis*, fuco, præstigiis, cf. Most. 259. — 651 sq. Servos in ædibus versantes et opera facientes evocat, et lora eos afferre iubet, ut Tyndarum arte constringant. *Ite istinc*, cf. Poen. 1323: „Ite istinc, servi, foras; ecferte fustis“. Aliter Merc. 899: „Exite; illinc pallium mi ecferte“; unde Br. hoc quoque loco „istinc“ ad sequentia traxit, parum recte. Quod autem et Fl. et Br. *atque* delerunt, in primo pede sibi aliquid permisisse videtur poeta, v. Prolegg. p. 181. — *Num lignatum*. Ludit servus; nam ipse probe norat his loris non ligna collecta, sed hominem vinctum iri.

653. Senariis scripta est scena, qua Tyndarus vincitur. Sed primus versus defectu laborat, antiqui edd. *actutum* addiderunt ex Bacch. 794: „Constringe tu illi, Artamo, actutum manus“. — 655. Maximum scelerum auctorem et machinatorem eum esse dicit, et, qui malum severit, eundem malum messurum esse addit. *Sartor* a sarciendo vulgo ducitur, et ut „consuere dolos“ extat Amph. 363 pro machinari, ita etiam sarcire dolos dici possit, quamquam potius ruptos dolos denuo nectere significaret; sed fieri non potuit, ut hoc inter vocabula longe alio pertinentia (sator . . . messor) interponeretur. Suppetias fert Nonius p. 7: „Sartores dicti non solum a sarciendo, verum etiam a serendo“ (immo a sariendo). Præter h. l. affertur „Varro Vinalibus περὶ ἀφροδισίων: Et enim sic uide: utrum mercedem accipit is, qui meas venit segetes ut sariat, an ego ab illo? Sic ego non tuus“ (sic scribendum) „sim sartor, si tu plus laboras quam ego do“. Apud Columellam sarritio, sarritura, sarritoria opera constanter dicuntur; Plauti et Varronis temporibus etiam sartorem dictum esse videmus; *sariunt* autem simplici r v. 657 metrum flagitat, et sic semper dictum esse affirmat Fleckeis. Annal. 1868, p. 212, et ex glossariis Lœwe Analect. p. 210. — 656. *Non audebas*, i. e. non volebas, v. ad Asin. 473. — *occatorem*. Varro R. R. I. 31: „occare i. e. comminuere, ne sit gleba; quod ita occidunt. occare dicunt“. Idem repetit Festus p. 181, additque: „cum

Cicero venustissime dicat ab occæcando fruges satas". — 658. *Attat* Herm., ut defectui versus succurreret, cf. Aulul. 704; alii alia, ut Gepp. „At ecce", Müller. „Uide ut confidenter seruos mihi", Br. „At ut scelus confidenter", coll. Aul. 52. — *mihi*; „contra astare" ut contradicere cum dativo iunctum est. *adstitit* autem est adstat. — 659. Post *seruom* ne hiatus sit, Fl. Br. „hominem" add. ut Mil. 564. al. Geppert. audacius substituit versus ex Pseudol. 460 sq. „Decet innocentem, qui sit, atque innoxium Seruom superbum esse apud erum potissumum". Kiessling., Annal. philol. XCVII, 630, quasi inde confictos hos duo versus delendos censuit, eumque Br. secutus est; mihi quidem et apte hic poni videntur, nec similitudinis causa delere licet, v. ad Asin. 185. — 662. Post *tu* hiatus, cf. 443. Fl. „mihi uel" scripsit. *has*, manus. — 664. *quod in te fuit*, i. e. quantum, cf. ad Aulul. 252. — 666. *„deartuauisti*, in articulos dissecuisti, *διεμέλισας*" Bosius. — 672. *tu* add. antt. edd. — 674. *id*, i. e. ideo, cf. Poen. 773: „id nunc iis cerebrum uritur". Ter. Ad. 791: „Id nunc clamat scilicet". Heaut. 888: „Gnatus quod se adsimulat laetum, id dicis. CH. Id". cf. ad Amph. 902. — 676. *parui aestumo*, sc. me perire. Hiatus vitandi causa Gulielmus „paruid" scribebat, alii „id" addiderunt, Gepp. „istuc parui", Ritsch. ad Most. 73 („flocci existumat") „parui existumo". Sed etiam apud Fest. Epit. p. 143 est „Rogata fuerit necne, flocci aestumo". — 677. *si* pro „ast" recte emendavit Brix. Si, inquit, hic peribo, non redeunte, ut promisit, hero meo. *Ast* non tam formam habet a Plauto alienam (v. Merc. 242. Trin. 74. 245, ubi in A sic legi), quam ab huius loci sententia abhorret; duplex *si* vero prorsus Plautinum est, v. ad Aulul. 223. — 679. *Me* add. Fl. — 682. *praeoptauisse*, sine synizesi legendum, quare Ritsch. Neue Exc. p. 99: „praedoptauisse". Se suum caput ait periculo obiicere maluisse quam ut herus periret. Ad *periculo ponere* Br. comparat v. 432 „positam pignori, quod non prorsus simile est, sed ut „exponere" aut „opponere" scribatur, non permittit versus. — 683. *Acherunti*, apud inferos, nam inter vivos non amplius eris. Vid. ad Amph. 1022, et de forma ablativi (locativi) Madv. Gram. 42, d. — 684. Tyndarus respondet eum, qui

propter virtutem pereat, non perire, sed memoriam eius apud posteros manere. Apparet *perire* et *interire* idem significare, cf. Most. 1016: „perii, interii". Trucul. 695 (qui ex h. l. emendatus est): „Saluos sum, quia pereo; si non peream, plane interierim". Parum feliciter Nonius p. 422: „Perire et interire plurimum differentiæ habent, quod perire levior res est et habet inventionis spem et non omnium rerum finem". Quod autem et is in h. v. laudando et codd. Plautini *peritat* habent, nihil est nisi antiquæ corruptelæ testimonium; Scaliger „perbitat" coniecit, sed coniunctivi nulla ratio est, quamquam etiam Brix. „perierit". Alciatus, quem Geppert. sequitur: „Qui per uirtutem periit, is non interit", Lindem. „periit, at non", Fl. „perit, at non is", Gertz: „Qui per uirtutem perit, perit, at non interit"; verum „at" non sic dicitur. Ego iam in priore editione *aiunt* scripsi, cf. Ter. Andr. 805: „Sic ut quimus, aiunt, quando ut uolumus non licet". Phorm. 419: „Actum, aiunt, ne agas. — 685 *cruciauero* Fl. metro iubente, cf. Bacch. 1089. — 686. „*Sutelae*" ait Festus p. 310 „dolosæ astutiæ a similitudine suentium dictæ sunt". Cf. Casin. 95; Amph. 362: „consutis dolis". — *morti*. Br. confert Homericum illud Ἀΐδι προϊάπτειν et Hor. Sat. II, 5, 49: „si quis casus puerum egerit Orco". Verg. Æn. II, 85: „demittere neci". V, 691: „morti". — 688. „Modo pereas, quo nomine hoc appelles, non curo; per me vel vivere te dicant". *interdico* codd. corrupte. „interduo" Gulielmus emend., cf. Rud. 580: „Eluas tu an exungare, ciccum non interduim". Trin. 994: „qui sis, qui non sis, floccum non interduim". Sed u nisi in coniunctivo rationem non habet, quare necessario *interdo* scribendum, nec habet, quo se defendat Fleckeisenii coni., quam recepit Br. „nihil interduo, aiant". — 689. *istuc*, ut ad mortem me crucies. — 690. Corruptelam numeri arguunt. Cod. Brit. „sic confide". Melius alii antiqui: *Si ille huc rebitet* (ut v. 741) *sic ut confido adfore*, sc. eum. — 692. *Quid hoc sit negoti* Br. em., cf. Men. 377 et 518, prob. Müller. Pros. p. 324. Fl. ed. „Quid hoc negotist", prob. Fuhrman. Annal. phil. CV, p. 816. — 693. *ad*, i. e. apud, cf. v. 49. — 694. *alius* Fl. addidit, et versu et sensu postulante aut hoc aut simile quid. Müller. et Br.

„Nec quisquamst hominum adaeque“. *aeque* iuxta comparativum abundat, ut „magis“, de quo v. ad Amph. 297; cf. infra 822. Merc. 335: „homo me miserior nullus est aeque“. Mil. 553: „ex uno puteo similior numquam potest Aqua aeque sumi“. — 697. *Uotui*, i. e. uetui. Antiquam formam quod ad Asin. 518 dixi codicem B ab eo loco constanter servare, potius sæpe dicere debui, nam „ueto“ legitur Bacch. 1040. Capt. 850. Curc. 33. 145 et fortasse alibi. — 698. *Cur es ausus?* v. Aul. 733. — *mentiri mihi*, i. e. adversus me; Brix. confert Amph. 464. Ter. Eun. 703. — 702. *custodem*, non pædagogum, ut ait Br., sed comitem. — 703. Post *factum* hiatus in cæsura; recc. edd. „tu“ addunt. — 704. *qui* verum esse non potest; *atque* scripsi. *sorsum* codd., i. e. seorsum. — 706. *faxit ... haberes*, consecutio temporum parum accurata, cf. ad Amph. 739 et 223. Fl. „faxet“ ausus est, forma plus quam dubia. — 711. *postulauisti*, expectavisti posse, cf. 338. — 712. *nuperum*, ἅπαξ λεγ.; *nouicium*, vulgatum de servis nuper emptis, cf. Ter. Eun. 582: „nouiciae puellae“. Varro. L. L. VIII, 6: „etiam novicii servi empti in magna familia etc.“ Cic. in Pison. 1, 1: „Syrum nescio quem de grege noviciorum“. — 714 *a* add. edd. — 715. *gratiam istam* hoc ordine Pylades; est autem „eius rei“, cf. 357. — *Ducite* etc., lorarios alloquitur; sed 717 ad Tyndarum redit. — *latomias lapidarias*, lapicidinas. Adiectivum abundat, sed adiectum prohibet ne quis de lautumiis Romæ, qui locus erat in urbe habitatus, v. Becker. Enchir. I, p. 263, cogitet. — 719. *Cotidiano* pro quotidie ex Afranio affert Charisius p. 196 K., ex Ciceron. Rep. VI Nonius p. 501. — *sesquiopus*, opus ἡμιόλιον, unius diei et dimidii. Colum. II, 13, 2: „sesquiopera“. — 720. *Sescentoplago*, sescentis plagis verberato. — 722. *Curabitur*, sc. ne eum perdam, quod in aliam sententiam accipit quam Aristophontes dixerat, quasi „ne eum amittam“. — 724. *interdius*, v. ad Asin. 591. — 725. *ego hunc* transp. Camer., Gepp. delebat „ego“. — *absoluam*, cf. Aul. 509. — 728. *huic* post *istum*, v. ad 543. — 731. *ita* suo loco Fl. — *curarier ne qui* (i. e. ullo modo) *huic deterius sit*, quasi de bona re, ironice. — *ita .. ne*, cf. supra 266. Most. 382. Mil. 149 et Brix. ad eum locum. — 734.

Periculum meæ vitæ, inquit, tuo periculo emitur, vel quia servi mors semper domini damnum est, vel quia Tyndaro necato, minus causæ est Philocrati, cur cum Philopolemo redeat. — 735. *in morte*, v. ad Bacch. 1197. — 736. *peruiuo* recte cett. codd. — 737. „*minitas* pro minitaris“ Nonius p. 473, afferens ex Livio: „Etiam minitas“, et Plaut. Amph. 1032. — 738. *salue*, v. ad Asin. 586. — 743. *Peristis* etc. Brix. conf. Mil. 827: „periisti iam, nisi uerum scio“. 163: „disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis“. Poen. 352: „Iam hercle tu peristi, ni illum mihi tam tranquillam facis“. Versus propter hiatum post *nisi* dubius. Fl. „nisi iam hunc“ ed., Gepp. „hunc nisi iam“, Br. „nisi istunc iam“. — 745. *phylaca* hoc uno loco legitur, sed phylacistæ Aul. 510. — 748. *Quod absque hoc esset*, i. e. quod si hic non fuisset, v. ad Bacch. 409. — 749. *offrenatum* Gulielmus em., quasi frenis domitum. — 754. *surpuit* Camerar., cf. 8. — 756. *Maior*, sc. filius. *potitus*, cf. 92. — *scelus*, infortunium, v. ad Asin. 473. Tam male, inquit omnia eveniunt, quasi hoc in fatis fuisset ut, quum liberos produxissem, orbus manerem. — 758. *Sequere*, Aristophontem alloquitur. — *redducam* scripsi cum Fl., ut Pseud. 672 A et B. al. cf. Lucret. I, 228: „Redducit Venus aut redductum dædala tellus“. infra 918. „*Neminis*“ ait Nonius p. 143 „pro nullius. Plautus Captivis: Neminis me miseret, nam me miseret neminem“. Priscianus VI, 15, p. 207 H versum recte scriptum affert, nisi quod extremo loco „nemo“ habet. *mei*, quod in cett. codd. extat, in B addidit secunda manus; coalescit in unam syllabam; „mis“ proposuit Fl. et Luchs. Herm. VI, p. 273. Pro *misereri* Spengelius ad Trucul. 2, 1, 13 (225) „miserere“ postulat, probante Brixio, quod nec illo loco necessarium est, nam spondeus in quarto octonarii pede ferri debet, nec ei verisimile videbitur, qui et tertio Plauti loco (Pseud. 378: „qui me tui misereri postulas“) eandem formam legerit, et antiquos meminerit etiam „miseretur me“ dixisse, ut Turpilius et Pacuvius ap. Non. p. 477, Cic. Ligar. 5, 14. Etiam Stich. 330 libenter scripserim: „Nam me quidem harum miserebatur“, ne verba transponerem. — 760. Vinculis, inquit, liberatus quasi ex seruitute egressus libertatis auspicia cepi; nunc in vincula

redeundum et nova servitutis initia sive auspicia capienda sunt. *exauspicaui* activa forma, ut alia apud antiquos, vid. ad Amph. 817.

762. Parasitus postquam apud portum Philopolemum una cum Philocrate redeuntem vidit, gaudio elatus Hegionem propter nuntium, quem ei allaturus est, æternam sibi gratiam relaturum sperat. Soliloquium incipit a duobus septenariis trochaicis; inde transitur in iambica systemata, octonariis descripta, quod numerorum genus gaudenti aptissimum est, cf. Men. 128 sqq. Stich. 273 sqq. Müller. Prosod. p. 121 omnia trochaica facere conatur; verisimilius Fleckeisen. iambos continuat ita ut v. 766 a principio addat: „Saluos sum", 769 „Ita"; sed potius tria systemata distinguenda sunt, quorum duo priora (763—65 et 766—68) ex septenario trochaico et duobus octonariis iambicis constant, tertium (769—74) ex septenario trochaico et quinque iambicis octonariis.

763. *Maxumas opimitates*, cf. Asin. 280, et eas quidem *opiparas*, i. e. laute paratas, sibi promittit. Bona cum his coniuncta enumerantur rotundo ore, sed nullo ordine. *Laudem* (764) boni nuntii significat; *pompam* (765) quæ in foro et macello comparata sunt, v. ad Bacch. 112. — 766. *iam*, bisyllabum, versus causa addidi cum Gepp. Müller. Br. — 767. „Potentis hominis est utrumque efficere posse et amicis prodesse et inimicis obesse". Lamb. — 768. *amoenitate amoena amoenus*, cf. ad. Amph. 274. Extrema versus vox in codd. est „mihi"; sed olim intellectum est *dies* desiderari. — 769. *Sine sacris hereditas*, cf. Trin. 484: „Cena hac annonast sine sacris hereditas". Fest. p. 290: in proverbio dici solet, [cum aliquid obvenerit] sine ulla incommodi appendice; quod olim sacra non solum publica curiosissime administrabant, sed etiam privata, relictusque heres sicut pecuniæ etiam sacrorum erat, ut ea diligentissime administare esset necessarium". Cf. Cic. Leg. II, 19, 47 sqq. — 771. *ipsus* em. Reizius. — 772. *certa res est*, certum est. Br. confert Amph. 1064. Asin. 246. Merc. 463. Servi in comœdiis ubi properantes exhibentur, nihil omittunt, unde properatio appareat, vid. Amph. 977 c. not. Primum *pallium*, ne impedimento sit, *colligunt*, v. 783, et in humerum coniiciunt, cf. Epid. 191: „palliolum in collum conice".

Ter. Phorm. 844: „Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio“. Cf. Wieseler, Theatergebäude u. Denkmäler des Bühnenwesens p. 73 tab. XI, 2. — 773. Post *me* hiatur. Fl. „ille“ add., Ritsch. et Br. „med“ scr. — 774. item hiatur post *me*, nisi transponas: „ob hunc me“. Post *nuntium* hiatus in diæresi legitimus, ne cum Bosscha et Lindem. „aeuiternum“ adsciscas ex Varrone ap. Priscian. II, 11, 62, p. 81 H.

775. Hegio advenit. Ægritudinem suam cantico profert creticis fere numeris composito, quorum maxima pars bacchiacis tetrametris describitur; tertio tantum brevior clausula additur (v. 778), 782 post iambum et duos creticos choriambum habet, 784 spondeum. — 776. *mihi* vel mi cum proxima syllaba coalescit. *auctior* ultimam producit, v. Proleg. p. 195 sq. — 777. *sublitum*, cett. codd., cf. 650. — 779. *tum* Lindem. addidit, coll. Bacch. 143, Casin. 139. Trucul. 192. — 781. *ductus* codd., quod, si „deceptus“ intelligitur, ineptam tautologiam habet; *doctus* et alii emendarunt et Dousa, cf. Pers. 593: „ego ille doctus leno paene in foueam decidi“. Bacch. 691. — *quoi* cod. Brit. et B sec. m. — 782. Ut integer fieret tetrameter, Fl.: „quem ire uideo“, vix recte. — 783. *Conlecto*, v. ad 772. Ad *est* Br. contulit Cic. Cat. mai. 10, 34: „ut capite operto sit.

784 ut integer tetrameter bacchiacus fieret, Fl. „nunc“ addidit post „moram“. Gertz. „Ergasile, sis“. Proxima septenariis trochaicis scripta sunt. — 785. *Minor* Fl. em.; „Eminor“ enim nihil est; ex personæ nota ortum videtur, ut 793 „eminatio“ ex „est minatio“. Versus causa Fl. „mi hodie“ scripsit. Br. „mi hic“. — 786. *qui* Gruterus em. — 787. *ore sistet*, pronus in os cadet, cf. Curc. 287. Mil. 848: „capite sistebant cadi“. (Verbum alibi semper transitivum est; nam apud Manilium falso legebatur.) Stich. 287: „Si rex obstabit obuiam, regem ipsum prius peruortito“. Ceterum B prius „are“; man. sec. o suprascripsit; deinde „pugillatum“. — 788. Pro *ut* cod. Brit. „ut ut“; Fl. *ita* em. — *itinera insistant sua*. Br. confert Cist. 507. Mil. 793. add. Asin. 53. — *in hanc plateam* Geppert. em. — 790. Qui in hanc plateam nunc venerit, is, inquit, tam vehementer pulsabitur, quam si belli machinis feriatur. *Pugnus* cum *ballista* magnos lapides proiiciente,

cubitus cum *catapulta* pila emittente comparatur (v. Marquardt. Enchir. Rom. ant. III, 2, p. 466 sqq.), *humerus* cum *ariete* muros evertente. — 791. *ut quemque icero* Camerar. em. — 792. *Dentilegos*, ut dentes vehementi plaga excussos legant. — *quemque*, i. e. quemcunque, v. ad Asin. 198. add. Mil. 1382: „Omnes se amare credit, quaeque aspexerit Mulier". — 793. *est minatio* Fl. em., vid. ad 785. Br. „comminatiost. — 794. *huius* ex codd. interpolatis Lindem. — *diei* bisyllabum, v. 463. — 795. *extemplo*, quo addito versus corrumpebatur, om. Lindem. — 797. *culpam*, ignorantiam et errorem. — 799. *Mira sunt ni*, vid. ad Amph. 279. *in uentrem sumpsit confidentiam*; ceteri homines in animum sumunt, parasitus in ventrem; nam nisi bonæ cenæ spem concepit, nullam habet, cf. v. 806. — 800. Miseret Hegionem illius, cuius cena tantum animum parasito dederit, ut tale imperium exerceat; nimis enim multa eum esurum. — 801. *Pistores*, ne furfures, qui in pistrino excernebantur, inutiliter perirent, sues pascebant. *furfure* codd.; sed potius „furfuri" scribendum, quoniam ultima longa est, v. Prolegg. p. 195. Luchsius in Studemundi Stud. I, p. 57 „furfuribus" postulat, et posteriores quidem hac significatione semper pluralem posuisse apparet; antiquos etiam singulari collectivo usos esse, præter h. l. Gell. XI, 7, 5 probat. — 802. *odore*, propter odorem, præ odore, cf. Most. 828: „aetate non quis optuerier". — 803. Pistorem, si sues sibi in via obviam venerint, minatur se ita pugnis pulsaturum, ut furfures iam in ventrem recepti excutiantur — subus dicendum erat, sed *παρὰ προσδοκίαν ipsis dominis* dicit; vid. ad Asin. 875, p. 430. — Pro *quoiusquam* Luchs., Genetivbildung. d. Pron. p. 36, „quoius umquam" postulat. — 805. *Basilicas*; ita edicit, ut regem et imperatorem deceret, cf. Trin. 1030: „basilica hic quidem facinora inceptat loqui". cf. Pseud. 458. Brixio huic versui v. 817 tam similis videbatur, ut illum damnaret; proximus autem (806) propter v. 799 ei spurius videbatur. Me quidem eiusmodi repetitiones minime offendunt, quibus quæ semel proposita sunt, denuo verbis paulum mutatis confirmantur. — 807. *Piscatores qui, ... eis*, *ἀναχολούθως* attractione facta, v. ad Amph. 1002.

Mox 812 sqq. durius etiam a laniis ad petronem transitur. — 808. Piscator pisces non vehiculo sed corbibus ad clitellas alligatis, fortasse ipse eodem equo vectus, in urbem portaverat, sed vili equo, *cantherio*, v. ad Aulul. 487, sessorem quassatione immodica *crucianti*, quippe cuius quattuor pedum singuli motus sentiantur, v. ad Asin. 701. Imitatus est Ausonius Epist. 21, 38: „trinodem dactylum Vidi paratum crucianti cantherio". — 809. *subbasilicanos*. Pisces tam prope basilicam prostabant, ut eorum odos iis, qui in basilica versabantur, molestus esset. Homines ibi versantes commemorantur Curcul. 471 sqq. Ex utroque autem loco unam solam apparet illo tempore Romæ basilicam fuisse. Sed illud tempus utrum Plauti ipsius fuerit, an hi versus post eius ætatem accesserint, dubitant viri docti, primam enim Romæ basilicam Porciam fuisse docent a Catone censore ædificatam eodem anno, quo Plautus mortuus sit. Quod unde noverint, equidem nescio; nam Livius quidem anno 210 a. Chr. n. nondum basilicas Romæ fuisse testatur, XXVI, 27, 3; tum XXXIX, 44, 7 „Cato" inquit „atria duo, Mænium et Titium, in Lautumiis et quattuor tabernas in publicum emit, basilicamque ibi fecit, quæ Porcia appellata est". Primam fuisse non dicit, nec quidquam obstat, quo minus ante eam alia fuerit nullo nomine insignis; nominibus enim tum demum opus est, ubi plures sunt. Foro iunctam fuisse, et res postulat et hic locus ostendit; ab altera parte piscatorio foro vicinam fuisse videmus. Ac fieri potest, ut non novam basilicam adificaverint a. 179 censores Fulvius et Æmilius, sed antiquam ampliorem et splendidiorem fecerint, v. Liv. XL, 51, 5: „M. Fulvius locavit ... basilicam post argentarias novas et forum piscatorium circumdatis tabernis, quas vendidit in privatum". — *abigit* olim emendatum. Priscian. I, 40, p. 31 H. corrupte: „adegit". — 810. *Surpiculus*, vel sirpiculus, ut alibi scribitur, sed minus recte, quoniam a surripiendo dictum videtur, corbis genus est, quod et olitoribus in usu erat, v. Lucil. ap. Non. p. 490: „surpiculique olerorum"; Prop. IV, 2, 40: „Sirpiculis medio pulvere ferre rosam", et piscatoribus, cf. Pompon. v. 119: „Quid habes in surpiculis, calue? — Omne piscati genus". — 811. *exhibeant*. Scripturam „exibeant", quæ et hoc loco in B et alibi extat,

Brixius amplectitur. — 812. *Lanii* h. l. non ii significantur, qui sua manu animalia cædunt, sed qui carnem vendunt in lanienis, cf. Phædr. III, 4, 1: „Pendere ad lanium quidam vidit simiam“. Vivas sæpe victimas eos vendidisse videmus, cf. Aul. 557, sed ut *cædendas* aut ipsi curarent aut aliis *locarent*. — *concinnant*, i. e. reddunt, v. 596. Parasitus non id queritur, quod agni ovibus eripiuntur, nam mollis agnina ei vehementer placebat, sed quod lanii emptores deciperent et quum agnum bonum vendidissent et cædendum locassent, eius loco deteriorem, aut minus pinguem aut ætate maiorem, substituerent. Etiam Pseud. 196 fraus laniorum tangitur. Sed num talis caro *dupla agnina* appellari possit, vehementer dubito. Ekius quidem cum antiquis interpretibus carnem intelligit duplam habentem agninæ ætatem; sed hoc et obscurius dictum esset nec parasiti esset agninam talem carnem dicere; mihi error librarii subesse videtur; *dubiam* scripsi, i. e. de qua dubitetur, utrum agni an ovis sit, cf. „cena dubia“ Ter. Phorm. 342, alia. Bothius „duplo“ scripsit, Rostius Opusc. I, p. 41 „dupla“, eumque plerique secuti sunt, hoc autem „duplo pretio“ significare volunt, ut hic sit loci sensus: „Spondent lanii se tibi cæsuros esse agnos suos certo pretio, cum vero cæsos exhibent, duplum pretium postulant“, quasi parasiti quidquam referret, quo pretio cena constaret; immo is unum spectat, quam mollis et iucunda sit. — 814. Iidem lanii *petrones*, i. e. veteres arietes (ap. Fest. p. 206: „Petrones rustici fere dicuntur propter vetustatem“ nescio an „arietes“ rusticis sint substituendi) pro *ueruecibus sectariis* exhibent. Festi Epit. p. 336: „Sectarius ueruex, qui gregem agnorum præcedens ducit“, male, nam et aries, non vervex gregem ducit, nec sectarius, si a sequendo duceretur, ducem sed sectatorem significaret. Apparet a secando derivatum esse, ut sit sectus i. e. castratus. — 815. *Eum*, v. ad v. 807. — 816. *mortalibus* ridicule etiam petronem adnumerat. — 817. Post *Eugepæ* hiatur. *hic quidem* transposui, ne septimus pes dactylus esset. Gepp. „quidem“ delebat, Fl. „Euge: edictiones aedilicias [pol] habet hic quidem“. Br. versum spurium habuit, v. ad 805; sed hoc omisso proximum Romani homines vix intelligerent. *Ædilis* erat de foro et macello, de carne et piscibus aliisque rebus vendendis edicere,

cf. Vissering., Quæst. Plaut. II, p. 37, et ex hoc edicto ius dicere, cf. Men. 577. Rud. 374: „quamuis fastidiosus aedilis est; si quae inprobae sunt merces, iactat omnis". Eadem apud Græcos τοῦ ἀγορανόμου provincia erat, cf. Mil. 727: „Sic ut merci pretium statuit qui est probus agoranomus". — 818. Post *sibi* hiatus; Herm. transp. „Aetoli sibi", Fl. „Aetoli sib, fecere". — 819. *regum rex regalior*, βασιλέων βασιλεὺς βασιλεύτερος, Latine autem genetivus non comparationis est sed partitivus, et comparativus pro superlativo ponitur, quasi regum omnium hoc nomine dignissimus. — 820. *cibus* genetivum esse ait Priscianus VI, 74, p. 259 H., cf. „lectus" Amph. 509. Gronovius contra: „sic distinguendum: Tantus, ventri commeatus meo, adest in portu cibus. Cibum enim vocat per ἐπεξήγησιν quam vulgo appositionem vocant, commeatum ventri suo. Neque intelligit alium, quem Philopolemum, a quo per omnem vitam cibum sperabat". Mihi Prisciani ratio, ut commeatus cibus iungatur, verior videtur. — 821. *cesso*, v. ad Aulul. 389. — *hunc Hegionem senem*, de ordine cf. ad Amph. 1093. — 822. *Qui*, i. e. quo. *hominum*, quod in codd. exciderat, add. Camerarius. *adaeque fortunatior*, cf. 694. — 824. Lacunam versus Brixius optime supplevit ex Amph. 1013 et Bacch. 581; cf. etiam Pseud. 1135: „Heus ubi estis uos?" — 825. Hiatus in diæresi; Müller. „sese" coni. — 826. *assulatim*. Non. p. 72: „minutatim; Plautus Captiuis: prius quam pulsando assulatim foribus exitium dabo". Quod in codd. extat, Br. suspicatur ab initio fuisse: „assulatim vel assultatim", mala addita correctione. Cf. Men. 845: „dedolabo assulatim", i. e. ita ut assulas inde faciam. Merc. 159: „foribus facere hisce assulas".

827. *conloqui hominem*, v. ad Amph. 335. Cum Fl. verba transposui, ut septenarius efficeretur; nam si relinquitur ordo codicum, potius iambicus octonarius erit. Et hoc quidem Studemundus, Herm. VI, p. 268, tenuit, Plautum his versibus, 827—31, metrum mutasse arbitratus, ita ut duo primi octonarii iambici essent, tertius tetrameter creticus, quartus ex anapæstico monometro constaret et cretico dimetro cum penthemimere trochaico, quintus septenarius iambicus esset. Quem ita secutus est Brixius, ut quartum quoque iambicum septenarium faceret, „aduenisti"

in exitu scribens. Verum non numerorum solum vitia insunt; nam v. 831 inepte fastidium eius reprehenditur, qui animum in antecedenti versu prorsus contrarium ostendit. Immo hic versus ad v. 828 respondet, eoque transferrem, si reliqua genuina essent. V. 828, si numeros excipias, Plautino non absimilis videtur, sed eundem imitator fingere potuit ex Poenul. 405 sq.: „Respice. Respexit. Idem pol Uenerem credo facturam tibi". Frequens autem locutio erat, Fortunam homines respicere, et Respicientis Fortunæ ædes et cultus Romæ nota erat, v. Becker. Handbuch I, p. 420. Preller. Röm. Mythol. p. 558. Quod codd. præbent *hoc me iubes*, per se non damnarem, v. ad Bacch. 989; Brixius „hoc" delevit, quo octonarius satis bonus evadit. 829 autem et ineptus est, et oratio varie laborat. *Qui est?* non dicitur (*Qui uocat?* (v. 827) probum est, v. ad Aul. 342); nec iniuria, qui hunc versum Plautinum putarunt, Fl. Br. „quis est?" ediderunt. Tum *mihi* ferri non potest, nam nimis dure iungitur „mihi in tempore aduenis", *Quantum est* etc. omni offensione carent, v. ad Aul. 778. Quum igitur dubitari nequeat, quin hic locus retractando turbatus sit, ex duobus alterum faciendum est, aut ut vv. 829—30 damnemus, aut ut 828 et 831 et intercedentium non nulla male addita censeamus, id quod mihi et olim et nunc verisimilius videtur. Sic enim Plautum scripsisse arbitror non interrupta septenarorum serie:

Ergasilus
Ergasilum qui uocat?
Hegio
Respice ad me.
Ergasilus
O, quantumst hominum optumorum optume,
Cedo manum.

Quamquam plerosque offendet hiatus ante „optume". — 832. *Manum* postulat gratulandi causa, cf. 853. Merc. 954: Uxor tibi placata et placida est; cette dextras nunc iam." Pseud. 1065: „O fortunate, cedo fortunatam manum". — 834. *Noli irascier* codd., pravo sensu. Acidal. „Non itast; scies"; Gepp. „Noli angier". Sed vix dubitari potest, quin hæc verba ex

v. 839 errore huc irrepserint. Fuit autem tale quid, quod Br. proposuit. „ER. Quin bono animo es“. Gertz.: „Gaude modo“, coll. Asin. 914 sq. — 835. Maeror cum morbo comparatur, qui in corpore maculas relinquat. — 837. *Bene facis*, cf. Ter. Eun. 186: „Merito te amo; bene facis“, ad quem locum Donatus: „In consuetudinem venit bene facis et bene fecisti; non iudicantis est, sed gratiam agentis“. — *iube*; oratio quasi non interrupta continuatur, v. ad Amph. 1136. Post *iubeam* hiatus in diæresi. — 838. *uolturium* eum appellat, qui alterius bona libenter perdat. — 840. *„Iuben an non iubes?* acerrime hortantis est, cf. Mil. 451: „Mittin me an non mittis?“ Pers. 533: „Tacen an non taces?“ Trucul. 742: „Redin an non redis?“ — Post *adstitui* hiatus est; Geppert „igni“ addidit. — 841. *foculis* si a foco derivatum esset, o breve haberet, quare Lindem. et Fl. „foculis in feruentibus“ scripserunt; nec aliter Iuvenal. 3, 262: „bucca foculum excitat“. Sed Plautus *foculum* o longo dixit (quasi foviculum a fovendo), v. Pers. 105: „intus uentris fumant focula“. Hoc Nonius p. 10 nutrimenta interpretatur; parum recte; nostro quidem loco batillus intelligitur. — 842. „*Præstinare*“ ait Festi Ep. p. 223 „apud Plautum praemere est; i. e. emendo tenere“. Immo simpliciter emere, cf. Epid. 274. Pseud. 168. — 844. *bene esse* ab edendo repetit Ekius. Mihi cum Brixio ad verbum „sum“ pertinere videtur. Dicitur enim non solum „mihi bene est“, ut Bacch. 81. Cas. 233. Most. 678. Trucul. 732. Hor. Sat. II, 2, 120, sed etiam „bene sum“, ut Men. 474: „minore nusquam bene fui dispendio“. Merc. 574: „pulcre ut simus“. Trucul. 728: „De eo nunc bene sunt tua virtute“. — *Pernam*, quod piscis nomen non est, in „muraenam“ mutavit Fl., audacius. Brixius *percam* proposuit, qui piscis et apud Ovid. Halieut. 112 et apud Plin. H. N. IX, 16, 24, 57 et alibi nominatur. Sed hiatus vitandi causa „percamque“ scribi voluit. *ophthalmia* piscis esse videtur, cui hodie a novem oculis, quorum speciem præbet, nomen inditum est. — 845. *Horaeus*, ὡραῖος, qui vere, τῆς ὥρας, venit, quoniam non sequitur „et“, non videtur nomen piscis, sed adiectivum *scombro* additum. Hic autem est piscis maxime ex Hispania advectus, unde garum

optimum fiebat; verni autem scombri meliores quam auctumnales fuisse videntur; ὠρᾶιον tamen a scombro diversum est apud Athenæum III, p. 120 e. f. — *trigonum* codd.; *trygonem* intelligi dudum intellexerunt viri docti, de qua pisce vid. ad Bacch. 277; eamque formam restituere non dubitavi, quamvis in annot. ad Amph. 99 „trygonum" dici posuerim, nam o longum esse versus ostendit, ut trygo nominativus esse debeat. *cetum*, vid. ad Aul. 367. — 846. *Nominandi istorum*, v. Madvig. Gr. Lat. 413 not. 2 et ad Cic. Fin. I, 18, 60. Munro, Lucret. V, 1225. — 848. *ne frustra sis*, v. Amph. 967. — 849. „coctidiani" cod. B, i. e. „cottidiani", ut sæpe scribitur, v. Brix. p. 101. — *uicti*, cf. ad Aul. 83. — 850. *tute* Lindem. — *uotem*, v. ad 697. — 851. *Tu ne*, v. ad Asin. 875. — 853. *Di te adiuuant*, solita gratulandi formula, cf. Epid. 392. — 854. *in senticeto*, in loco sentibus obsito, iocus scurrilis. Hiatum in diæresi et hic et proximus versus habet. — 855. *Uasa pura*, v. ad Amph. 939. — 856. *propere* Scaliger em.; „propere unum" Both. Lindem. Br.; „agnum aut porcellam" Müller.; „huc" Fl. add. — 857. Br. confert Pseud. 326 sq. „Arcesse hostias, Uictimas, lanios, ut ego huic sacrificem summo Ioui; Nam hic mihi nunc est multo potior Iuppiter, quam Iuppiter". — 859. *Proin* codd., quamquam „proinde" Pareus, quo versus emendatur; equidem cum Br. „Proin deum tu hunc". — *facias tranquillum*, places. — 860. *Mihi* Ergasilus scurrili ioco non ad „uideris" sed ad „esurire" refert, cf. Curc. 72 sq. — 861. „*Tuo arbitratu*, esurito ut lubet", Lamb. — *Facile patior*, sc. te esurire. Sed parasitus hoc in obscœnum sensum detorquet, quasi dixisset se alterius in corpore suo libidinem facile pati, indeque efficit eum puerum eo consuetum esse. — 862. *Iuppiter dique*, v. ad Aul. 650. — 864. *Nunc tu mihi places*, i. e. tua cena, nunc aliam condicionem non quæram (cf. 180), nec vereor ne cena tua aspera futura sit. — *stultus*, nominativus pro vocativo, v. ad Asin. 648. Müller. et Br.: „Abi, stultu's". — 865. Immo, inquit, si olim, antequam nuntium de filii tui reditu afferre possem, venissem, tum potius diceres me sero venisse nec quidquam cenaturum. *Igitur* tempus significat et cum *tum* iungendum est, cf. ad Amph. 207. Geppert. „Immo enim olim" ed.

— 868. *celoce*, navi, cf. Asin. 256. — 869. *tuum Stalagmum seruom*, v. ad Amph. 1093. — 871. *Ita me amabit sancta Saturitas*, cf. Trucul. 275: „Ita me amabit sarculum". — 872. *suo cognomine*, ut satur appellari possim. — 873. *Meum gnatum*? Fl. „Meumne". — *Genium*, cf. Men. 138: „Teneo dextera genium meum". — 874. *Alidensis* hoc uno loco, Elidensis etiam apud Gellium legitur. — 874. *Μὰ τὸν Ἀπόλλω*, cf. Most. 957 et omnino de Græcis asseverandi formulis ad Bacch. 1161. — 875. *Νὴ τὰν Κόραν*. Cobet. Nov. lectt. p. 652 *ναὶ* postulat. — 876. *Iam diu* corruptum est. Multa frustra tentarunt viri docti; mihi in mentem venit: „Iam dies . . . uenit?" sed non videtur Hegio talem spem habuisse, fore ut umquam filium subreptum recuperaret. Antiqui quidam editores: „Ain tu?", Brixius ed. 3tia Bücheleri emendationem ad Petron. p. 186, 14 recepit: „Tuan fide?", quod si propius a codd. abesset, non dubitarem recipere. — *Νὴ τὰν Περαιστὴν* etc. Postquam per Apollinem et Proserpinam iuravit, quia *Cora* etiam Latii oppidum est, inde arrepta occasione ridicule per alias Latii urbes iurat, Præneste, Signiam, Frusinonem, Alatrium. Omnes autem feminini generis facit, quamvis Frusino masculini esse debeat, Præneste et Alatrium neutrius; cf. Verg. Æn. VIII, 561: „Præneste sub ipsa". — *Uenit*? cf. Stich. 374. Ter. Heaut. 431. — 871. *Uide sis*, ne erraveris, cf. 637. — 878. *barbaricas*, Italicas, cf. 491. — *Quia enim*, v. ad Amph. 659. — *aspera* dicuntur illa Latii oppida, quia in rupibus et montanis locis sita sunt. — 879. *autumabas*, v. 188. — *Uae aetati tuae* extat etiam Stich. 594. Interiectionem cum proximo voc. coalescere non patientes Ritsch. illic longe aliud substituit, Fl. h. l. „Uae uitae tuae", quod idem significat. Cf. Poen. 786: „Uae uostrae aetati". Men. 662: „sibi inimicus magis quam aetati tuae". Male autem precatur ei, qui scurrilem et ineptum iocum protulerit, cf. supra 862. Epid. 24. 67. — 880. *Quippe*. Sane, inquit, uae, i. e. male, mihi erit, quoniam mihi non credis nec cenam parari iubes. — *sedulo*; antiqui „sine dolo" interpretabantur, ut Nonius p. 37, Donatus ad Ter. Ad. 3, 3, 59; ridicule; Donatus tamen non male enarravit: „instanter". Significat enim accurate, diligenter, impensa opera, cf. Ter. Phorm. 453: „Ego sedulo hunc dixisse credo".

Andr. 146: „ego illud sedulo negare factum". Lucil. XXVII, 1: „salutem fictis versibus Lucilius quibus potest impertit, totumque hoc studiose et sedulo". Plaut. Epid. 290: „faciam sedulo". Rud. 242. Ter. Ad. 413: „Fit sedulo". Pers. 840: „sedulo curabo". al. — 881. *quoius* et *hinc* olim emendata. *abit* Both., v. 281. — 882. *Siculus* et *At* olim emend. — Stalagmum *boia* vinctum esse dicit, v. Asin. 544. Servi, quos vincula tenebant et terebant, ipsi sibi catenas tenere et terere dicebantur (ut 646 custodire), cf. Aul. 587. Pers. 421: „compedium tritor". Trin. 1022: „ferriteri". Most. 732: „ferriterium". 349: „ferritribaces". Sed *terere* etiam obscœno sensu dicebatur de concubitu (cf. Prop. III, 11, 30). Unde parasitus scurriliter ludens boiam ei uxorem esse dicit, ipsumque se putare Boiæ nationis ex Gallia cisalpina esse. — 844. *bonan fide*, cf. Aul. 765. — *886. quom iurem*, nam iuravit v. 874 sqq. — 889. *cellarium*, cellæ præfectum, cf. Marquardt, Privatalterthümer I, p. 161. — 890. *Nam*; ante hoc audias: „Recte tu quidem", vid. ad Aul. 470. *mantiscinatus*, vox inaudita et fortasse corrupta. Salmasius „panticinatus" coniecit, „nisi pantices, i. e. ventrem implevero". Sed nondum in eo est parasitus ut ventrem impleat, cenam paraturus est; desideratur sumpsero, prompsero, imperium exercuero, aut simile quid. Itaque quod plerique scripserunt „manticinatus", a μάντι, quasi vaticinatus, etiam si credibilis esset verbi formatio, quod non est, tamen a loci sensu abhorreret. „Manticulandi" autem verbum, de quo vid. Fest. p. 133, ut substituatur, nec sensus nec numeri ferunt. — *fusti pectito*, cf. „pecte pugnis" Men. 996. Poen. 355. Verberibus se dignum dicit, nisi opus sibi impositum probe exsequatur. — 891. *dapinabo*, a dapibus, Plautina vox hoc uno loco lecta. — 892. *Sponden* cett. codd. — 893. *respondeo* dicitur ut restipulor. Placet sibi Plautus in stipulationis vel sponsionis formula, v. ad Aul. 248. — 894. *potes* codd., Br. „potest", vix necesse.

895. In codd. quasi novæ scenæ titulus præscribitur. *Illic hinc abiit*, cf. Aulul. 257. — 896. *collos*, v. 356. *tegoribus* Turnebus, vid. ad 910. — 897 sqq. Parasitus in pernicie penus sibi placens alliterationibus exsultat. Itaque *suminis* causa

fictum est *absumedo*; sic enim iam antiqui edd. — *callo* cett. codd., cf. Pseud. 165. Pers. 306. — *porcinariis* cett. codd. — 900. *Nam si alia memorem*, cf. ad Amph. 104. „alii si“ Both. Fl. — *mora est*, cf. 395; i. e. longum est, cf. Madvig. Gr. Lat. 348 c, not. Poen. 924: „nunc si eadem hic iterem, inscitiast“. Trin. 1186: „si pro peccatis centum ducat uxores, parum est“. — 901 quum parum plene traditus esset, olim suppletum erat: „Nunc ibo in meam praefecturam“; ego malueram: „Nunc ibo, ut praefecturam ineam“. Sed Geppertus in Ambrosiano, de cuius fragmentis v. p. 459, haec se legisse testatur:

..... BOUTPROP ..... RAMUTIUSDICAML

quare recepi, quod ille supplevit: „ut properem in praefecturam“. quamvis spatium vacuum non congruat. Parasitus autem se cum *praefecto* iuri dicundo comparat (cf. Cas. 99: „Quin ruri es, in praefectura tua?“), quippe cui summa res cibaria credita sit; *ius* autem ita se dicturum esse ait, ut *pernis* in carnario pendentibus, quasi reis, qui indemnata causa suspensi iudicium expectent, *auxilium ferat*, ne amplius incerta spe et timore pendeant. — *indemnatae* cett. codd.

903. Parasitus postquam aedes intravit, opus sibi mandatum ita curat, ut promisit, cum summa ceterorum consternatione. Itaque puer aliquis calamitatem domus aegre ferens exit, ut dominum quaerat eique omnia narret. Temporis spatium, quod inter antecedentem scenam, et hanc intercessisse existimandum est, in agenda fabula perexiguum fuisse crediderim; si quod fuit, tibicinis cantus intervallum explevit; v. ad Asin. 803.

Scena octonariis iambicis scripta est. *Diespiter te dique perdant*, cf. 862: „Iuppiter te dique perdant!“ Est enim Diespiter non, ut Varro L. L. V, 66 censet „dies (vel diei) pater“, sed Diovis (i. e. Iuppiter) pater, cf. Fest. Epit. p. 115. — 904. *posthac* cett. codd. — 905. *Clades* cett. codd. — *intemperies*, sc. caeli, tempestas. — 906. Versus claudicat, nisi hiatur post *ne*. Lindem. proposuit: „Quasi [si sit] lupus“, Geppert. „Quasi lupus esuriens [fremuit]“, Br. Rothium secutus „Quasi [esset]“, Gertz: „mihi metui“, ego: „ne in me quoque“. — 997 ex vestigiis Ambrosiani: UBINOL ..... R ..... UM concinnavit

Geppert., cuius inventum retinui, quia nihil melius in promptu erat. — 909 *carni*, v. ad 801. *carnarium*, cf. Curc. 324.; Pseud. 197. Pictum videas in popina Pompeiana, v. Fiorelli, Descrizione di Pompei p. 140. — 910. *praetruncauit* B contra quam testatur Pareus. *tegoribus* A; eademque forma extat Pseud. 197 in BC. Varro L. L. V, 110: „tegus suis ab eo quod eo tegitur", non intellexit ex sola pronuntiandi desidia ortam esse pro tergore. Eandem formam versu iubente restituerunt v. 896. *Glandia* (cf. Curc. 323) in cervicibus suis erant; eadem glandulæ dicebantur, v. Plin. H. N. XI, 37, 66, 175: „tonsillæ in homine, in sue glandulæ". — 911. *confregit* cett. codd. — *modiales*, modium capientes; minores noluit. Malebat etiam multo maiores, *serias*, si modo tam grandia vasa fervescere possent. — 912. Primus pes anapæstus est (Cocum per). Bosscha, quem sequuntur Lindem. Fl. Br., „possent" scripsit, omisso *ne*, quod nescio an ferri possit, vid. ad Asin. 462. Gepp. „cunctabatur", quæ codicis Med. scriptura est Cic. Attic. XI, 10, 1. — 915. *sibi* ultimam producit. Fl. „Dicam illi, ut". — „si quidem sese" inquit, „non parasitum uti volet". — 916. Versui aliquid deest. Gryphius: „Nam in hoc, ut hic quidem". Lindem. vidit „hoc" sufficere, et sic edidi, quamquam etiam „hic" scribi potuit. — *aut iam nihil est aut iam nihil erit*, cf. Epid. 254: „aut iam hic aderit aut iam adest".

917. Hegio Philopolemum filium suum, Philocratem Stalagmumque secum ducens advenit. Lætus diis gratias agit tetrametris bacchiacis. — *merito*, cf. 931. Cas. 169. Poen. 885. Corp. Inscr. Lat. I, n. 1175: „donu donunt Hercolei maxsume mereto". al. — 918. *Quom*, cf. 151. *redducem*, cf. 758. Fl.: „Quom te reducem nunc tuo". Br.: „Quom redducem tuo te". — 920. In codicum scriptura nimis dure post „miseriis" infertur neutri generis *quae*, nec hunc locum ad Amph. 959 afferre debui; *ad huc* forsitan ferri possit, sed tum *hic* languet, nec *carens fui* pro „carui" Plautus dixisset. Iure igitur Acidalius „Quas dum te carendum hic fuit" emendavit. — 921. Versus numeris destitutus. Lindem. post *hunc* addebat „nunc", Fl. „ego", nos in priore ed. „iam" post *conspicio*; Gepp.: „conspicor"; Spengel. Philol. XXIX, p. 183: „Quomque hunc in

potestate conspicio nostra"; Br. „istunc" pro „hunc"; Stalagmum enim intelligi apparet. Nec tamen ideo alio hic pronomine opus erit, alio in proximo versu, ubi Philocrates significatur, vid. ad Aul. 648. Fuit quum putarem parum apte Stalagmum in hac gratiarum actione commemorari, malumque versum tollendum censerem, sed errasse me credo nec uncos appositos vellem. — 922. *huius* Both. em.

923—24 octonarii trochaici ad septenarios transitum facientes, quamquam Müller., Prosod. p. 410, anapæsticos esse putavit. *hoc* delevit Camerarius; fortasse ex initio v. 925 ortum est. — 925 sqq. septenarii. *Hoc agamus*, de Philocrate et Tyndaro restituendis; cf. 962. — Philocrates Hegionem alloquitur. *tecum seruaui fidem* pro „tibi" legitur etiam Curcul. 138. Merc. 522, cf. „orare cum aliquo" Asin. 655, „mentionem facere cum aliquo" Aulul. 677. — 928. Ante *Immo* hiatus; Müller. excidisse aut „tu" aut „nunc" putabat, Br. licentius: „Immo, mi pater, Et tu poteris et ego potero". — 930. *bene merenti nostro*, ei qui de nobis bene meritus est. Br. confert Trin. 46: „tui beneuolentis". — *muneres* codd. Activæ formæ Nonius p. 477 ex Turpilio exemplum affert; cf. ad Amph. 817; sed hoc retento tautologia ineptissima oritur, nec proximus versus a *Sicut* incipiens simile quid dicit, sed prorsus idem. Iure igitur Gertzius primam personam postulavit, aut „munerem" aut „munerer". — 933. *reliqueram*, v. ad Amph. 379. — 935. *ei* antt. edd. addiderunt. — *pretium*, mercedem, cf. Rud. 710. Trin. 273. — 936 suo loco cett. codd., et in B error notatur. Pro *Quod* Fl. „Quom"; non opus; significat „beneficii tui causa". — „*id quod postulas* per appositionem vel epexegesin quandam ad superiora sunt explicanda" Lindem. Potius: „id quod postulas, pro gratia relata tibi dabitur" vel „referetur ea gratia, quam postulas". Brixius licentius: „Quod bene fecisti, referetur gratia: et quod postulas Et si tu aliud quid me orabis, impetrabis". — 937. *inpetrabis* cett. codd. et B. man. sec. — 941. *propter meum caput*, i. e. propter me, cf. Pseud. 728: „si quidem hoc uiuet caput". al. — 942. *libella* pro minimo nummo proverbialiter dicitur, cf. Casin. 293. Pseud. 98. 633. 1144. Cic. Verr. II, 10, 26: „Ecquis Volcatio . . . unam

libellam dedisset". Varro L. L. V, 174: „Nummi denarii decuma libella, quod libram pondo æris valebat, et erat ex argento parva". Rectius assis decumam dixisset, nam ut ex asse heres, cui tota herreditas, ita ex libella, cui decima eius pars obtingit, dicitur. Est autem libella λίτρα sive libra Siculorum, apud quos δεκάλιτρον stater Corinthius sive nummus (διδραχμον) dicebatur, v. Hultsch, Griechische u. römische Metrologie p. 207 et 291. — 943. *Gratiis* Both. ceterique, v. Proleg. 212. — 944. *Licet*, v. ad Amph. 540. — 945. *Ubi estis uos* codd. cum hiatu post „ubi". Lindem. Fl.: „Ubi uos estis". Müller.: „Ubi estis uos? ite [atque] actutum", ut „estis" priorem corripiat, cf. Proleg. p. 201. Cist. 476: „Ubi estis, serui?" Pseud. 1135: „Heus, ubi estis uos?" Brix. „Heus, ubi estis?" omisso pronomine. — 946. *interibi* et *uerberea* olim emend. *Statuam* nos dicere solemus eum, qui tacitus et immotus adstet, *verberea statua* legitur etiam Pseud. 916; „uerbereum caput" Pers. 185. „ulmeus" Asin. 360. Qui verberibus dignus habetur, ex solis verberibus constare dicitur. — 948. *Uos lauate*, cf. ad Amph. 795.

949. *bone uir*, cf. Ter. Andr. 616: „Eho dum, bone uir? Bacch. 771. Ironice dicit; servus autem, quasi serio diceret, mendacii eum accusat. — 950. *ubi* posteriorem producit. Ritsch. „cubi" proposuit; Fl. et Br. „Quid me facere oportet". — 951. Negatio sero ponitur, v. ad. Aul. 224. — 952. Hiatus post *ero* vix ferendus; Fl. Philol. II, p. 98: „Neque ego ero" coni. Camer.: „ne tu spem ponas". *ne* autem quod affirmativum esse putarunt Both. Lind., satis refutavit Fl. Idem iure negavit *spem ponas* pro „in me spem ponas" recte dici. Aut igitur hoc reponendum aut aliud; Fl. Acidalii coniecturam „ne tu in spe ponas" commendat, vel potius „in spem", cf. Epid. 335: „ne quid tibi hinc in spem referas". Fleckeisenium Br. secutus est. — 953. Post *prope modum* abundat *facile*, cf. ad 268. — 954. Hunc versum iure damnavit Both. ut ex 963 ortum. Si genuinus esset, cum Gryphio et Bosscha scribendum erat „tuam rem facies". — 955. *tu* add. Ald. — 956. *Quod ego fatear, credin pudeat, quom autumes?* Enarrant inde a Lambino: Credisne fore, ut me pudeat eius, quod fatear, videlicet me neque

recte neque vere ad hoc tempus umquam fecisse, cum tu id dicas?" Sed nec talis constructio paratactica (credisne, pudeat) ferri potest, nec illa sententia satis apta est. Plautus scripsisse videtur: „credi pudeat", sine interrogatione. Hegio Stalagmum iussit vera dicere, quamquam hoc numquam ante fecisset, nec Stalagmus hoc negat; immo gloriatur. Puderet me, inquit, si meis verbis fides haberetur. Sed ultima, *quom autumes*, ubi ne obiectum quidem additur, intelligere nequeo. — 957. *ruborem* cett. codd.; *in r. dabo*, v. ad Asin. 423. Erubescunt autem et quos pudet et qui virgis cæduntur. — 958. An, inquit, plagarum me imperitum censes, quod me tales minas timere putas? — 959. Versui syllaba deest; Both. „dice" scripsit, quod quom ante consonantem poni non debeat, Becker. in Studem. Stud. I, p. 129 „id dic" voluit, Schmidt., Pron. demonstr. p. 79: „istaec". — *aufer*, v. ad Aul. 630. — *quid fers*, quid postulati adfers. *feras*, auferas. — 960. *dicta compendi* Bothius, quoniam codicum scripturam versus respuit, v. ad Asin. 305. — 961. Quod se facilem in respondendo præbuit Stalagmus, Hegio „Olim" inquit „puer facile morem gessit roganti, i. e. impudicus fuit; maiorem natu non decet. — 962. *ac* olim emendatum. — 963. *ex* Camerarius addidit. Si vera fateris, inquit, malam tuam condicionem paulo meliorem reddes. — 964. *quid dignus*, v. ad Asin. 148. — 965. *potis es* olim emendatum. — *pauca etc.* Se ipse reprehendit veritus ne nimium promisisse videatur. — 966 sqq. verum versuum ordinem Pius restituit. — 967. *ego* versus causa Fl. add. Br. „Quia fugi". — 968. *Theodoromedi*, cf. 629. *Polyplusio* cf. 276. — 970. *tu* em. Weil. in Annal. phil. 1864, p. 49. — 971 sq. Uterque versus hiatum in diæresi habet, quamquam priorem Studem. Annal. phil. XCIII, p. 59 sine hiatu legit, ita ut *meum* dissyllabum fiat. — *genium* olim emendatum est.

975. *Quam diu id factum est?* cf. Pers. 819: „diu factum est postquam bibimus". Cist. 153: „Fuere Sicyoni iam diu Dionysia". Poen. 94: „conmigrauit in Calydonem haud diu". Similiter „quam dudum", v. ad Amph. 685. — *uicensumus*, de hac forma cf. Corssen. Aussprache d. Lat. I, p. 98. — 977. *peculiarem*, v. 20. Mox „paruolo" ex interpolato codice

Lindem. Fl. Br., male, cf. 1008. — 978. *Quid erat ei nomen?* v. ad Amph. 360. — 979. *Paegnium*, παίγνιον, ludicrum, aptissimum parvulo puero nomen; adultiori aliud imponi potuit. Nomen ex Persa Plauti notum est. — *indidistis Tyndaro* sc. ei nomen. — 981. *nihili* Gruterus em. Morem hominum esse ait, ut eos ignorent, quorum gratia nullius pretii sit. — 983. *mihi* posteriorem producit. Fl. „mihimet". Num istic, inquit, quem vendidisti, is fuit, qui mihi datus est? Quae in codd. his adduntur, *huius filius*, Brunckius Stalagmo tribuit, nec responsio abesse posse videtur. — 984. *Nil curaui ceterum.* In his Brixius recte animadvertit *nil* pro non esse, *ceterum* obiecti locum tenere, cf. Men. 221: „ceterum cura". Rud. 1224: „adorna ceterum quod opus est". Pers. 707: „Num quid ceterum uoltis?" Cas. 94: „Dehinc conicito ceterum", coll. Ter. Phorm. 166: „tu conicito cetera etc." — 985. *Quid tu ais?* Philocratem alloquitur. — 986. *argumenta loquitur*, cf. Amph. 1103. Rud. 1180: „argumentis rem exquirere". Truc. 504: „de argumentis". — 987. *bene pudiceque.* Br. confert Amph. 345. Curc. 517. Cist. 170. — 988. *uos* Camer. add. — 989. Causam attulit, cur miser sit; fortunatum esse filio invento, facile intelligitur. Nec tamen Plauti non simile esset huius quoque causam afferre (Br. contulit Trin. 1169 sq.), quare Geppertus versum excidisse putavit, velut: „Fortunatus, quoniam inueni, quem ego puerum perdidi". Tanto facilius versus excidere potuit, si ab eodem vocabulo incepit, velut: „Eo fortunatus, quod gnatum, quem perdideram, repperi". — 990. *quom*, v. ad Amph. 746. Brix. conf. Poen. 794: „Eheu, quom ego habui ariolos haruspices". Men. 300. Mil. 1349. Ter. Andr. 622: „Ei mihi, quom". Queritur, quod *plus* mali *minusque* boni filio fecerit, cf. Aulul. 416: „quia minus, quam aequom erat, feci". Brix. utroque loco „quam me aequom" scripsit. Hic quidem syllabam excidisse apparet. Both. „quamde" scripsit, cf. Fest. p. 261. Lindem. Fl.: „feci illi". Spengel.: „quam quae". — 991. *modo si*, ut Graecorum μόνον εἰ cum optativo; cf. Pseud. 980: „nomen si memoret modo". 1000: „si taceas modo". — 992. *ornatus*, v. ad Aul. 713. Catenis autem est oneratus, v. 1020 sq. — *haud ex* et Pareus et alii emendarunt.

993. Tyndarus, quæ in lapicidinis passus sit, servili modo describit. — *Acherunti*, in Orco, v. 683. Talia sæpe pingebant antiqui. Celeberrimæ sunt *νεκυία* Polygnoti Delphis (Paus. X, 28 sq.) et Niciæ Athenis (Plin H. N. XXXV, 11, 40, 132). Demosthenes Aristog. I, 52 rationem commemorat, qua *οἱ ζωγράφοι τοὺς ἀσεβεῖς ἐν Ἅιδου γράφουσιν*. Ad nostrum tempus autem vasa fictilia hoc argumento ornata pervenerunt, v. Gerhard. Archäol. Zeitung I, 11 sq. — 994. *nulla adaeque est Acheruns*, i. e. nullus locus eo iure Acheruns vocari potest, quo is, ubi ego fui, *in lapicidinis*; hoc enim appositum est adverbii *ubi*. — 995. *ibi demum*, cf. Bacch. 1096. *illic* pronomen est. Ibi demum, inquit, ille locus est, ubi lassitudo non quiete, sed novo labore superanda est. — 996. *omnis* Lindem. aliique omiserunt metro iubente. — 997. *patriciis*, nobilibus, opulentis. Pueris et apud Græcos et apud Romanos aves sæpe dabantur, quibuscum luderent, cf. Plin. Ep. IV, 2, 3: „Habebat puer ... luscinias, psittacos, merulas". *monerula*, v. Asin. 687. — 998. *anites*, v. Asin. 686. *aut* cett. codd. — 999. *upupa* non solum avis dicebatur, ut ait Plin. H. N. X, 29, 44, 86, „obscena pastu, crista visenda plicatili, contrahens eam subrigensque per longitudinem capitis", sed etiam mallei genus, sive quo alio nomine ferrum illud appellandum est, quo lapides effodiebantur vel extrahebantur, qualia sæpe in parietibus sepulchrorum Christianorum fossores gestantes conspiciuntur. — *delectem* olim emendatum; expectabatur „delectarem", v. ad Amph. 192.

1001. *Rediit* olim emendatum. — Post *Salue* hiatus; Fl. „Saluete"; Gepp. Müller. Br. „o exoptate". — *Quid gnate mi*? Verba repetit, ut rationem eorum quærat, cf. Bacch. 112. 145. 567. alia, quæ affert Müller. Prosod. p. 176 sq. — 1002. *Attat*, v. Amph. 259. Tyndarus rideri se censens Hegionem ait patrem suum vocari posse, quia sibi lucis auctor sit, quum se ex lapicidinis subterraneis reduxerit. *esse adsimules* transposuit Fl. — 1003. *mihi*, vel mi, cum proximo coalescit. — *tuendi* cod. B, nec mutare audeo, sed inde non efficitur, lucem masculini generis esse (cf. ad Aul. 741); hoc enim potius pertinet ad singularem illum antiquæ consuetudinis usum,

quo gerundii genetivus pro gerundivo ponitur, sive mera negligentia hoc fit, sive per assimilationem quandam, ut obiectum gerundii genetivo casu positi et ipsum non accusativo, sed genetivo casu ponatur. Quod quum in plurali numero fieri satis constet, v. supra ad 846, tum singularis numeri ex antiquissimis scriptoribus tria afferuntur exempla, i. e. præter h. l. Ennii Medeæ (v. 207): „Neue inde nauis inchoandi exordium", et Ter. Hec. 372: „eius uidendi cupidus" de muliere; Donatus solus „uidendæ" legit. Qui hoc phænomenon tractarunt, enumerantur apud Hertz. in Vindiciis Gellianis (ann. phil. vol. Supplem. VII) p. 58 sq. — 1004. *Et tu*, cf. Aul. 169. — 1006. *surpuit* olim emendatum. — 1009. *Illic*, Stalagmus. Idem mox *hic* dicitur, v. ad 543. Equidem nec cum Brixio pro „hunc" „una" scripserim, nec cum Müllero, Prosod. p. 429 sq., totum versum damnaverim. Si mutatione opus, pro „Illic" „Nunc" scriberem. — *reducimus* B, nec est cur cum Br. „reduximus" scribamus. — 1010. Fl. et Br. totum Philocrati continuant sic corrigentes: „Quin huius filium intus eccum, fratrem g. t." Me non tam offendit repetita Tyndari interrogatio, ut quidquam mutarem. *fratrem* B prius omissum postea addidit. — 1011. *captiuom* pravo loco positum esse apparet; scribendum aut ut nos cum plerisque, nam hiatus in diæresi legitimus est, aut, ut Müller. uoluit, „captiuom huius filium". Brixio totus locus interpolatus videtur, et sublatis vss. 1006—12 hæc sola Plautum scripsisse arbitratur:

PH. At nunc liber in diuitias faxo uenies maxumas;
Nam tibi pater hic est; hic fur etc.

1015. *Ergo edepol*, cf. Men. 1002. Mil. 63. Merc. 367. Pers. 24. Etiam Cicero p. Quinctio, 15, 50: „Ergo hercule". — *merito* add. Bosscha. Tyndari hæc verba esse ceteri codd. præter B. agnoscunt. — 1016. *te* versus causa add. Fl.; Gepp. „obsecro", Bosscha „Ego is sum". — 1017. Versus numeris destitutus, dittographia proximi, ut vidit Br. — 1018. *in memoriam regredior*, Br. confert Pers. 642: „Ne suarum se miseriarum in memoriam inducat". Ter. Phorm. 383; „redige (sc. me) in memoriam". Cic. „in memoriam redire". — 1019. *quasi per nebulam*, cf. Pseud. 463: „quae quasi per nebulam scimus atque audiuimus". Hiatus ante *Hegionem* emendandi conatus

peperit; Fl. „nebulas“ ed.; Müller „olim“ add. — 1020. *Is* ex A addidit Geppert. — 1021. *principio* Lamb. em., ut Pseud. 606: „Hoc praeuortar principio“. — 1023. *Quoi peculi* etc. Servus vel in miseria iocatur, quasi boni aliquid sibi detur.

Ultimi fabulae versus, quibus finem adesse indicatur et spectatorum plausus rogatur, in codd. *catervae* tribuuntur, i. e. toti histrionum gregi, v. Proleg. p. 173. Ut in prologo 55 sqq., ita hic quoque laudatur novitas argumenti et singularis pudicitia. — 1025. *subigitationes*, impudicae mulierum attrectationes, cf. Mil. 653. — 1026. *pueri suppositio*, ut in Truculento. — *argenti circumductio*, qua aliquis argento circumducitur, ut est Pseud. 431; genetivus obiectivus parum accuratus. — 1027. *Neque* (sc. argumentum hic exhibetur) *ubi* etc. — 1031: *plausum date* post *signum hoc*, cf. ad Amph. 952.

COMMENTARIUS

IN

CURCULIONEM.

Curculionis argumentum huiusmodi est. Phædromus adolescens Epidauri virginem Planesium nomine amat lenonis imperio subiectam, eamque maximo opere redimere cupit, sed argentum deest. Eius comparandi causa parasitum suum in Cariam ad sodalem quendam mittit. In Caria autem, quæ in angulo Asiæ prominenti sita et Ægypto et Europæ opposita est, illis temporibus sæpe versabantur milites mercenarii, cf. Ter. Eun. 126. Itaque parasito, quum argentum frustra quæsisset, hoc tamen contigit, ut a milite quodam pecunioso invitaretur. Hunc comperit virginem illam a lenone emisse et iam in eo esse, ut epistolam Epidaurum mittat ad trapezitam, qui pecunia lenoni soluta virginem sibi mittendam curet. Itaque inter vinum et aleam anulo militis potitus domum properat, et epistolam militis nomine conscriptam eiusque anulo obsignatam trapezitæ tradit pecuniaque soluta virginem a lenone abducit. Interea miles, postquam circumventum se sensit, ira incensus advenit, malaque multa et trapezitæ et lenoni minatur et maxime parasito, qui sibi anulum abstulerit. Sed eiusdem anuli testimonio virgo ipsius militis soror esse probatur. Sic turbæ sedantur; Planesium Phædromo nubit; miles pecuniam recuperat, quam leno, si virgo ingenua esse repereretur, redditurum se promiserat.

Scena Epidauri agitur, vel potius prope Epidaurum ad Æsculapii fanum illud celeberrimum, v. 14. 204. 217, ubi leno gravi morbo laborans valetudinem recuperare studet. Græce quo nomine fabula sit appellata, ignoramus; Latinum nomen traxit a parasito, cuius fallacia et fraude tota res agitur. Is autem propter edacitatem Curculio appellatur, qui vermiculus

est frumentum corrumpens, vid. v. 586 sq., quem describit Symphosii ænigma in Anthologia Latina Riesii I, p. 192:

Non bonus agricolis, non frugibus utilis hospes,
Non magnus forma, non recto nomine dictus,
Non gratus Cereri non parvam sumo saginam.

Ausonius Epist. 22: „Quod nisi indulseris, rogante me, ut .... frugis aliquantulum nostræ advehi possit, Lucaniacus ut inopia liberetur mature, tota illa familia hominis litterati non ad Tullii frumentariam sed ad Curculionem Plauti pertinebit", nihil aliud spectavit quam ut frumento egentem familiam cum esuriente parasito comparet.

In ceteris personarum nominibus nihil admodum memorabile est. Facile enim intelligitur, qua ratione poëta servo fideli, qui honesti pædagogi more adolescentem herum moderari studet, *Palinuri* nomen dederit, qui Æneæ navis gubernator fuit. Nec minus apparet, qua ratione anum bibacem et voracem cum *leæna*, aut trapezitam avarum, quem *Lyconem* dixit, cum lupo comparaverit; militem autem parum nobilem, atque adeo servo vel liberto natum, *Therapontigonum* dixit, *Cappadocemque* lenonem, ut ex ea regione ortum, unde vilissima mancipia advehebantur, v. Horat. Ep. I, 6, 39 cum commentariis. *Planesium* et *Phædromus* nomina in Græcis fontibus non inveniuntur. Quod Bothius ait, Græcis *Φαίδρωμον* dici media longa, non ita est; Quod autem ipsi legendum videtur „Phædimus", vulgatum illud quidem nomen est, sed reponere audacius sit.

Fabula optime morata et in ceteris personis decorem egregie servat et in amoribus adolescentis et virginis depingendis singularem venustatem habet. Argumentum autem nihil fere novi præbet, quod non in aliis fabulis aut uberius aut magis ridicule inveniatur; quare qui antiquos poetas imitandos sibi sumpserunt, alio potius se converterunt. Brevior etiam hæc fabula est, quam pleræque Plautinæ, nec tamen multa desiderari videntur. Ante v. 274 folium excidit; v. 549 duæ duorum versuum partes excidisse videntur, ante 546 integer versus; idem ante 455 accidisse suspicari possumus. Götzius, Act. Lips. VI, p. 278—282, ultimam huius scenæ partem (454—60) retractatione

histrionum in breviorem formam coactam esse censet; equidem, ut ad illum locum significabo, ipsius poetæ festinationem agnosco.

Non parvi ad historiam litterarum momenti esset, si ad quem Græcum poetam hæc fabula referenda esset, aut traditum esset aut divinare liceret, non solum ut lepidissimæ comœdiæ auctori suus honor tribueretur, sed etiam quia non uno nomine a ceteris differre videtur. Unum habet prorsus singulare, quod post v. 460, quum intervallum temporis explendum esset, non ut plerumque (v. Prolegg. p. 168 sq.) tibicen spectatores delectat, sed choragus populum alloquitur sermonem serens de rebus ab argumento fabulæ alienis, fere ut chorus in parabasi antiquorum comœdiarum. Nec magis novimus, quo tempore Curculionem Plautus docuerit, nam quod post a. 193 actam esse ex v. 509 quidam viri docti effici putarunt, id leviculis sane argumentis nititur.

Fabulam separatim cum interpretatione Germanica edidit Geppertus 1845. Symbolas quasdam exegeticas ad Curculionem L. Merclin in indice scholarum Dorpat. 1861 edidit. Lindemanni „Scena ex Curculione emendata“ (Zittau 1845, 4to) ad me non pervenit.

Argumentum

acrostichon.

1. *missus* codd., quod pro substantivo, ut „legatus“ sit, ne hunc quidem scriptorem posuisse verisimile est. Itaque antiqui edd. „a Phædromo“ dederunt contra versum, Gulielmus *missu*, ut Trin. 1142: „meo allegatu uenit“. — *Phædromi it* cum hiatu legendum. Fl. antiquos edd. secutus „in Cariam“ edidit, præpositione non necessario, v. ad 206. — 2. Hiatus in cæsura et post *ibi*. Cam. „ibi ille“, Both. „ibique“, Fl. „inibi“, Müller: „argentum suum sibi“; sed mutuum volebat, v. 68. — *eludit anulo*, v. ad 628. — 7. Ipse eam, cuius amore deperit, sororem suam esse reperit. Malus poeta in præteritum tempus transit. — 8. *Oratu quoius*, cf. Arg. Capt. 9.

---

1. Phædromus adolescens intempesta nocte ad amatæ puellæ domum accedit; tum enim conveniendi occasionem præbebat morbus lenonis noctu in Æsculapii fano incubantis. Pallio involutus cereumque gestans (v. 9) ingreditur comitante puero (v. 75) lagenam vini portante, qua anum ianuæ custodem placet. Sed sequitur etiam Palinurus servus ætate provectior honesta omnia monens. — *hoc noctis* olim emendatum, v. Amph. 154. — 2. *Cum istoc ornatu cumque hac pompa*, cf. Bacch. 108 et 112 cum annot. — 3. *que* olim recte additum est ex Nonio p. 421. In B etiam alterum *que* manu secunda demum additum est. — 4. *Si . . . siue*, v. ad Amph. 1065. Men. 781. Merc. 307. Pseud. 1071 sq. Ter. Andr. 216. Cf. Müller. Ann. phil. LXXXIII, p. 260 sq. — 5. Affert Macrob. Sat. I, 16 „intercessit" scribens. — *status condictus cum hoste.* Cincius apud Gell. XVI, 4, 4 militibus ait iurandum esse ut adessent, additis tamen exceptionibus quibusdam, inter quæ „status condictusue dies cum hoste". Cic. Off. I, 12, 37 ex XII Tabb. „aut status dies cum hoste", hostem peregrinum esse docens. Fest. p. 314: „Status dies [cum hoste] vocatur, qui iudicii causa est constitutus cum peregrino". *Condictum* Festi Epit. p. 39 explicat „quod in commune est dictum". Cf. Senec. Tranq. anim. 11, 6: „Qui mortem timebit, nihil umquam pro homine vivus faciet; at qui sciet hoc sibi, quum conciperetur, statim condictum etc." Tac. Germ. 11: „sic constituunt, sic condicunt". al. Amator lepidus tempore cum amata puella constituto, quamvis gravissima adsint impedimenta, tamen eundum esse dicit. — 6. *imperat* codd. ut 3, et producta syllaba ferri potest, v. Prolegg. p. 196. Antiqui edd. „imperant", sc. Venus et Amor. — 7. „*tandem, tandem*, sc. desine insanire". Lamb. — 8. *memorabile*, quod memorari vel commemorari debet; cf. Ter. Andr. 625: „Hocine credibile aut memorabile?" Pl. Capt. 56. — 9. *Tute tibi puer es*, herus servili opera fungeris, cf. Merc. 840: „Egomet mihi comes etc." Ipse, inquit, quamvis lautus et vestitus nitide sis, cereum portas. *Cereum*, cf. Cic. Off. III, 20, 80. Martial. XIV. 42. Obiecti locum tenet, cf. Casin. 118: „lucebis nouae nuptae facem". Pers. 515: „Fortuna faculam lucrifera adlucere uolt". — 10. *opera congestum* codd. et Priscian. III,

33, p. 107 H., inverso ordine Both. Fl., ne versus cæsura careat; Müller., Nacht. p. 124, „hoc“ addebat. Ceram apum opus et ex melle ortam dicit. — 11. *melculo* Both., quæ sola recta forma videtur, cf. Cas. 779: „Meum corculum, melculum, uerculum“, ut recte scribit Priscianus III, 27, p. 102 H. Mel suum Planesium dicit. — 12. *Nam quo*, v. ad Amph. 548. — *Si tu ... scias.* Hæc, quæ et B et I Palinuro continuant, omnes edd. recte Phædromo tribuunt. — 14. *plus anno*, i. e. diu, pridem. — 15. *occlusissimum*, arte clausum. Verbum substantivum auditur, v. ad Amph. 590. Fl. Pyladem secutus: „ostiumst oculissumum“. Sed hoc ad proximum demum versum pertinet, ubi ex Festo restitutum est, qui p. 178: „*oculissimum ostium* amicæ, Plautus in Curculione“, quod carissimum enarrat; recte; nihil enim oculis carius est, cf. Mil. 978: „quae te tamquam oculos amet“. ib. 1322: „O mei oculi, o mi anime“. infra 203: „ocule mi“. Superlativus etiam 121: „oculissume homo“. Sed hoc reposito versus numeros non explet; *usque* addendum esse iam antiqui edd. viderunt; sic enim alloqui solebant, quos diu non viderant, v. Amph. 672. 708. Bacch. 245. Epid. 130. Most. 441. Merc. 381. Pers. 23. Abest hoc adverbium Trin. 50. Ordinem quoque verborum Festum secutus restituit Pylades. — 17. *Caruitne febris te?* i. e. caruistine febri? quod dici solet, v. Cic. ad Fam. XVI, 15, 1, aut num afuit febris te? ut Pers. 79. Ostium alloquitur heri irridendi causa, ut v. 90, non herum, quod Muretus censebat, quem posteriores fere sequuntur. *heri*, v. ad Amph. 510. Pro *uel* autem expectabatur „et“. — 19. *ergo*, v. ad Amph. 172. Merito irrideri dicit sic rogantem. — 20. sq. Numquam se vidisse ait ianuam magis comem, quippe quæ sine ullo strepitu aperiatur, cf. 94. — 22. Post *Quom* hiatus; sed edd. „Quomque“, fortasse recte. — 26. Post *pudicam* hiatus in cæsura; edd. plerique: „oportet esse“; Müller.: „pudicam a te“, ut v. 51. — 27. *sirit* Gulielmus em. cf. Bacch. 399. 465. al. *ille Iuppiter*, v. ad Amph. 457. — 28 *tuum* monosyllabum fit. — 30. *amato* Camer. em. — Hunc versum errore proximo postpositum esse, apparet, quia interrogatio: *Quid istuc est uerbi?* a voc. *intestabilis* divelli non potest. Quod quum Both.

intellexisset, hunc versum versui 32 postposuit, ordine minus apto. *intestabilis* est, qui testis citari non potest, infamis, v. Horat. Sat. II, 3, 181. Dig. XXVIII, 1, 26 Gaius: „Quum lege quis intestabilis iubetur esse, eo pertinet, ne eius testimonium recipiatur, et eo amplius, ut quidam putant, neve ipsi dicitur testimonium". Hoc quidem falso, sed credidit etiam Ulpianus, ibid. 18: „Si quis ob carmen famosum damnetur, SCto expressum est, ut intestabilis sit; ergo nec testamentum facere poterit nec ad testamentum adhiberi". *Intestabilis*, i. e. infamis ne fiat, herum monet Palinurus, veritus ne adulterium committat. Errant. qui obscenum iocum subesse credunt, ut in Militis gloriosi scena extrema (cf. infra 622). Nam quod illic ad rem est, hic et a re et a persona alienissimum est. — 32. Pro *uia* nescio an „uiam" scribendum sit. — 33. *hinc*, i. e. a lenone, ex dett. codd. antiquæ edd.; I: „huic". — 36. *faciat* Fl. — 37. *ted* Both. em.; Gepp. „tu te". — 38. *quid lubet* codd., Fl. „quod lubet". — 39. *euenat* Both. em., cf. Proleg. p. 215. — 41. *Obloquere*, i. e. mihi contradicis; nam Phædromus quum foribus bene optaret, non ædibus aliter dicturus erat. Servus vero scurrili ioco indicativum pro imperativo capit et quasi se obloqui iussisset, hoc fore promittit, cf. 45. 70. 73. — *Etiam*, v. ad Asin. 707. Si versus recte traditus est, ante h. v. hiatus est. Fl.: „Etiam tu taces?" ut Trin. 514. — 43. *Id* corruptum est. Acidalius: „Ita uti iam", coll. Poen. 469: „Ita ut occepi dicere". Sine „ita" Stich. 381: „ut occepi narrare". Fl.: „Sed ita ut occepi"; possis etiam: „Sed ut tibi occepi". — *ei* quasi eii legendum; Fl. „eist ancillula. — 44. *habitat* codd.; Both. Fl. „habet", ut Aul. 5. — 45. *excidat* Gulielm. em. Iterum facetias quærit ex captatione verbi alia vi accepti; adolescentem autem talium ineptiarum tædet". — 46. Post *facere* hiatus, quem interpunctione excusat Spengel., Plaut. p. 222; Fl. „at" addit. — 47. Phædromus non minore puellæ amore captus dicturus erat se *mutuum* facere, cf. Trin. 438: „Bene uolt tibi. LE. Edepol mutuum mecum facit". Mil. 1245: „amore perditast haec misera. PY. Mutuum fit". Pers. 764: „Omnia, quae tu uis, ea cupio. TO. Mutua fiunt a me". Cic. ad Fam. V, 2. Sed quasi veritus ne si usitatis verbis uteretur, parum diceret,

παρὰ προσδοκίαν negat se mutuum facturum; mutuum enim proprio contrarium esse, ærisque quod mutuo sumatur, alienum manere; amorem hunc se proprium sibi vindicare. — 50. *Iamne* et cett. codd. et B in margine. *fert iugum*, cubat cum viro. — 51. *quasi* v. ad Amph. 1094. — 52. *quippiam* cod.; „quipiam" Acidal. Fl. — 55. Versum affert Macrob. Sat. II, 14 extr. quasi ex Cistellaria; scribit autem „nucleos", ideoque de pinea nuce intelligit. Quod si probatur, modo „nuculeos" scribatur, quam formam codd. habent Capt. 649, versus constat. Si retinetur *nucleum* aut *nuculeum*, hiatus erit aut post *Qui* aut, quod potius credo, in cæsura. Both. ed. „Qui nuculeum e nuce"; Fl. „E nuce nuculeum qui". — 56. *pandit saltum*, ut qui invios montes superare student, cf. Casin. 825: „Inlecebram stupri principio eam sauium posco". — 58. *quoiquam* Both. et Fl.; vulgo „cuipiam" editur; verum illud et in B et in I legitur. — 59. *Immo ut illam censes?* sc. agere, cf. Bacch. 205. Merc. 347: „quem ad modum existumet me?" Trin. 811: „quid illum putas?" Ter. Andr. 852: „quid illum censes?" Ad. 656: „quid illas censes?" Cic. Rosc. Am. 17, 49: „Quid censes hunc ipsum S. Roscium? quo studio . . . esse?" — 61. *leno hic*, Both. transposuit versus causa; *hic* adverbium est. *incubat*, *ἐγκοιμᾶται*, ut ei deus per quietem significet, quo remedio curari possit, cf. infra 266. Cic. Divin. I, 43, 96. Verg. Æn. VII, 88. Aristoph. Plut. 621: *ἐγκαταklινοῦντ' ἄγωμεν εἰς Ἀσκληπιοῦ*; et de Æsculapii fano in insula Romæ Preller, Römische Mythologie p. 607. — 63. *triginta minas*, pretium magnum, sed non inauditum, v. Most. 957; *talentum* autem duplum est, aut plus, si *magnum* est, v. ad Aul. 301. — 65. *Iniurius's* Camer. em. — 70. *dextrouorsum*, affert glossarium Plautinum, Ritsch. Opusc. II p. 235. Servus solito more iocatur. Qui deos venerabantur, in dextram partem se convertere solebant, quod felicis ominis erat, v. Val. Flacc. VIII, 246: „dextrum pariter vertuntur in orbem". Liv. V, 21, 16: „Convertentem se inter hanc venerationem". Plin. H. N. XXVIII, 2, 5, 25: „in adorando dextram ad osculum referimus totumque corpus circumagimus, quod in lævum fecisse Galliæ religiosius credunt". Dionys. Hall. XII, 22. Plut. Num. 14, 5 sq. — 71. Hunc versum Gepp. Fl. Palinuro dederunt;

parum recte; Phædromi est, ut codd. significant. Adolescens ad frigidum serui iocum respondens „Age“ inquit „deos salutabo; hic enim *Veneris ara* est“. Nec veram aram significat, sed amicæ habitationem. Itaque non, ut vulgo solent, in extremo versu, sed post *est* interpunxi. *Ante horunc* (i. e. lenonis familiæ) *foris uoui*, inquit, *me inferre* (i. e. inlaturum, v. ad Asin. 597) *ientaculum*, i. e. cibum matutinum; vinum autem significat, quo ianitricem elicere et placare studet; *iam*, quamvis nondum adsit matutinum tempus. — 73. Versus corruptus, nec medicinam affert Nonius p. 126 s. v. ientare: „Plautus Curculione: quid ante pones Ueneri ientaculi?“ Nam sive iungas „quid ientaculi“, sive cum Lambino „quid antepones pro ientaculo“ scribas, totius loci ratio perit; nam v. 74 ostendit hic non „quid“, sed „te“ obiectum fuisse. Pontanus intellexit, Palinurum heri sermonem ita cavillari, ut *me* non pro subiecto, sed pro obiecto verbi *inferre* caperet. Eum secutus Fl. ed.: „Quid? an te pones Ueneri iam ientaculo“. Sed „an“ post „quid“ pravum est, quare olim conieceram: „Quid tu te pones“; Müller.: „Quid? te antepones“; ac sane anteponendi verbum retineri debet, cf. Men. 271. Rud. 509. Quod autem „iam ientaculo“ retinet, nulla causa est cur „iam“ ex superiore versu repetatur. Immo pravum illud *a* ortum videtur ex *te*, quod abesse non potest. Eadem Gertzii sententia fuit. — 74. *Me, te atque hosce omnes*, i. e. spectatores. Omnia omnesque se Veneri sacrificaturum dicit; nec iniuria servus respondet, eam, si tam multa devoraverit, vomituram esse. — 75. *puere*, v. ad Asin. 379. — *sinus*, cf. 82 et Rud. 1319, est vas vinarium grandius, ut ait Varro L. L. V, 123, qui neutro genere sinum dicit. Item apud Priscian. VI, 78, p. 262 sq. H.: „Varro de vita populi Romani libro I: ubi erat vinum in mensa positum aut galeola aut sinum“. Verg. Buc. 7, 33. Loewe, Prodrom p. 256 ex libro glossarum affert: „Sinus, vas testeum. Plaut. Curc. (v. 82)“. 76. *custos solet* transposui versus causa; superiores „solet cubitare“, sine cæsura. — 77. *est* correptum, nisi aut delere malis aut transponere, ut Fl. „Leaenaest“. Fl. autem primus intellexit *Leænæ* nomen mulieris esse; superiores „lenæ“ scribebant,

multibibam atque merobibam appellatam censentes. Fl. autem quod „merobibast“ scribit, eo non opus est, si sententia recte interpungitur. — 78. *quasi*, cf. Capt. 285. *lagoena*, ut B, vera vocis forma est, Latinis pro *v* longo oe ponentibus, nam Græce λάγυνος est; inde postea factum lagona et lagena, v. Jahn. in Bericht. d. Sächs. Gesellsch. 1857, p. 204 sq. Formam vasis imagine expressam videas ibid. p. 197. Revue archeol. XII p. 175. — *Chium* ad Latinæ linguæ rationem pænultimam corripit, v. Proleg. p. 209. Edd. transponunt: „solet Chium“; nec cod. hic versus observat, sed priorem in *esse*, alterum in *uino* terminat. — 80. Versus claudicat. Fl. „hasce“; improb. Schmidt. pron. dem. p. 23, qui probat Bothii coni. „ubi extemplo“; sed etiam „extemplo ubi“ inveniri Bacch. 972 animadvertit Studem. Annal. phil. 1876 p. 64, quo auctore „ego“ addidi. — 82. *cum vino sinus*, cf. Pers. 266: „salinum cum sale“. — 83. *isti hunc* Both. em.; *adflictum*, ad terram datum, cf. Aul. 624. auditur „eum“. — 84. *ferri* Fl.; Both. „Nobis adferri ego“. — 86. Non magis Lesenæ vinum superfuturum esse dicit, quam mari fluviorum aquam. — 89. *uolentes propitiae*, cf. Cat. R. R. 141: „Mars pater, te precor quaesoque, uti sies uolens propitius mihi domo familiaeque nostrae“. — 90. Palinurus iocabundus, quum foribus vinum detur, etiam *pulpamenti* aliquid dandum esse dicit, quo suavius et facilius bibant, cf. Stich. 709: „Uinum tu habes. SA. Nimis uellem aliquid pulpamenti“. Mil. 654: „Neque praeripio pulpamentum neque praeuorto poculum“. Pseud. 952: „inter pocula pulpamentis“. Ter. Eun. 426: „Lepus tute es, pulpamen quaeris!“ ubi vulgo scribitur: „L. t. es et pulmentum q.“, sicut hic quoque Both. Fl. „pulmentum“. Male, nam pulmentum a pulte dicitur, pulpamentum a pulpa. Hoc loco prius *aut* delendum est. Quærit Palinurus, num olivas aut capparim pro pulpamento velit. — 92. *quae te res agitant*? i. e. quæ insania, cf. Men. 697: „Quae res te agitat, mulier?“ Merc. 133: „Quae te malae res agitant?“ Aul. 623. Capt. 591. His dictis herum prehendit, ut prohibeat, ne effundatur vinum. — *Sine*, omitte me, v. ad Aulul. 417. — *Uiden* cett. codd. et edd. vulgo. Fl. *ut* delevit, vix recte; laudatur enim ipsa ratio qua aperiuntur fores, tacitæ et nihil muttientes. Malim cum

Bothio: „Uide“; sed, ut in dubia re, proceleusmaticum reliqui; cf. 160. 188. — 94. *Quin das sauium?* ut decet lepidæ. — 95. *Licet*, v. ad Amph. 540.

' 96. Lesena ianitrix exit odore vini ducta. Canticum sequitur variis numeris, quos alii aliter constituere conati sunt, vid. Studemund. de canticis p. 87 sq., Spengel. in Philolog. XXVI, p. 354. Müller. Pl. Prosod. p. 88 sq. et 157. al. Prima cantici pars, v. 96—117, maximam partem creticos et cum creticis cognatos numeros habet, et 96—97 quidem tetrametri cretici sunt. *Florem* vini, *ἄνθος*, i. e. odorem, et nos laudamus et antiqui laudabant, cf. Casin. 612: „nisi haec meraclo se uspiam percussit flore Liberi“. Cist. 125: „me conpleui flore Liberi“. Pacuv. 291: „Postquam est oneratus frugum et floris Liberi“. — 98 anapæsticus dimeter. Gepp. „Ubi, ubi, est?“ interpunxit, vix recte. — 99 constat ex dipodia iambica et semiquinario trochaico. *Liberi lepos*, i. e. lepidum Liberi donum. — 100 constat ex dactylo, tribus creticis, trochæo; *uetus* enim et ipse olim emendaveram et Spengel., Philol. XXVI, p. 356; nam „antiquum et vetus“ componi possunt, quia aliquid interest, uetus a uetusto nihil differt. Editores inde a Bothio duos tetrametros et trimetrum creticum sic describunt:

Nam omnium unguentum odos prae tuo nauteast.
Tu mihi stacte, tu cinnamum, tu rosa,
Tu crocinum et casia es, tu bdelium.

Ego codicem secutus sum; Sic 101 constat ex iambo et quinque creticis, 102 ex tribus dactylis, spondeo et cretico. *nautea* Nonius p. 8, v. Asin. 885. — *stacte*, *στακτή* sc. *μύρρα*; quæ de hac frutice destillat, v. Plin. H. N. XII, 15, 35, 68: „sudant autem sponte prius quam incidantur, stacte dicta, cui nulla praefertur“. Plaut. Trucul. 473: „Date mihi huc stactam atque ignem in aram“. Most. 303: „cum stacta accubo“. — 102. *bdellium* olim emendatum. Describit Plinius H. N. XII, 9, 19, 35. — 103 iambicus septenarius. — 104—108 cretici tetrametri. — 106. *tecum*, odor; *ipsus*, sinus. — 108. *Sine* olim emendatum. Gepp. „sitio“. — *ductim*, longo ducto. Affert Glossarium Plautinum, Ritsch. Opusc. II p. 235. — *hac* cett. codd. — 109 constat ex dimetro iambico et iambo cum cretico.

Anum narium indicium sequentem cum cane comparat, recteque Acidalius vidit hunc versum a 108 separari non posse, quamquam aliter sentit Spengel. l. l. p. 357. Sed qui in codd. intercedunt duo versus, eos Acid. et Fl. post v. 103 posuerunt parum apto loco; mihi hic solus incuria omissus videtur et paulo post additus. — 110 septenarius iambicus. Ingentem anus sitim esse, eamque vel *quadrantal*, i. e. XLVIII sextarios, capere posse dicit. — 111 constat ex dimetro iambico et duobus creticis cum spondeo. Palinurus ne totam quidem huius anni vindemiam illi anui sufficere credit. — 112, quinque iambi. *procul* non longum, sed modicum intervallum significat, cf. Cas. 763: „oboluit Casina procul". Mil. 359 et 1162. Poen. 685: „Illinc procul nos istuc inspectabimus. Ter. Hec. 607: „Quem cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi". — 113 constat ex semiquinario trochaico et cretico. — 114 iambus cum quinque creticis, ut 101. *Leaena* Fl. em. — 115 trochaicus dimeter. — 116 tetrameter bacchiacus. 117 item, si cum Fl. suppleas *sitim tuam*, quod sensus requirit; „sitim" iam in margine codicis B additum est.

118 constat ex semiquinario trochaico iterato. *Lumen hoc uide*; aperit lumen, quod occultaverat v. 95. — 119 tetrameter creticus. 120 item; nam quintus creticus, quem addunt codd., proximi versus esse videtur. *sim*, vid. ad Amph. 741. — 121. Tres dipodias iambicas sequuntur duo dactyli cum syllaba. *Diu fit*; moram queritur; cf. Capt. 975. — *oculissume*, cf. 16. Gepp. temere: „ocule mi, mi homo". — 122 aut iambicus aut dimeter anapæsticus. — 123 iambicus trimeter catalecticus. — 124 dimeter iambicus. — 125 iambicus septenarius. *hoc* olim emendatum est. Religionis causa, ante quam ipsa bibat, Veneri libandum censet, sed nec multum nec libenter, cuius rei hanc affert excusationem, quod Veneri amantes omnes libare soleant, sibi perraro vinum detur. — 126 tetrameter anapæsticus. *propitiantes* Bothius em., cf. Poen. 330: „ut Uenerem propitiem", ib. 375. 851. Obiectum „te" facile intelligitur. Iure, nam *propinare* tantum differt a libando, ut potius contrarium dici possit, v. Asin. 765. — 127 dimeter anapæsticus cum clausulæ duorum trochæorum. — 128—32 systema anapæsticum constans

ex quinque tetrametris, ut statuit Spengel. Plaut. p. 130. Fl. et numerorum causa, ut trochaicos septenarios faceret, multa mutavit, et vss. 131—32 ante 129 posuit. — 128. *Hoc uide* indignantis est, cf. 153 et annot. ad Aulul. 46. — *auariter* ex glossario Plautino affert Ritschelius Opusc. II, p. 247, qui quod „haustibus plenis“ scribi voluerat, Müller. Nachtr. p. 52 laudat Stich. 469: „Propino tibi salutem plenis faucibus“. — 129. *Em.* Gepp.: „Idem“. — 130. *Periisse* Speng. versus causa. Ceterum solita scurrilitate Palinurus Phædromum ait dixisse *se perisse*, quum nihil aliud quam questus esset se nescire, qua ratione potissimum oratio incipienda esset; hoc enim est „perii, nescio“. Phædromus inepte iocantem aegre ferens (ut v. 45) ei male precatur, cf. 317. 314. Rud. 375. Most. 984: „SI. Uidi ecferri mortuum. Modo eum uixisse aiebant. TH. Uae capiti tuo“. al. — 131. *Ecquid lubet*? ecquam voluptatem sentis? cf. „laetus lubens“ Trin. 821. al. Quod ad versum attinet, et tertius pes (*lubet. Lubet*) et septimus (*fodere lu*) proceleusmatici sunt. — — 132. *noli* ferri non potest; quis enim eum vetat stimulo uti, qui stimulum non habeat? Studem. Cantic. p. 89 „nihili“ coniecit, quo modo parum apte Palinurum allocuturus erat; ego *Tacen an non*? Quid enim aliud quam tacere eum iubet? Sed absoluta emendatio non videtur, nam addenda est syllaba, ut tetrameter integer fiat, velut: „Tacen? an non uis?“ aut: „Tacen an non? PA. Ego taceo“. — *arcum* appellat anum senectute incurvam. Ludit autem in simititudine arcus cælestis, quem, ubi latus esset et terræ coniunctus, aquam *bibere* et pluviam portendere dicebant, cf. Verg. Georg. I, 380: „bibit ingens arcus“. Tibul. I, 4, 44: „imbrifer arcus“. Plin. Hist. nat. II, 59. 60. 150. — 133 trochaicus octonarius. Speng. anapæsticum facit „periisse“ scribens ut 130. Primus pes, *Iamne ego huic*, ne creticus pro anapæsto sit, Müller. Pros. p. 120 „Iam ego“ scribebat. — 134 constat ex cretico tetrametro et dimetro trochaico. — 135 tetrameter creticus. *quod lubet* cett. codd. — 136 et 137 octonarii trochaici; sed priorem cod. in duos quaternarios dividit. Versus causa Fl. *ego* addidit; Bergk. et Studem. pro *Quia* „Quoniam“ posuerunt. *careo* cum accusativo iungit etiam Ter. Eun. 223: „non ego illam caream?“ Turpil. 32: „meos

parentes careo". Tituli Guter. p. 770 n. 9: „quae duos filios caruit", p. 572 n. 7: „dulcem carui lucem". Cato apud Gell. XIII, 24: „multa egeo". — 138—40 compositi ex duobus creticis et duobus anapæstis; Studem. hos trochæos appellavit. — *ne* post pronomen positum contra accuratam disputationem Fleckeisenii, Philol. II, p. 61 sqq., tutatus sum ad Asin. 875. Fl. duos octonarios fecit:

Ne ego, si fidem [tu] mecum seruas, aurea pro statua
Uineam tibi statuam, quae sit gutturi tuo monimentum.

— *fidem seruas mecum*, v. ad Capt. 925: — 139. *Uineam te statuam*, i. e. statua te honorabo non ex auro facta, sed ex materia magis convenienti, viti; ut statim appareat bibacitati eius, sive *gutturi* gratiam relatam esse.

141—46 septenarii anapæstici; in altero vero non solum *qui amat* et *si eget* cum hiatu legenda sunt, sed etiam *adficitur* ultima producta, v. Prolegg. p. 196, quare Studem. hunc iambicum septenarium dixit. In 144 *si id* cum hiatu legendum; Both. et Fl. „si illud". — 141. *me* ablativus comparationis est, cf. ad Amph. 289. — *bitet*, i. e. eat. Nonius p. 77 „betere" ex Varrone affert et ex Pacuvio (v. 227 et 255); cf. Pompon. v. 150. Ribbeckius ex Nonii cod. Bamb. „baetere" scribit, quod quomodo cum magno numero Plautinarum formarum conciliari possit, non video; v. Merc. 456: „bitas". Pseud. 255: „bitere". tum „abito" Truc. 100. „adbito" Capt. 599. „ebito" Stich. 608. „inbito" Epid. 146. „interbito" Most. 1078. „perbito" Pseud. 783. Rud. 495. „praeterbito" Ep. 429. Poen. 1171. — 142. *amat* cett. codd. — 145. *Quid* cett. codd. et B man. sec. — *occentem*. Occentabant amatores fores, ut sibi aperirentur, cf. Mercat. 401. Pers. 568. Plutarch. Amator. 8, 2: *ᾄδειν τὸ παρακλαυσίθυρον*, cuius egregium exemplum sequitur v. 147 sqq. — *neque ueto neque iubeo*, cf. Bacch. 1040; de forma verbi v. ad Capt. 697. Si quem duo proceleusmatici offendunt, cum Studemundo „nec" legat.

147—54 Occentatio lepidissima tetrametris creticis scripta. *pessuli*, v. ad Aul. 104. — 150. *ludii* Turnebus em. Fores, quas subsilire vult, cum saltatoribus Etruscis sive ludiis comparat, v. ad Aul. 394. — 152. *ebibit sanguinem*. Etiam Theocrit.

2, 55 sq. amorem cum hirudine comparat: *Αἰαῖ Ἔρως ἀνιαρέ, τί μεν μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα Ἐμφὺς ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;*

155—57 systema trochaicum; cod. tres versus describit compositos, ut ait Studem. Cant. p. 13, ex quaternario trochaico et dimetro cretico catalectico. Christius, Metrik p. 297 (cf. München. Sitzungsbericht. 1871, p. 44) trimetros anapæsticos catalecticos facit. — 155. *Perspicio* Lambin. em. — 456. *St* idem. — 157. *morigeri* cett. codd.

158. Colloquium amantium septenariis trochaicis scriptum est. *forium* Guietus; *cardinum* cett. codd. — 159 *hic* corripitur, cf. Müller. Pros. p. 397. Priscian. III, 42, p. 114 H.: „Ne quae hic". — 160. *suffundam aquolam*, ne cardo strepitum edat, cf. Aristoph. Thesm. 487: *Ἐγὼ δὲ καταχέασα τοῦ στροφέως ὕδωρ ἐξῆλθον.* Cardinibus enim (v. Marquardt, Röm. Privatalterthümer I, p. 233) antiqui plerumque ligneis utebantur, maxime ulmeis, v. Plin. H. N. XVI, 40, 77, 210. Si ferreus fuisset cardo, ut apud nos, oleo non aqua opus fuit. — *Uiden* cett. codd. — 162. *conuadatus* pro uadatus hoc uno loco legitur, sed recte, nam vadimonium mutuum est. Eadem similitudine utitur Plautus Bacch. 178. — Post hunc versum in cod. Palat. 6. additur versus glossema continens: „Ubi tu es qui me libello Uenereo citauisti? ecce me"; quem quum superiores notassent, iure eiecit Fl. — 163. *Sisto tibi me*, cf. Cic. ad Att. III, 25: „ut te ante Kal. Ian., ubicunque erimus, sistas". Pl. Rud. 778. Liv. III, 45, 3. In altero membro *te* desiderari olim intellectum est; Fl. *tu te* add. — 164. *recusem* cett. codd. et B. man. sec. — 165. Planesium eum propius accedere iubet. Excidisse voculam numeri ostendunt; antiqui edd. „procul quidem"; Both. „me procul"; nos cum Weisio „tam procul". — 166. *quid est quod* pro anapæsto legendum est. *uoces* codd.; Fl. „uocas", v. ad Amph. 167. — 167. *homo* in B omissum additur in margine. *haud magni preti*, quippe libidini obnoxius et parum sanus. — 169. *Male uales, ere* Acidal. em. — 170. Palinuro herus male sanus videtur, quod se amans cruciet nec amatæ statim potiatur. — 171. *haud* cett. codd. — *iam diu* Gulielm. em. — 172. *Hoc etiam est*, hæc una causa restat, cur vivere cupiam. — 173. Corruptelam numeri

arguunt. Guiet. et Fl. *ero* omiserunt. *Prohibet* Pistoris pro interrogatione capit; quem cum Fl. secutus sum, quamquam post interrogationem „Immo" desidero. Iam prætulerim: „Quia te prohibet erus, clam ero potior. PL. Quin nec prohibere quit". — 175. Palinurus heri amorem impatienter fert. *durare*, Amph. 875. Mediocrem amorem probat, si quis *pauxillum* s. paulum amat, et *sane*, i. e. ut sani homines faciunt, v. ad Amph. 444 cum addendis. — 177. *totum*, i. e. toto animo, *insanum* cum *amare* iungitur eodem modo quo nuper „pauxillum". Nonius p. 127: „Insanum pro insane. Plautus: insanum ualde uterque deamat". Versum cum hiatu in diæresi, post *amare*, legendum esse credo cum Luchsio in Studem. Stud. I, p. 60. Ceterum hos tres versus Palinurus secum dicit, ut nec a ceteris audiantur nec amantium colloquium interrumpant. Fl. eos versui 180 postposuit, vix iure. — 179. Ante *honores* hiatus, cf. Proleg. p. 224. Müller. Prosod. p. 704 legit: „Sibi honorés sibí". — 180. *abstineant inuidere*, cf. Sueton. Tib. 23: „quando ita præfari non abstinuerit". — 181. Iam morse impatiens herum monet maiorem noctis partem exactam esse. — 182. *hoc*, v. ad Amph. 539. *luce lucebit*, repetitio auget. — 185. *tu* B prius omiserat, postea addidit. — *inscitia* eius est, qui facit quod parum conveniat, cf. ad Bacch. 1074. — 186. *Irascare* Fl. em. iubente hypothesi. — *Ilicet*, actum est, v. Amph. 334. — 189. *Etiam*, cf. 41. *dispertimini*; creticus vocem terminans pro trochæo poni vix potest. Müller. proposuit: „disiungimini". Facilius in proximis verbum substantivum aut omittitur aut transponitur, quod feci. Eadem sententia Cist. 191: „Ut sunt humana, nihil est perpetuum datum". — 190. *est* extat in ceteris codd. *odium* homo odiosus. *propudium*, cf. Bacch. 577. — 191. Pro *oculis* B ab initio „osculis", sed s erasum est. Convicium regerere studens oculos eius, quos facile crediderim magnos et graves fuisse, cum noctuæ oculis comparat; quod quo modo ad nocturnum amantium colloquium, ut voluit Merclin. Ind. Dorp. p. 12, referri possit, non intelligo. — 192. *persole* est in B, *persolæ* in cod. Brit.; edd. „persolla", duplici l, est enim deminutivum a persona ductum, ut recte glossarii, v. Loewe, Prodrom. p. 261; nam Salmasio nemo facile credet „persolas nugas" solas, nudas,

meras nugas enarranti. Sed casum edd. temere mutarunt. Bothius etiam „Ebriolae persolla, quæ velut ebriæ personam induit, quæ se pro ebria gerit sive insanit"; quod quo modo Fl. recipere potuerit, non intelligo. Scribendum *Ebriolae persollae nugae*; est autem genetivus, quem generis equidem quam epexegeticum dicere malim, qualis est „flagitium hominis" al., v. ad Asin. 470. Nugæ hominis dicitur homo nugatorius et nullius pretii, cf. infra 199 cum nota. — *Uenerem* suam amatam puellam dicit, cf. Most. 157: „O Uenus uenusta". Trucul. 688. Fragm. ap. Gellium XVIII, 12, 4: „Uenus uentura est nostra". Verg. Buc. 3, 68: „Parta meae Veneri sunt munera". Casin. 210: „mea Iuno" uxor a marito appellatur. — 193. In cod. B ab initio fuit: „Qu quidem" cum rasura inter utrumque; altera manus „Qd quidem" fecit, ut in ceteris codicibus est; idemque editorum tenuerunt plerique, quamquam intelligi nequit; quis enim Gruterum ferat sic enarrantem: „Ergone feram, ut servus plagipatida hic mihi argutias serat?" aut Pontanum: „Quod quidem est quoad quidem, quasi fuisset: Quousque tandem ... seret?" Immo „Quod quidem" est „Certe quia". Hac ratione Palinurus incipere orationem potuit convicia sua defendentem, sed oratio ipsum exagitat. Lambinus „Quem quidem" ed., sed ibi quoque et „quidem" pravum est et futurum indicativi requiritur. Cum coniunctivo *serat* eiusmodi principium congruit: „Talem" vel „Istum mihi polluctus etc." Q ex nota Planesii *a* oriri potuit; nam Lambinus recte intellexit, Planesii hæc verba esse. *polluctus uirgis*, i. e. virgis devotus, destinatus, virgarum præda; polluere est enim sacrificare; „uirgis" dativus est, non ablativus, ut putavit Camerar., qui „accumulatum virgis" enarravit; cf. Rud. 425: „non ego sum pollucta pago". — 195. *Em tibi*, plagam ei infert, v. ad Amph. 771. — 196. *Tuam fidem*; servi more deprecatorem sibi quærit, sed ira commotus iterum parum verecunde Planesium appellat, adhibito Veneris nomine, quo adolescens usus erat. — *Pergin*; iterum eum verberat. — 198. *expergefacis*, excitas. — 199. *Bene monstrantem*, præcipientem, cf. Bacch. 131. Men. 776: „Quotiens monstraui tibi, uiro ut morem geras?" — *nugas meras*, cf. 192. Poen. 345: „Quam magis adspecto, tam magis est nimbata et nugae merae". Cic.

ad Att. VI, 3, 5: „Amicos habet meras nugas". ad Q. fr. I, 2, 4: „ego nugas maximas omni mea comitate complexus sum, Nymphontem etiam Colophonium". — 200. *Hocine fieri.* Palinurus numquam crediderat herum suum *immodestum* fore, i. e. parum decorum, cf. Poen. 153: „Amo inmodeste". Ter. Heaut. 567: „in uino quam inmodestus fuisti!" — *ut te modereris*, ut te geras, nec per se nec cum illo adiectivo coniunctum offendit, *hic* autem nullo modo ferri potest, nec editores, qui metri causa *te hic* scripserunt, sensui consuluerunt; aut „te his" scribendum erat, aut simpliciter „te". Brix. Ann. philol. CI, p. 764: „ut immodestis morigereris moribus", coll. Capt. 198; Seyffert. Philolog. XXIX, p. 386: „ut immodestis tuis modereris m."; quod si quis probat, necesse est cum Luchsio, Herm. VIII, p. 116 scribat: „Potine fieri, ut". — 201. *Modestum*, sive moderatum, amatorem si mihi monstraveris, auro expendam, cf. Epid. 407: „non carust auro contra". Trucul. 535: „mihi iam auro contra constat filius". Pseud. 692: „aurichalco contra non carum fuit". Mil. 659: „Cedo tris mi homines aurichalco contra cum istis moribus". ib. 1069: „Contra auro alii hanc uendere potui operam". *Aurichalcum* autem (sic enim Romani antiqui ὀρείχαλκον dicebant) quamvis auri pretium non æquet, tamen et ipsum pretiosum est. Palinurus non augendo herum vincit, sed variando auditores delectat. Ut ille modestum amatorem, ita hic sanum herum sibi optat. — 204. *Aedituum aperire* codd. asyndeto minime ferendo; Guiet. „Ædituumque", ne hoc quidem apte; Both. „sonitu et crepitu", quod apud alium scriptorem probarem, a Plautina simplicitate abhorret. Fl.: „Aedituum fanum aperire arbitror. Set quaeso"; Seyffert., Philol. XXVII, p. 443: „Aedituum aperire reor fanum". Nos cum Gertzio: „Aedituum arbitror aperire fanum", omisso *quousque*, quod corruptum esse apparet, non tam quia abundat *semper*, nam similia forsitan invenire possint, v. ad Asin. 779, quam quia responsum non temporis spatium indicat, sed simpliciter rem negat, quod autem pro *Minime* Gepp. scripsit, „Minimo", non est Latinum. „Quousque" ex proximo verbo male lecto ortum videtur. Olim conieceram: „Aedituo aperiente fanum. Usque, quaeso, ad hunc modum". — 205. *utemur*, Guiet. em. — 206.

Cariam, sine præpositione, cf. 339. 225. Most. 490: „Acheruntem". 432: „Aegypto". Trucul. 537: „Ponto". Quod autem quattuor diebus eum in Cariam ire indeque redire posse putat, prosperrima sane tempestatis fortuna eum uti censet. — 209. *liberalem*, liberam, cf. 489. Cas. 74: „liberales nuptiae". Ponitur autem h. l. abundanter per prolepsin, quasi in libertatem, vel ut libera sis, cf. ad Amph. 1141. — 210. „*tene*, cape, habe" Gruter. — 211. *hercle* priorem corripere videtur, v. Proleg. p. 204; Fl. „mi hercle"; Luchs. in Herm. VIII, p. 121 „mihi" delebat coll. Merc. 829. — *persequar*, cf. Ter. Andr. 815: hereditatem persequi". Cic. Finib. II, 7, 23. al. — 212. *uindictam para*, i. e. manumissionem. Sed quod codd. præbent *Hem* ratione caret; nec ablativus *istoc verbo* recte dicitur. Gronovius quidem: „*Istoc uerbo* est propter id quod dixisti, ut, quando velis, videre me possis, redde me liberam. Verbum pro re, quæ verbo significatur; fere enim eodem sensu, ob eam rem"; idque probant et Holzius, Syntax. p. 142, et Mercl. Ind. Dorpat. p. 14, qui adfert Men. 248: „Illoc enim uerbo esse me seruom scio"; quod recte dicitur, quum illud nostro loco pravissimum sit. Pistoris enarrat: „cum istoc dicto", ac fuit, quam hoc ipsum scribendum putarem, sed hoc quoque obscurius diceretur pro: qui hoc dicis, vel quoniam hoc dicis, me libera; hoc ne dixeris solum, sed fac etiam, quod eo pertinet. Libenter scripserim: „Audisti hoc uerbum: Vindictam para", vel „Dicam uerbo", i. e. uno verbo. — 215. *Sequere me* extat in cett. codd.

216. Postquam intrarunt ceteri, Cappadox leno e fano egreditur. Morbi doloribus vehementer agitatus Æsculapium accusat et valetudinis recuperandæ spem prope deponit. — *iam nunc* codd., Fl. „nunciam". — 217. *ita*, i. e. eam esse Æsculapii sententiam, v. ad Amph. 571. — 218. *Ut qui*, i. e. ut, v. ad Asin. 501. — 220. Liene quasi zona sibi pressus videtur et intestinis distentus.

223. Palinurus advenit cum hero. Nam quum lux facta esset, ad forum se contulerunt, ut pararent quæ ad parasitum redeuntem bene accipiendum opus essent (v. 252). Herum graviter sollicitum, ne se spes fallat et inanis redeat parasitus, Palinurus inter eundum consolatur. — 226. *ferat*, ferret, cf. ad Asin.

390. — 227. *Tormentum* est funis tortus, cf. Cæsar. B. G. VII, 22. al. Proprie stuppeum erat; h. l., ut augeantur vires eius, *ferreum* dicitur. — 228 *praesepim*. Nonius p. 218: „Praesepia neutri sunt generis . . . Feminino Plautus in Curculione: quin reciperet se huc cessum ad praesepim suam". Etiam Probus p. 1446 P. ex Plauto affert: „Haec praesepes mea est". Fl. „essum" duplici s, quod et ipsum Nonius legisse videtur.

229. Phædromus cum coquo domum intrant; Palinurum retinet lenonis allocutio. *Quoiam uocem*, cf. Bacch. 943. Stich. 371: „quoiast nauis?" Pseud. 1043: „quoiam esse te uis". Epid. 291: „quoia est fidicina". Trucul. 337: „de quoio esuri sient". Poen. 538; „de quoio ederis". — 230. *Estne* cett. codd. — *Quis* B man. sec., quum prius „Qui" scriptum esset, cf. Seyff. Stud. Plaut. p. 27 annot. 20. — 231. „*Collativum ventrem* magnum et turgidum dixit Plautus, quia in eum omnia edulia congeruntur", Fest. Ep. p. 58. Id. p. 37: „Collativum sacrificium, quod ex collatione offertur". De lienosis autem, qualem hunc fuisse audimus v. 236 et 244, Celsus IV, 9: „lienis ubi affectus est, intumescit, ... venterque intentus est." — *oculis herbeis*, viridis. Morbo regio quoque laborasse videtur leno; nam *colorem* eius mutatum esse, *formam* manere dicit. — 234. *scelerum caput*, cf. Bacch. 824. Mil. 496. Pseud. 446. 1054. Rud. 1098, i. e. sceleratum caput, ut est Epid. 365. Sic recte Servius ad Æn. IX, 486, alterum eiusdem adiectivi exemplum afferens Pseud. 822: „teritur sinapis scelera", iusto licentius mutatum a Sauppio, Quæst. Plaut. p. 9 sq. Hodie fere genetivum esse putant, et pro testimonio afferunt „periuri caput", ut Pseud. 131 et Rud. 1099 cod B, sed et C „periurum caput" habet, nec ipsa similitudo satis magna est, quoniam non „sceleris caput", sed „scelerum" dicitur. — 235. *Salueto*. Futurum imperativi post præsens in reddenda salute infertur etiam Merc. 280. Men. 1054: „Tu erus es; tu seruom quaere; tu salueto; tu uale". — 236. *necat* codd.; Fl. „enecat". — 238. *hirae* Turnebus ex Festi Epit. p. 101: „Hira, quæ deminutive dicitur hilla, . . . intestinum est". — 239. *epatiarius* codd.; edd. „hepatiarius", nec facile aliud occurrit. Hepaticum autem sive iecinoris morbum intelligunt, quod quia cum proxime ante-

cedenti versu parum congruere videbatur, Acidalius et Bothius, hos versus inter se locum mutasse putarunt. Illud quoque iure animadvertit Acidalius, si servus nihil aliud dixisset, quam iecinoris morbum esse ubi cruciaretur iecur, lenonem non fuisse responsurum: *Facile est miserum irridere.* Itaque idem v. d., sequentibus et Bothio et Fleckeisenio, huic versui (240) versum 244 anteponendum suspicatus est, ut irrisio in ambulandi præcepto inveniretur; sed omnia tam dubia esse concedit, ut textum corrigere temerarium sit. Si verum fateri volumus, ignoramus, qualis sit morbus epatiarius, nec eam irrisionem, quæ in hoc nomine inest, explicare possumus. — 240 sqq. Pergit Palinurus. Facile, inquit, credo intestina tua corrupta esse, brevique fore ut putredine prorsus absumantur. Si expectaveris dum hoc factum sit, tanto vilius vendi poteris, quanto intestinis absumptis levior eris; comparatur enim cum ceto aut aliquo piscium genere, quod salsamentariis venditur. Sed versus 242 prior pars parenthesis est causam continens, cur expectandum sit; scilicet nondum exputuisse intestina, quia *salsura*, ne absumantur, prohibitura, etiam nunc satis bona sit. Sed *nunc dum*, quod codd. præbent, etiamnunc significare non potest; si autem „nunc, dum" scribatur, aut cum Acidalio aliisque „nondum", a sensu aberretur*), itaque *nunc enim* scripsi. Alii, ut Merclinus, Ind. Dorp. p. 10, salsuram non eam intelligunt, quam ipsa natura comparasse videri possit, sed medicinæ ope effectam. Celsus enim l. l. lienosi „dulcia" ait, omnia inimica sunt .... Edenda sunt salsamenta". Cuius medicinæ quum apud Plautum nullum vestigium sit, Götzius Analect. Plautin. p. 108 sq. excidisse aliquid putat, præsertim quum Serenus Sammonicus c. 23 v. 429 hæc habeat: „Dulcia Plautus ait grandi minus apta lieni". Exempli causa ante v. 242 (Nunc dum salsura . .) addit talem versum:

*) Exempli causa Gepperti interpretationem afferam, qui v. 242 „Nondum" scribit et „Ni" pro „si".

„Ein'ge Zeit
Musst du noch warten, bis dir das Gekrös verfault:
Noch ist das Salz darin nicht brauchbar. Thust du's nicht,
So kommen die Eingeweide unterm Werth zu Markt.

Nam grandi lieni minus sunt apta dulcia. — Ceterum huic versui in margine cod. B adscribuntur minime apte:

album an atrum uinum potas
quid tibi quesito opus est,

quorum priora extant Men. 900. — 244. *dierectust* Camerar., vid. ad. Bacch. 577. Ante eum ex codd. dett. „dirruptus“ legebatur. — *Ambula* ambigue dicitur, nam et „abi“ significat, vid. ad Asin. 107. Pers. 251. 748, et lienoso recte ambulationem commendare potuit, nam, ut ait Celsus IV, 9, „hoc vitium quies auget; itaque exercitatione et labore opus est“. — 245. *Aufer quaeso ista* Both. em. Cavillationem et risum eum omittere iubet, cf. Aul. 630 cum annot. — 246. *coniecturam facere*, coniicere, interpretari somnium meum. — 248. *hic homo*, ego, cf. ad Capt. 334. — „*Scire diuinitus*“ ait Gronov. „est callere artem divinandi. Intelligitur autem verbum fari“; confert vulgo notum illud „Latine“ aut „Græce scire“, Uarronis „docere tolutim“, Lucilii „incipere tolutim“. Add. Ter. Eun. 133: „fidibus scire“.

251. Exit coquus morse impatiens. — 253. *ueniat*, v. ad Aul. 270. — Post h. vers. Brix. Annal. philol. CI, 764 excidisse putat versum eiusmodi: „CO. Immo ego coniciam; nam coniector sum optumus“; quod non necessarium mihi quidem videtur. — 255. *Age tu*, lenoni dicuntur. — 257. *ut det*, i. e. modo det, quæ particula additur Pers. 574: „Modo uti sciam“. Ter. Andr. 409: „Modo ut possim“. Heaut. 617: „At ut satis contemplata modo sis“. In Andr. 277: „Sed ut uim queas ferre“ fieri potest ut coniunctio ex antecedenti „metuo“ pendeat. — 258. Post *magistro* hiatus, v. Proleg. p. 220. Camer. „suo“ add.; Müller. „obediens“. Brix. Ann. phil. CI, 765 „magisterio“, parum feliciter. — 259. *Tametsi non noui*, sc. te; ignotis operam dare non solemus. — 260. *tuerier*, i. e. videre, Lambinus em. — 263. *Visust*, s. uisus est, codd.; Acidalius: „uisumst“, ut oratio minus confragosa sit; secuti sunt Both. et Fl. Si quid mutandum est, malim *eum* delere. — *scilicet*, v. ad Asin. 780. — 265. *nihil*, i. e. non, v. ad Asin. 924. *sit* cett. codd. — 267. Post *tibi* hiatus, v. Proleg. p. 224. Antiqui edd. „Tibi qui“; alia tentarunt Fl. et Müller. Prosod. p. 350. — *auxilio* cum cett. codd. et antiquis edd. scripsi, cf. Bacch. 942; nam „Iuppiter auxilium fuit“, si

non prave, saltem quæsitius dicitur. Camerarius inde progressus: „auxilium tulit“. — 268. *uelint* pro pyrrhichio esse videtur, v. Proleg. p. 203. Fl.: „qui periurarint, uelint“. Tantum ait esse eorum, qui periurent, numerum, ut ne Capitolium quidem, maximum templum, eos capere possit. Quod autem Romanum locum nominat, quum scena Epidauri agatur, suo more facit Plautus, qui in hac fabulæ sæpius animadvertitur. — 271. *euenat* Both. ut v. 39. Offendit etiam anapæstus in tertio pede; Fl. „fors“ coni., melius Müller. „ne tibi forte“. — 272. *Bene facis*; gratias agit bene consulenti.

274. Hic versus in codicibus ita adiungitur antecedentibus, quasi eiusdem scenæ sit, et v. 277 coquo tribuuntur, quæ Palinuri sunt. Sed nec coqui nec lenonis, qui in ea, quam legimus, scena collocuti sunt, ullæ amplius partes sunt, ut abisse eos appareat, Palinurus autem, qui hic loquitur, et cuius nomen codd. ita servarunt, ut non eius sed Phædromi verbis præscribant, nuper non adfuit, v. 255 sq. Itaque dubitari nequit, quin nova hæc scena sit, cuius præscriptio quoniam in codd. non invenitur, integrum folium excidisse apparet. Palinurus secum locutus esse videtur ante quam v. 274 parasitum animadvertit. — *qui*, vid. ad Amph. 127; add. Aul. 766 sq. Bacch. 231. Seyff. Stud. p. 27 „quis“ postulat. — 275. *Estne parasitus* codd., ut recte testatur Pareus, quamvis neget Gruterus; edd. vett. „Estne hic parasitus“, sane gratius. — *qui missus est* codd.; Bothius: „missus quist“. — 276. Post *exi* hiatus in cæsura; sed etiam post alterum „exi“ hiari videtur, nisi ante „ocius“ fieri malis. Fl. quartum „exi“ addidit post „Heus“. — 277. *Quid* sensus mihi postulare videbatur. Idem Brix. Ann. phil. CI, p. 765. — 278. *Uideo currentem* Gulielm. em. Hiatus in cæsura; Fl. transp. „platea in ultuma“; Müller. „eccillum“. — 279. *censeo*, scil. sic faciendum, v. ad Amph. 959.

280. Parasitus properans intrat et currentium servorum modo se obvios omnes præ festinatione deturbaturum minatur, cf. ad Amph. 977 sqq. Septenariis trochaicis loquitur. Versus primus iusto longior est; Both. „mihi“ delevit, Fl. „atque“. — *officium*, v. ad Asin. 172; add. Stich. 19. Ter. Ad. 966. — 281. *decedite* em. Brix. Ann. phil. CI, p. 763, coll. Amph. 977.

980. 983. Merc. 115. Trin. 481. — 283. *propere* adverbium est, *celere* adiectivum, ut Ter. Phorm. 179: „Nullus's, Geta, ni iam aliquod tibi consilium celere reperies“. Itaque necesse est aut „properum“ scribatur, aut *subitum*, hoc autem magis Plautinum videtur, cf. Pers. 584: „si tibi subiti nihil est“. Aul. 264. infra 302. — 284. *sit* olim emendatum. Nec quisquam, inquit, qui mihi obstiterit, tam opulentus erit aut tanta gloria præditus, ut eum non proturbem et evertam. Opulentiæ exempla per appositionem adduntur: *Nec strategus* etc. — *agoranomus*, cf. Capt. 817. *demarchi* apud Athenienses sæpius commemorantur, qui vicis præerant et vicanorum catalogos habebant; *comarchi*, pagorum præsides, si in Attica fuerunt, minoris etiam momenti fuerunt; sed potius ad alios populos pertinuerunt, maxime Dorienses, qui κώμας dicebant, quas Athenienses δήμους, v. Aristot. Poet. 3. — 287. *capite sistat*, v. ad Capt. 787. — *de semita*, sc. deiectus, nam semita pars viæ est ambulantium causa altior facta, quum media pars depressior et curribus destinata sit. Res vel ex Pompeianis plateis vulgo nota. Cf. Merc. 113 sq. „plenis semitis qui aduorsum eunt, aspellito, detrude, deturba in uiam“. (de Casin. 646 vid. ad eum locum). L. Iul. mun. (Corp. Inscr. Lat. I, 206), v. 53: „Quoius ante aedificium semita in loco erit, is eam semitam eo aedificio perpetuo lapidibus perpetueis integreis continentem constratam recte habeto“. Liv. X, 23, 12: „(Censores a. 296) semitam saxo quadrato a Capena porta ad Martis straverunt“; ipsam „viam“ multis annis post (a. 189, v. XXXVIII, 28, 3) „silice sternendam a porta Capena ad Martis locaverunt“. Cic. Agr. II, 35, 96: „Romam in montibus positam et convallibus, cenaculis sublatam et suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, præ sua Capua planissimo in loco explicata ac præ illis semitis irridebunt“. Senec. Ep. 64, 10: „Si consulem videro aut prætorem, ... semita cedam“. — 288. Hæc poeta Latinus de suo addit. Queritur de philosophis Græcis ostentatione gravitatis molestis, sed, ubi se latere credant, luxuriæ et libidini deditis, nec eos aliter commemorat aut depingit quam faciunt vel Juvenalis vel Lucianus. *isti* cett. codd. *Palliati* vulgo Græci erant, *operto* autem *capite* non Græci magis quam

Romani; utrique enim antiquitus nudo fere capite incedebant; sed de iis loquitur, qui pallio obducto caput velant, quod faciebant mulieres et viri præ mollitie solem et ventum non ferentes, v. Rutil. Lup. II, 7: „praeligato palliolo frigus a capite defendens". Senec. Ep. 114, 6: „hunc esse, qui in omni publico cœtu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput exclusis utrinque auribus, non aliter quam in mimo fugitivi solent". Fugitivi enim, ne noscerentur, caput operiebant (v. 290), philosophi autem, ut gravitatem simularent, quasi ne turbaretur animus inter cogitandum, si quid alieni oculis aut auribus obiectum esset. — 289. *suffarcinati*, quasi sufferti, oneribus, quæ sub pallio gestant, tumentes, cf. Ter. Andr. 770: „Uidi Cantharam suffarcinatam". Et Martianus Capella quidem VIIII, 998: „docta indoctis aggerans fandis tacenda farcinat". Tamen dubito an recte Lambinus Latinum esse negaverit et utroque loco „subsarcinatum" scripserit; „sarcinatos homines" legas Poen. 982. — *libri* philosophum ostentant, *sportuli* paupertatem; nam victus causa philosophantur, et accipiunt quidquid ab auditoribus datur. — 290. *Constant*, simul stant, cf. 502 sq. — *conferunt*. Quod Pareus ait in B videri ab initio scriptum esse „conserunt", equidem non vidi. — *sese* Camerarius; *drapetae* cett. codd., i. e. fugitivi, v. ad 288. — 291. *incedunt*. Both.: „occedunt", ut eadem præpositio repetatur, quod fortasse reciperem, si quomodo mutari potuisset, intelligerem. — 292. *thermopolium*, ubi venduntur calidi cibi et vinum calidum, cf. Pseud. 747. Rud. 529. Trin. 1013. Sed quod legitur *bibentes esse*, ineptum est. Acidalius emendabat „libentes esse", i. e. gaudere, coll. Cist. 508: „qui semper malo muliebri sunt lubentes". Verum quid hoc est, quod semper in thermopolio esse dicuntur, quos quum maxime in platea constare et obstare dicit? Proximus versus, ubi significantur inopiæ tantum causa in publico versari, quum primum argenti aliquid subripuerint, in cauponis latere, ferri possit; hic quidem aperte spurius est. — 294. *incedunt*. Both. „abcedunt"; si nimis offendit eadem vox in sex versibus ter posita, equidem „cedunt" scribam, ut Aul. 509. — *ego* posteriorem producit, v. Proleg. p. 195. Fl. „hic" addit. — 295. *excutiam* Camer. em.; Gepp. „excieam". Ita in eos impetus

facturus est, ut præ metu *crepitum* ventris emittant, quem *polentarium* dicit, quia ex polenta largiter comesta oritur. Quod autem prima huius vocis syllaba producitur, licenter fit; edd. animadvertisse non videntur. — 296. *isti qui*; attrahitur demonstrativum ad relativum, v. ad Amph. 1002. Etiam iis minatur, qui pila ludunt, et *datatim* quidem, i. e., ut ait Nonius p. 96, invicem dando, cf. Senec. Benef. II, 17 et 32. Marquardt, Röm. Privatalt. II, p. 422. Erant autem ii fere *serui scurrarum*, i. e. dominorum nihil agentium servi et ipsi nihil agentes. *Scurras* quos dicat, ipse Plautus explicat Trin. 202: „urbani assidui ciues, quos scurras vocant"; cf. Most. 14. Trucul. 488. Epid. 16. Poen. 615. 1285. — 297. „*Et datores et factores*, et eos qui dant pilam et eos qui accipiunt et pulsant" Lamb., cf. Trucul. 694: „Mea pilast". — *subdam sub solum*, sc. pedis vel caligæ, conculcabo, cf. Bacch. 329. Trin. 1023. — 298. *Proinde* Cam. — *infortunio* Acidal., nam plurali non est locus. *Vitare* apud Plautum non raro dativum sibi adiungit, v. Cas. 191: „semper tu huic uerbo uitato". Poen. 25: „uitent ancipiti infortunio". Stich. 125: „uitare uitiis"; nec dissimile est „cauere malo". — 299. *monstrat*, iubet, cf. 199. — „*si imperare possit*, si imperandi potestatem *habeat*" Lamb. recte, nec probari postest aut quod Dousa voluit: „se imperare posse", quasi „satis verbis ostendit, quam impotens futurus sit, si imperator fiat", aut quod Fl. ed.: „se imperare poscit". — 300. *seruitium*, seruorum genus, cf. Cic. Verr. V, 4, 9, al. — *ita*, non sequente „ut", vid. ad Amph. 952.

305. *me* Fl. addidit. Post *quam* hiatus in cæsura; Müller. „ego" ultimam producere maluit; Fl. „quam te ego", ut hiatus sit post „te". — 307. *dexteram* Both. Fl., ne aut hiatus sit post h. v. aut „Ubi" posteriorem producat; equidem in levicula et incerta re codd. secutus sum, quod etiam Amph. 916 fecisse me mallem, v. Proleg. p. 211. — 308. *hercle* altero loco Bothius addidit, cf. Müller. Pros. p. 717. — *Ubi sunt spes meae?* interrogaverat Phædromus, præsentes an longe remotæ? Eadem Curculio repetit diversa sperans, non argentum sed cenam. — 309. *Quid tibi est?* Animo male fieri, deficere se fingit, cf. Mil. 1322 sq. — 311. *expalluit* alteram syllabam corripere videtur,

v. Prol. p. 198. Both. Fl. „Uide“ scripserunt; sed interrogandi particulam concinnitas flagitat. — 312. *aqualem*, urnam, v. Varr. L. L. V, 119. — 313. *frustulenta*, frustis carnis repleta. — 314. *Uae capiti tuo*, tibi, ætati tuae, dicebatur, ubi ridiculum aliquod quasi ineptum et vix ferendum repudiabant, v. ad Amph. 734. supra 130. — *uentum ut gaudeam*, i. e. ut venisse me gaudeam. Sed hoc Phædromus ridiculi causa ita detorquet, ut *uentum* pro substantivo capiat, quasi imperasset, ut ventum facerent, nec prorsus iniuria, nam sic faciebant deficere incipientibus, v. Casin. 611: „face uentum, amabo, pallio“. Cognatus in iisdem vocabulis lusus est Cist. 14 sq. — 316. *uentulum*. Deminutiva forma utitur, ne amplius obscurum sit, quid sentiat. — *esse*, edere. — 317. *prospicio parum*, cf. 309: „tenebrae obortuntur. — 318. *os amarum*, amarus in ore sapor. Versus causa Fl. „amarumst“ scripsit; sed *habeo* non offendit, *plenos* autem sensu caret; quis enim Salmasio credet crassos, obtusos enarranti? Plautus *flent* scripsisse videtur, ut nos quoque dentes aqua manare dicimus. Inde progressus etiam faucium dolorem cum oculorum morbo comparat, easque *lippire* dicit. — 319. *uaciuitate* Both., v. ad Bacch. 152. „*lactes*“ ait Nonius p. 331 „dicuntur intestina“, coll. etiam Pseud. 319. Eas inopia cibi *lassas* sive fatigatas esse dicit. — 320 *aliquid*, unum aut alterum, quod quasi nimis indefinitum et incertum Curculio respuit. — 321. *Immo si scias* etc., sc. hoc non dicas, non spernas quæ tibi offero. *reliquiae* autem parasito dari solebant, cf. 388. Stich. 235: „parasitum inanem, quo recondas reliquias“. Men. 452: „etiamnum reliquiarum spes animum oblectat meum“. — 323. *suis* numeri non ferunt. Bothius „sueris“ scripsit, antiqua forma, quam Festus p. 330 ex Plauti Carbonaria affert et Varro habet L. L. V, 110; uerum nec Plautus „sumen suis“ dixisset, sed „suillum“, nec quum quæ enumerantur omnia suilla sint, hoc soli sumini aut glandio addi debuit; accedit quod accusativi non habent unde pendeant. Itaque *sumes* scripsi, quod commendat allitteratio. *glandium*, cf. infra 366. Capt. 910. Men. 207. Stich. 361. Pseud. 165: „Pernam, callum, glandium, sumen“. Plin. Hist. nat. VIII, 51, 77, 209: „hinc censoriarum legum paginæ interdictaque cenis abdomina, glandia,

testiculi, vulvæ, sincipita verrina, ut tamen Publi mimorum poetæ cena, postquam servitutem exuerat, nulla memoratur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo imposito". — *Ain tu?* i. e. itane vero? Hic interpungendum est, non, ut vulgo faciunt, post „haec". Ceterum aut *Ain* bisyllabum est producta priore, aut post „tu" hiatur. Müller. transp.: „haec omnia". — 324. *carnario*, cf. ad Capt. 909. — *fortasse*, i. e. credo, cf. Asin. 37. Mil. 283: „Nescis tu fortasse". Ter. Eun. 1020: „Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse". Eodem modo Græci, ut Aristoph. Ran. 224: *ὑμῖν δ' ἴσως οὐδὲν μέλει.* Xenoph. An. II, 5, 23. al. — 325. *Quae* refertur ad ea, quæ enumerantur v. 323; quæ intercedunt, parenthesis locum tenent. — *scimus* Both. em., v. ad Amph. 661. — 327. *quod* Both. em., i. e. ob quod, v. ad Amph. 902. add. Most. 774: „Quod me miseras, adfero omne inpetratum". Epid. 132: „quod tute ad me litteras missiculabas". Pseud. 277: „hoc, quod te reuocamus, quaeso animum aduorte". infra 456. Epid. 452: „ut quod ad te uenio intelligas". Men. 664: „Scin quid est, quod ad te uenio". Poen. 954. Stich. 131: „hoc est quod ad uos uenio quodque esse ambas conuentas uolo". — 328. *si mihi operam dabis*, si me audies. *dabis* olim emendatum. — 331. *Scires*; „eum" facile intelligi potuit; ironia subest. *uelle gratiam*, cf. 426. — 333. *atque adeo*, et quidem, cf. Truc. 356: „uapulabo hercle ego nunc, atque adeo male". — 334. Si versus integer est, hiatur post „argenti". Fl. maximam" ed., Müller. „Quod tibist, item sibi esse". PH. Quid. CU. Magnam argenti inopiam". — 337. *deúeuisse* Camer. em. aptiore verbo. De infinitivo v. ad Bacch. 234. *militem* indefinite accipiendum est, nec est quod cum Seyff. Stud. p. 15 versum Therapontigoni nomen continentem excidisse putemus. — 339. *dextram* codd., cf. 307; „dexteram" Both., ne versus diæresi careat; tum *rogat quid* pro anapæsto legendum. — 340. *uenisse* B. manu pr.; sec. ut cett. „aduenisse". *Ibi*, tum, cf. Amph. 246. — 341. *trapezitam* codd. hic et 406 et 708 prima longa, sed Romani antiqui tarpessitam dixisse videntur, v. ad Capt. 192 et Proleg. p. 208. — 342. In vivida narratione omittitur „inquit", ut sæpe in proximis et 596. — 343. *Quia*, quasi præcessisset „Cur id quæris?" cf. infra 685 et not. ad Amph. 788. — 344. Oratio

pessima, nec cum ipsa fabula conveniens, si quidem infra v. 491 omne argentum legimus fuisse triginta minas, non, ut h. l. significatur, quadraginta. Addendi ansam fortasse præbuit v. 524. In versu manifesto spurio *coaccedunt*, quod alibi non extat, nolui cum Fl. in „accedunt“ mutare. — 345. *Dedistin* Fl. — *Immo* hiatum et ante et post se habet. Fl. ed. „Immo, inquit“; Müllerus: „Dedistin tu argentum in manum“. — 346. *ei* (Lyconi) mandaui ut operam daret, ut qui tabellas attulisset, abduceret. — 347. Versus recte divisit Gruterus. *tabellas* olim emendatum; nec ad epistolam significandam nisi deminutiva forma utebantur, v. Schmidt. de pron. dem. p. 58 sq., infra 365. 369. 544. Bacch. sæpius. — 350. *Uocat ad cenam* B; cett. „me“ addunt, quo libenter caremus. — *religio fuit* sc. negare, ut proprie proximis postponendum fuerit; nisi interpungere malis: „religio fuit denegare; nolui“. — 351. *Quid* cett. codd. *adeamus* ferri non potest; Both. „abeamus“; aptius foret simplex „eamus“. Sed proximum *ac* parum placet; Both. autem hoc omisso asyndeton effecit minime probandum. Ego olim conieceram: „Quid si ad me iam decumbamus?“ iam malim „actutum“. — 352. *Neque* etc. Continuatur oratio militis. *ne* delevit Guietus, quod si retinetur, nimis durus fit transitus ad passivum „nocerier“. Moramur diem, quem non carpimus; nocemus nocti, quam non somno damus. — 353. *paratast* edd. — 354. *cenati*, sc. sumus, v. ad Amph. 56. De *talorum* lusu in conviviis vid. ad Asin. 772. Uterque pro pignore aliquid ponit, quod victori cedat; uterque antequam iacit, id quod carissimum sibi est invocat. — 356. *anulum* cett. codd. et B in margine. *opposiuit* Camer. — 357. *Meosne* cett. et B ex emendatione. — *uolturios quattuor*. Binis talis antiquos usos esse novimus aut summum ternis, vid. Marquardt, Röm. Privatalterth. II, p. 426; quaterni hoc uno loco commemorantur. Si quis autem hic potius quattuor iactus s. bolos significari existimaverit, eorum quoque ternarius numerus solitus erat, v. infra 611. Pessimos iactus indicari apparet; quales, non novimus. — 358. Parasito unus est amor edendi. Itaque nullam puellam invocat, sed *Herculem*, cuius eadem præcipua fuit cupido. Is vel propter *πολυφαγίαν* apte parasitorum patronus dici potuit, cf.

Stich. 237. 387; sed eundem *nutricem* suam appellat, credo quia multa patiendo et quasi Herculeis laboribus victum sibi quæreret. Ante „Herculem“ hiatus, cf. Prol. p. 220. Fl. „meam mihi“ ed., Müller. aut „meam almam“ aut „nutriculam“. — 359. *basilicum* cett. codd. Optimus iactus significatur, sive certus aliquis sive omnino egregius, ut Epid. 57: „interii basilice“, cf. Poen. 580. Pers. 463. 803. — 362. *Rogant me* pro anapæsto est, v. Proleg. p. 203, Müller. p. 137. Both. Fl. „Rogitant serui“, sed iterativi nulla ratio est. — *quo saturi solent*, ἐπὶ θᾶκον, ut Theophr. Char. 14. — 363. *exinde ilico*, Plautina abundantia, v. ad Aul. 256. — *protinam*, v. Bacch. 371. — Post hunc versum Brix., Ann. phil. CI p. 765, plura excidisse putat, quibus consilium suum exposuerit Curculio; ac sane ita commemorantur „tabellæ“ v. 365, ut non tum primum nominari videantur. — 364. *quod* primo omissum B in margine addidit. — 365. *tabellas* cod. Brit., ut versus postulat. *consignemus*, hic, ut sæpius, non de sclo signo aut nomine, sed de ipsa epistola scribenda, v. 368 sq. — 366. *obtrudamus* B. Edd. fere „obstrudamus“, forma ad abstrudendi similitudinem, ut videtur, formata, quæ extat Stich. 593 et affertur a Festo p. 193. Gepp. male: „obstruamus“. — 367. Postquam suilla, quibus præcipue delectabatur, nominavit, addit tamen etiam quæ magis proprie famem sedant et quasi ventrem firmant, *stabilimenta* („fulturam“ dixit Horat. Sat. II, 3, 154: „ingens accedit stomacho fultura ruenti“), panem et bubulam carnem et vinum. *uentri* codd.; Nonius p. 218 „uentris“, quod cum Fl. reciperem, si cetera sana essent, sed vitium indicant nominativi sine causa post accusativos illati, *assa*, *aula*, quibus accedit etiam *pane*, quod ex Nonio et Charisio p. 90 K. necesse est recipiatur. In contextu, ne quid amplius mutarem, parenthesi interposita locum expedire conatus sum; sed fortasse emendatione opus est. Si *haec* non apud Nonium extaret, scriberem: „Opus sunt uentri stabilimenta etc.“ — 369. *Tu* recte B, ut testatur Studemund. Philolog. 1876, p. 71; cett. „Tute“. Iidem „tabellas“, recte, cf. 365. Post „consignato“ hiatus in diæresi; et alii et Müller. „mi“ aut „ministrabit“ addunt. *hic* servus, *ministrabit*, cf. Cic. in Pison. 27, 67: „servi sordidati ministrant“. De correpta

altera syllaba v. Proleg. p. 201. Post „ego“ hiatur, si scriptura sana est. Fl. „dum ego“ ed.; Brix. Emend. Plaut. p. 14: „ego bibam“.

---

371. Lyco trapezita de suis rebus secum rationem putat. *Beatus*, ut Græcis *εὐδαίμων*, dives, cf. Poen. 300: „Bonam ego quam beatam me esse, nimio dici mauolo“. Hor. Od. III, 7, 3: „Thyna merce beatum“. — *subduxi*, cf. Capt. 191. — 374. Hunc versum Both. Fl. pro spurio habuerunt, quamquam vere rem æstimanti alterum dilemmatis membrum abesse non potest. Metro offenduntur, ac ne eo quidem utuntur remedio, quod iis semper in promptu est, ut transponant: „alieni plus“. Ineptum quoque Both. dicit; „nam, si quis reddat creditoribus, quod debet, quid ei tum æris alieni?“ verum *reddo* h. l. non est „ubi reddidero“, sed „si reddendum est“. Quod hypothetice enuntiari debuit, simpliciter profertur. — 375. *Uerum .. uero*, cf. Aul. 18: „atque .. uero“. — *belle* Gulielmus em. — 376. *me*; ne „mi“ scribas, v. Poen. 921: „tantum eum instat exitii“. Pers. 514: „quid te instet boni“. — *ad praetorem sufferam*, sc. rem, i. e. causam praetoris et iudicum arbitrio subiiciam, cf. Afran. apud Non. p. 397: „Aliquid suffero Graece; irridet me ilico“. Plaut. Casin. 876 „tergum“, Poen. 858 „corium“. Si causa in ius vocatur, malum illud quidem est, sed res non prorsus perdita, si quis aut abiuret creditum aut bonam copiam iuret, sicut infra v. 680 „apud praetorem soluere“ idem est atque nihil solvere. — 379. *clarius*, maiore voce; sic unus B., cett. „durius“. — 380. „*Mature*“ ait Charisius II, p. 204 K. „duo significat, et cito et tarde“; tum hoc loco allato: „est enim sensus: qui homo vix et ægre quæsiit pecuniam“. Immo fieri non potest ut eidem voci contrariæ significationes tribuantur. Sensus est: Nihil prodest mature rem quærere, nisi etiam mature parcas. — 381. *parsit* cett. codd. Cum accusativo iungitur etiam Most. 101: „operam non parcunt suam“. Cat. R. R. 58: „oleas tempestivas ... condito, parcito“. — 382 sq. Hæc ad parsimoniam pertineant, necesse est. Hoc non viderunt interpretes, qui *usurarium* „catamitum“

enarrant coll. Amph. 494, ubi Alcmena Iovis uxor usuraria dicitur; verum sic apellatur cuius usuram tantum capit Iuppiter, non dominus est; in ipso vocabulo „usurarius“ nihil obsceni“ inest, non magis quam in „puero“. Nec Plautus Lyconis personam temere contaminavit, qui argentarius exhibetur in pecunia quærenda occupatus, non homo voluptarius et libidinosus. Illud vero animadvertendum, in codicum scriptura aut coniunctivum *quaeratur* aut quaerendi vocabulum intelligi non posse, nam alterum ex duobus dici potest „cupio emere aliquid, idque mihi quæritur“, aut „cupio emere, quod mihi sit“; utrumque conflari non potest, nec fieri potest, ut „quaeratur“ pro „sit“ accipiatur. Scribendum est *Ne* pro *Nunc*, quod et ipsum ratione caret. Lyconi servo opus est; eum emere cupit præsenti pecunia, ne si usuram solam eius habeat magnoque pretio conducat, pluris sibi stet quam si emat. — 382 incipit a tribrachy ter repetito. Fl. „mi“ add. post „aliquem“.

384. Curculio exiens ex Phædromi ædibus domino dicit, se nulla iam admonitione egere; tam laute ab eo acceptum esse, ut non possit non omnia sine mora efficere. Exit autem, ut Lyconem adeat; ac ne ab homine, quem norat (v. 342), agnoscatur, in peregrinum modus ornatus (v. 461 sqq.) quasi cacula militaris incedit fascia ob alterum oculum obligata, velut si miles in bello oculum amisisset (v. 394). — 386. Post *me* hiatus in cæsura; Fl. „med“, Müller. „hodie hic“. — 387. *uni* genetivus est pro „unius“, quod Priscianus VI, p. 227 et 266 H ex Titinio affert: „uni collegi sumus“; cf. Capt. 470. — 388. *reliquiarum reliquias*, nam ipsis reliquiis iam fructus est, v. 321.

389—81. Hi tres senarii in cod. B non distinguuntur. In primo hiatus post *capite* offendit; transp. Both. Fl.: „operto capite qui“; Gepp. melius: „operto qui capite“. *Operto capite* adorari Æsculapium, mireris forsitan, hoc enim Romani, non Græci moris erat; sed talia non servat Plautus, v. ad Amph. 1110. Lyco autem censendus est, quum dei ædem præteriret, solitum ei honorem tribuisse. — 390. *Attat*, cf. Capt. 1002. — Post *quem quaerebam* desideratur demonstrativa sententia velut „ipsus est“ aut „uideo“, neque eam Plautus omittere potuit; casu

exciderit necesse est. Eius loco legitur *Sequere me*, quæ interpretes puero aliquo pedisequo dicta putant, talemque personam adesse etiam in nominibus scenæ suprascriptis edd. quidam significant, quamquam eius nullum alibi vestigium invenitur nec omnino parasiti est pedisequum habere. Unde orta sint hæc verba, utrum ex v. 370 an aliunde, ignoro; delenda esse affirmo. — 392. *Unocule* olim emendatum, ut v. 394. De re v. ad 384. — 393. *Coclites* Romani τοὺς Κυκλῶπας dicebant, antiqua nominis detorsione, cuius generis sunt Catamitus, Hercules, Pollux, Ulixes, Patricoles. Varro hoc parum intellexit, L. L. VII, 71: „ab oculo Cocles ut ocles dictus, qui unum haberet oculum"; tum h. l. affert. *prosapia* cett. codd., i. e. genus, cf. Merc. 625. Obsoletam vocem commemorat Quintil. I, 6, 40 et VIII, 3, 26. — 394. *hi* codd., „ii" edd. cett., Fl. „i". — *hoc ictum est mihi*, hæc plaga mihi inflicta est (*ictum* cett. codd.) — 395. *Apud Sicyonem*. Ibi pugnatum est a 303, quum Demetrius Ptolemæo urbem eriperet, v. Diod. XX, 102. — *Nam* interrogat ut v. 12. Quid, inquit, mea refert, utrum in bello oculum amiseris an olla cineris plena tibi in caput inflicta? Nam in abiecto homine, servilis aut non multo melioris condicionis, hoc potius suspicari licebat. Talia sæpe patiebantur parasiti, v. ad Capt. 88. Nec non agnoscit hoc ipse Curculio, qui vera eum prædicare dicit et *superstitiosum*, i. e. divinum, esse, vid. Amph. 319. — 398. *catapulta* non solum machina dicitur, sed etiam pilum catapultarium (quod legitur infra 685), v. Titinius apud Non. p. 552: „catapulta uolat". — *illaec* codd. antiqua forma, ut „haec". Post „catapultae" hiatur in cæsura; Fl. „Namque" scripsit. — 399. Lyconem rogat, ne vulnus fortiter pugnando acceptum et quod honori sibi esse debeat, obprobrium faciat et vitio sibi vertat. *intus*, i. e. sub fascia. — 400. *insigne*, cf. Tac. Ann. II, 9: „insignis amisso oculo". — *Incomitiare*, antiqui sermonis verbum, quod hoc uno loco extat, Festi epit. p. 107 „significat" inquit „tale convicium facere, pro quo necesse sit in comitium, i. e. in conventum, venire"; quæ ægre intelliguntur. Potius incomitiare significat in comitium trahere vel producere, i. e. in ius rapere, nam in comitio erat tribunal prætoris, v. ad 469. Fieri potest, ut aliud significaverit; sed minime

probari potest, quod alii, ut Merclin., Ind. Dorp. p. 8, et Lorenz. in Philol. XXX, p. 589 a voc. q. e. incomis (o longo) ducere conantur. — 401. Lyco, quasi propriam vim verbi tenens, si in comitium, inquit, te ducere non licet, num in forum licet? Hoc autem simili verbo significat, *inforare*, quod enarratur „in foro placitare" ab Isidoro, Gloss. p. 683, quem locum affert Loewe, Prodrom. p. 261, addens: „placitare idem est quod litigare apud infimæ et mediæ ætatis scriptores". Plautus in eam significationem flexisse videtur vocem proprie longe aliud significantem; derivatur enim a forando (Most. 52), v. Plin. Hist. nat. XVII, 14, 24, 102: „timebant prisci truncum findere, mox inforare ausi medio"; nec ab iis dissentire audeo, qui h. l. obscenam vim verbo tribuunt. Verum de numeris dubitatur. Oratio quidem ita sibi constat, ut quid mutari possit non intelligatur, sed versus recitari nequit, nisi et altera syllaba vocis „Licetne" et prima vocis „incomitiare" corripiuntur. Equidem tamen hoc statuere malim quam ut cum Bothio et Fl. „haud" pro „non" scribam. — 402. *placens* si verum est, verbum substantivum aut auditur aut in proximo versu addi debet („Tuumst"). Fl. „placet". Gertz. „placent", cf. Liv. III, 61, 5. XXVI, 5, 17. XLV, 26, 10. Eur. Alcest. 360 sq. — 404. *hunc quem quaero* idem esse ac „quem hic quæro" animadvertit Brix. Ann. philol. CXV, p. 334. — 407. *quoiatis*, vid. ad Bacch. 27. — 408. *Ab*, cf. 452. Mil. 160. Pseud. 620. Ter. Andr. 461. Conferri potest etiam quod in catalogis libertorum Thessalicis (Ussing, Inscr. ined. n. 4 sqq.) semper legitur *ὁ δεῖνα ἀπὸ τοῦ δεινός*. Nominibus ipsis indicatur, quam nihili homo sit. *Θεραποντίγονος* est servo genitus, *Πλαταγιδῶρος*, qui crepitum edit, non rem, i. e. gloriosus; sed primum audienti longitudo ipsa nominis magnifica videtur, cf. Mil. 14. — 409 sq. Affirmat hoc trapezita; sibi enim, dum nomen eius scriberet, quattuor ceris opus fuisse, quum nec una nec duæ caperent. Nam in eiusmodi rebus contrahendis antiqui tabulis utebantur aut duplicibus aut frequentius etiam triplicibus, quales multæ nuper Pompeiis inventæ sunt in ædibus L. Cæcilii Jucundi, v. de Petra in Actis Academiæ Lynceorum III, p. 150 sqq. Mommsen. in Herm. XII, p. 90 sqq. — 412. *ferrem* cett. codd. — 413 sq.

Summanus magnificum nomen est; sic enim appellatur Deus Romanorum antiquus, a quo nocturna fulgura mitti credebantur, cf. ad Bacch. 890. Itaque Lyco audito nomine primum quasi deum salutat, deinde nominis rationem quærit. Et ridicule admodum audimus, longe aliam hujus nominis originem et significationem esse. Derivatur enim a *summanando* i. e. *submanando*, quod vocabulum ipse Plautus finxit, sed recte finxit, nisi quod manandi vocabulo, addita præpositione, transitivam vim tribuit, ut madefacere significet. Ita appellari dicitur militis libertus, quia ebrius per somnum vestimenta supter se strata mingendo polluat. Mire priores interpretes hoc verbum a *manu* ductum putarunt, quasi *ὑποχείριον ποιεῖν*, eique furandi vim tribuerunt, unde alii viri docti ulterius progressi Summanum furum deum fecerunt, velut Preller., Religion der Römer p. 218. Furis non est ebrium dormire, sed per noctem vigilare. Hæc quum ante multos annos scripsissem, iam video etiam Geppertum in interpretatione Germanica et Merclinum, Ind. Dorp. p. 10, veram explicandi rationem amplexos esse. — 415. Si versus integer est, hiatur ante *ebrius*; Fl. „uestimenta mea“ scripsit, Müller. aut „in lecto“ aut „humi“ add.; alius: „ubi ego“, ut hiatus in cæsura relinquatur. — 417. *meliust*, cf. Asin. 247. Most. 1051. Men. 1069. Trucul. 833. — 419. *istum*, attractio, cf. Amph. 1002. — 423. *signum nosce*, cf. Bacch. 784. — 424. *dissicit* cett. codd., i. e. dissecat, ut recte glossar. Mai. auct. class. VIII, 178. v. Ribbeck. Comicorum fragm. ed. II, p. XIII sq., qui quum de Nævii v. 57: „Saxa, siluas, lapides, montes dissicis dispulueras“ subdubitet, non dubitat quin Titinius 84 scripserit: „pernam totam dissicit“, et Vergilius Æn. XII, 308: „ille securi Adversi frontem mediam mentumque reducta Dissicit“. — 425. *scriptumst* codd., Fl. „scriptum esset“. — *iusserat*, v. ad Amph. 379. — 426. *Profecto* inusitate dicitur. Gepp.: „Perfectum“. — 428. *auferam* cett. codd. — 429. Hiatus et post *Lyconi* et post *hospiti*, ut in epistolis esse solet, v. Proleg. p. 218. Fl. „hospes hospiti“ scripsit. Antiqui edd. „suo“ ex proximo versu huc retraxerunt, quod male probavi in Prolegg. p. 208. — 431. *Meus est*, cf. Bacch. 101. *hamum uorat*, capitur tamquam piscis, cf. Trucul. 42. — 432. *Tecum oro*,

v. ad Asin. 655. — 434. *isti* pro *istic* versus causa Both. Fl. — „*te interprete*, te tuam in ea re operam interponente“ Lamb. — 436. Post *lenoni* hiatus in cæsura; Fl. „et“ addebat; Müller.: „Argentum ut des lenoni, is huic det uirginem“. — 437. *Ubi ipsus*? Fl. „ipsust“; non opus, vid. ad Amph. 590. — 438. Versus corruptus, nam parum credibile est *uenimus* ultimam producere. Fl. transp. „In Cariam quia n. u.“ Sed desideratur coniunctio, quare coniecerim aut: „Quia nudiusquartus quum uenimus (præsenti tempore, v. ad Amph. 661) Cariam“, aut „Quia — nudiusquartus uenimus enim Cariam Ex India — ibi. — 439. *dare*, locare, cf. Men. 720: „ut concinnandam darem“. Ter. Ad. 585: „lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit“. — 440. *Philippeo* pro anapæsto legendum, vid. ad Asin. 152; cf. Francken. in Mnemosynæ IV (1876), p. 159 sq. — 441. *septempedalis*, i. e. naturalem hominis mensuram excedens, quod inanis gloriæ et ostentationis erat; cf. Plin. H. N. XXXIV, 5, 11, 24: „P. Iunio et T. Coruncanio, qui ab Teuta Illyriorum regina interfecti erant, annales adnotavere tripedaneas statuas in foro statutas; hæc videlicet mensura honorata tunc erat“. — 442. *Quia enim*, v. ad Amph. 659. — 443. *Sinopas* Sinopenses, *Cretanos* Cretenses intelligere posse videmur. — 444. „*Perediam et bibesiam*“ ait Festus p. 214 „Plautus finxit sua consuetudine, cum intelligi voluit cupiditatem edendi et bibendi“. Sane ridicule ficta terrarum nomina, et a parasito ficta; sed comparatis Plautinis codd. apparet *Perbibesiam* scribendum esse. — 445. *Centauromachiam* ridicule terram fecit; item ex Amazonum exercitu *Classiam Unomammiam*, quia Latinis exercitus classis dicebatur, Amazones autem una mamma fuisse credebantur, altera inde ab infantia exusta, v. Hippocrat. π. ἀέρων ὑδάτων τόπων 24. Strab. XI, 5, 1. Item in cista Prænestina Amazoni nomen adscribitur OINVMAMA, v. Monum. d. Inst. d. Corr. arch. VI, Tab. 65. Corp. Inscr. Lat. I, p. 1501. — 446. *et* Both. add., idemque mihi in mentem venerat; Fl. licentius: „Libyamque totam et omnem Conterebromiam“. Nomen autem cur a conterendo potius quam a tenebris ductum putemus, vix satis causæ est. — 448. *intra* cett. codd. — 450. Post *conclusi* hiatus, v. Proleg. p. 220. Fl. „illi“ addebat. — 451.

ita refertur ad antecedens „si forent“, nec multum differt a „tamen“, cf. Epid. 602: „Si undecim deos praeter sese secum adducat Iuppiter, Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum“. — 452. *nam ita*, i. e. ut eius familiam decet. Plerumque autem in eiusmodi iunctura causalis coniunctio abest. — *blatis*, v. ad Amph. 620. — 454. *te* cett. codd., recte, ut numeri ostendunt. *absoluam*, v. ad Aul. 509. *qua aduenisti gratia*, quod attinet ad eam rem, cuius gratia venisti, cf. ad Amph. 38 et 959.

455. Dum profecturi ad lenonem sunt, ipse advenit. *Atque*, v. ad Amph. 948. Sed *eccum* dicitur, ubi persona, quæ quum maxime commemoratur, subito apparet; hoc loco parum certa lenonis mentio facta est; quare Ballas, quem laudat Götz. Act. Lips. VI p. 277, excidisse versum putat, qua trapezita diceret ad lenonem eundum esse. Quæ sententia quum habeat, quo se commendet, tum non video, quo iure Fleckeis. in medio proximo versu post „uideo“ lacunam esse statuat. Götzius quidem etiam post 456 et post 457 omissa quædam arbitratur; omnino totum locum post Plauti ætatem retractatione in brevius contractum esse censet. Equidem insignem brevitatem, qua ea, quæ necessaria magis quam ridicula sunt, paucis absolvuntur, ab ipso Plauto abiudicare non audeo. Nec quamvis excidisse aliquid statuas ante 458, *Quid quod iuratus sum?* defendi possunt. Hæc enim formula non assentientis est, quod fuerunt qui putarent; sed contradicentis aut aliquid obiicientis, qui propter iusiurandum se id, quod postulatur, facere posse negat. Sed talis iurisiurandi nullum usquam vestigium est. Phædromo quidem leno nihil promisit, v. 63 sqq., nec magis huc pertinet v. 705. Immo corrupta sunt illa verba; sensus postulat „Quando hoc iuratus sum?“ aut „Quid? id iuratus sum?“ aut simile quid. — *Quid id refert tua?* lenonis, qui iusiurandum non curas, cf. infra 494 sq. Rud. 1373: „Iuratus sum et nunc iurabo, si quid uoluptatist mihi, Iusiurandum rei seruandae non perdundae conditatum est“. Neque ipse Cappadox hoc negat; pro admonitione illa verba capit, nec tam iurisiurandi causa quam, ut argentum promissum accipiat, rem transigit. — 460. Versus claudicat; Fl. „caue ne“ ed.; Müller. transp.: „caue mora in te sit mihi“.

Inter v. 460 et eam scenam, quæ incipit v. 486, aliquod temporis spatium intercesserit necesse est. Ubi hoc in Plautinis fabulis accidit, tibicinis cantus intervenire solet, v. Proleg. p. 168 sq. Hoc loco choragus interponitur spectatores alloquens et res ad eos pertinentes salse perstringens. Huius simile exemplum in nulla alia fabula extat; sed cognati generis est παράβασις antiquæ Atticorum comœdiæ. Eam qui primus huius fabulæ auctor fuit, quamvis chorus nullus suppetcret, aliquo modo imitatus esse videtur; Latinus poeta Romanas res Græcis substituit. Hunc non ipsum Plautum esse, sed inferioris ætatis hominem et Osannus, Analect. p. 189, et Ritschelius, Parerg. p. 207 sq., crediderunt, maxime propter basilicæ et pistorum mentionem (471 et 482), qua de re v. infra et ad Capt. 809; mihi quidem Plautina hæc scena videtur. Qui vero hic prodit choragus, quamquam chori partes agit, tamen ab eo, qui antiquitus Athenis chorum ducebat, longe diversus est. Græcis autem χορηγός, ὁ χορηγῶν, ὁ τὴν χορηγ'ιαν παρέχων dicitur etiam translate qui quæcumque ad aliquam rem opus sunt suppeditat; „choragium" Capt. 61 est instrumentum et apparatus; hic „choragus" qui ornamenta et vestimenta theatralia præbet vel præbenda suscipit et locat histrionibus (v. 463); ἱματιομίσθας hos dicebant Græci posteriores, v. Poll. VII, 78. Hos quoque artificibus Bacchi adnumerant tituli Delphici apud Lüders., die Dionysischen Künstler p. 114 et 192 sqq. Cf. Pers. 160 sq. „Πόθεν ornamenta? TO. Abs chorago sumito; Dare debet; praebenda aediles locauerunt". Trin. 858: „Ipse ornamenta a chorago haec sumpsit suo periculo".

461. *lepidum lepide.* Placet sibi in eadem notione repetenda, v. ad Amph. 274. infra 467: „nimio opere .. operam". Mil. 493: „recta habet rectam uiam". Pseud. 571: „nouo modo nouom aliquod inuentum adferre". — 462. Non. p. 120: „*Halofantam aut Sycofantam*, hominum genus nequam, quod ob suenda mendacia miserrima mercede conducitur. Plautus: halofantam aut sycofantam magis esse dicam. Et alius nobilitatis obscurae: halofantam mendacem velit" Ex quo hoc primum sequitur, ita ad iustam mensuram versum redigendum esse ut *hunc* et *hoc* omittantur; si cui displicet proceleusmaticus „magis

esse", aut „mage" scribat aut „eum" pro „esse". Deinde apparet primam versus literam H esse, præsertim quum apud Nonium sub hac littera legatur; nec aliter apud Festum. Non animadvertit librarius, in archetypo huius litteræ formam K fuisse, quæ etiamnunc in palimpsesto Ambrosiano invenitur. Quod ad vim vocis attinet, Festus quoque mendacem intellexit, Epit. p. 101: „Halapanta significat omnia mentientem, ab eo quod halet omnia. *Ἄλην* enim Græci *τὴν* (scrib. *τὸν*) *πλάνην*, i. e. fallentem appellant". Quæ quam nugatoria sint, neminem fallit. Recentiorum Scaliger aliique ad *τὴν ἅλα* retulerunt et nautico sive marino habitu instructum significari putarunt; verum parasitus non nautæ sed militis aut caculæ personam induerat, nec mare pro nautico habitu dici debuit. Hoc tamen recte vidisse videntur, mendacem non significari. In altero, quem Nonius affert, loco errare eum arbitror; vocem a Plauto fictam hoc uno loco extitisse credo et ad speciem personæ exeuntis referendam esse. Viatorem autem ex peregrino venientem causeam capite gestare conveniebat. Hanc cum orbe, qui lunæ aliisque stellis interdum circumfunditur, comparavit, quem Græci *τὴν ἅλω* dicebant, v. Aristot. de Mundo 4: *Ἅλως ἐστὶν ἔμφασις λαμπρότητος ἄστρου περίαυγος· διαφέρει δὲ ἶριδος, ὅτι ἡ μὲν ἶρις ἐξεναντίας φαίνεται ἡλίου τε καὶ σελήνης, ἡ δὲ ἅλως κύκλῳ παντὸς ἄστρου.* Arat. Diosem. 209: *ἦ καί που τὶς ἅλωα μελαινομένην ἔχει ἀστήρ.* Æschyl. Sept. 489: *ἅλω δὲ πολλὴν, ἀσπίδος κύκλον λέγω.* Græcus igitur poeta *ἁλωφάντην* eum dixit; sed dixit, ut hoc adderet, eum rectius *συκοφάντην* dici. In senario hoc voc. Græce scriptum fuisse credo ut apud Æschylum, Plautus in septenarium idem traduxit, Græcamque pronuntiandi rationem sive ignorans sive non curans primam syllabam produxit, cf. Proleg. p. 208 et præfat. huius voluminis. Fl. „Halophantamne" ed. — 463. *Ornamenta*, v. ad Amph. 85. Hæc veretur ne parasitus furto intervertat. *ut* pro *haud*, quod cett. codd. præbent, olim emendatum.

466 sq. Choragus homines in variis fori partibus et regionibus ei adiunctis versantes describit morem Romanorum secutus, qui aliqua saltem eorum genera suis nominibus signare solebant, velut Coelius in Ep. ad Ciceronem VIII, 1, 4 „subrostranos" commemorat, 9, 5 „columnarios", i. e. qui ad columnam

Mæniam degebant, Plautus Capt. 809 „subbasilicanos“. Totum hunc locum, postquam Ritschelius in procemio Bonn. 1845 (Opusc. II, 385) quæstionem de tabernis attigit, Urlichsius tractavit in Mus. Rhen. XXIII (1868) p. 85 sq. Videtur autem Plautus in enumerandis locis a septentrionali fori latere locisque ei adiacentibus (v. 469—473) orsus ad ipsam aream fori transisse, quam quum ab imo ad summum percurrisset (v. 474—78), in australi latere locisque a meridie fori iacentibus desiisse (479—84).

466. *quo in*, anastrophe, v. Amph. 234. — *facile* B omissum in margine addidit. — 407. *nimio opere ... operam*, cf. 461. — *si quem* codd.; necesse est scribatur aut „qui quem“, aut, quod Fl. ed., „si quis“. — 469. *ito* Gruterus em. *Comitium* in superiore fori parte ante curiam. Huius nomen Varro L. L. V, 155 inde repetit „quod coibant eo comitiis curiatis et litium causa“. Ibi enim tribunal prætoris erat, v. Gell. XX, 1, 11 et 47: „ad praetorem in comitium“. Liv. VI, 15, 2. XXIX, 16, 6. Pl. Poen. 809 sq. „Bonam dedistis, aduocati, operam mihi. Cras mane, quaeso, in comitio estote obuiam“. cf. supra v. 400. Ibi igitur homines inveniebantur litibus victum quærentes, nec a calumnia accusationis nec a falso testimonio abhorrentes, quos idem Plautus Poen. 587 lepide „comitiales“ dicit. — 470. *Cloacinæ sacrum*, i. e. Veneris, v. Plin. H. N. XV, 29, 36, 119. Becker. Antiq. Rom. I, p. 320 sq.; proxime afuit a Novis tabernis, v. Liv. III, 48, 5. Comitio etiam adiunctum fuisse videtur, nec fortasse a rostris remotum; quod autem Urlichs. ideo „oratores“ h. l. significari putat, monere liceat, non cuivis oratori ad rostra accessum patuisse. — 471. *Ditis*, i. e. divites, cf. 484; propter utriusque loci consensum „dites“ scribere non audeo. *damnosos*, qui multa damna faciunt, prodigos, cf. Epid. 316. Pseud. 415. Trucul. 65. Ter. Heaut. 1034; ex quibus locis apparet maxime eos sic dici, qui scortis rem suam profundant. Hic quoque commemorantur viri divites, qui quum uxores domi habeant iisque fortasse divitias suas debeant, tamen meretrices et scorta sectentur; ideo enim versantur *sub basilica*, de qua vid. ad Capt. 809. Vicinum locum, novas tabernas, indicat Plautus

Truc. 68: „Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias Scorta et lenones adsident cottidie“. — 472. *stipulari*, contractus conceptis verbis facere, cf. Pseud. 1076. Eos significat, qui in rebus contrahendis non bona fide contenti sunt, sed omnia iuris vinculis constringunt. Sueton. Vitell. 14: „feneratorum et stipulatorum publicanorumque, qui umquam se aut Romæ debitum aut in via portorium flagitassent, vix ulli pepercit“. — 473. *Symbolarum conlatores*, „erunt“ audiri videtur. Symbolas conferunt, qui communi sumptu cenaturi sunt, cf. Epid. 126. Stich. 439: „symbolam dabo et iubebo ad Sagarinum cenam coqui“. Ter. Andr. 88. Eun. 540. Hos inveniri conveniebat, ubi prostarent pisces, i. e. apud macellum et *forum piscarium*, quod Livius XXVI, 27, 3 et XL, 51, 5 „piscatorium“ dicit. Hoc basilicæ vicinum fuisse ex Capt. 807 scimus, nec abhorrent Livii loci. Noli igitur Urlichsio credere hunc versum post 479 ponendum esse, ut idem locorum numerus in utroque fori latere nominetur; quod equidem Plautum parum curasse credo; piscatorium autem forum a meridie fori fuisse omnino ignoratur; nam ex corrupto Varronis loco L. L. V, 146 nihil efficitur. — 474. *Forum infimum* Beckerus, Ant. Rom. I, p. 328 male partem Capitolio subiectam intellexit; idem enim apud Plin. H. N. III, 5, 9, 66 „caput fori“ dicitur. Est igitur contraria pars, Veliam versus. Ceterum Beckerus cum h. l. comparat Cic. Orat. III, 33, 133: „M'. vero Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro, quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam“. — 475. *Medium* forum Plauti tempore transiit *canalis*, cui postea substituta est cloaca subterranea, nuper in detegenda basilica Iulia inventa. Quod Festi Epit. p. 45 habet: „Canalicolæ forenses homines pauperes dicti, quod circa canales fori consisterent“, ex alio antiquæ fabulæ loco sumptum videtur, qui fortasse Gellio obversatus est, apud quem IV, 20, 3 editur: „Qui iurabat, cavillator quidam et can*a*licola et nimis ridicularius fuit“. Plures in foro canales fuisse Festo non credo; in Tertulliani loco de Pallio 5 verba „canales non odoro“ dittographiæ deberi videntur. — *ibi* abundat ut 479. 480. 481. — — 476. *Confidentes* recte cett. codd. — *lacum*; Curtius lacus,

de quo v. Liv. I, 13, al. ap. Becker. Ant. Rom. I, p. 319, Dionysio auctore II, 42 fuit ἐν μέσῳ μάλιστα τῆς Ῥωμαίων ἀγορᾶς. *Supra* eum dici potuit superior fori pars, Capitolium versus. Mommsen. (Annal. Inst. corr. arch. 1844, p. 301) et Urlichs. Servilium lacum intelligunt; is autem fuit, ut ait Fest. p. 290 in principio vici Iugarii, continens basilicæ Iuliæ, i. e., nisi fallor, non in foro, sed post basilicam. Urlichsius ibi tresviros capitales sedisse suspicatur. — 477. *de nihilo*, i. e. nulla de causa, cf. Truc. 756: „de nihilo irasci". Ter. Hec. 727: „Non hoc de nihilo est". Liv. XXXIV, 61, 12: „mali rem exempli esse, de nihilo hospites corripi". Prop. II, 3, 16: „Non sum de nihilo blandus amator". — 479. *Sub ueteribus*, sc. tabernis; argentariæ autem erant, v. Becker., Ant. Rom. I, p. 295 sq., ut iure ibi feneratores quæri potuerint. Australe hæ fori latus occupabant, v. Cic. Acad. pr. II, 22, 70: „ut ii, qui sub Novis solem non ferunt, item ille, quum æstuaret, veterum, ut Maenianorum, sic Academicorum umbram secutus est". Osannum autem, qui ex h. l. effici putavit hanc scenam Plautinam non esse, quia illa ætate nondum veterum et novarum nomine distinctæ fuerint fori tabernæ, sed lanienarum et argentariarum, tum demum sequeremur, si in locis allatis (Liv. XXVI, 27, 2 et Epid. v. 196) minima testimonii umbra inesset. — 480. *Ædes Castoris* in foro Romano et ex antiquis scriptoribus notissima est, v. Becker. Ant. Rom. I, p. 298, et hodie tres eius columnæ egregii operis visuntur. — *subito*, ubi primum videris. — 481. *Tuscus uicus*, qui postea turarius appellatus est, post forum Romanum inter Palatinum montem et Capitolium situs erat, v. Becker. p. 487. Is esse videtur, qui hodieque inter basilicam Iuliam et Castoris ædem conspicitur. Etiam apud Horatium, Sat. II, 3, 228, commemoratur „Tusci turba impia vici", ubi scholiastæ fere lenones intelligunt. *Qui ipsi sese venditant*, et scorta esse possunt et omnino qui nihil non quæstus causa faciunt. — 482. *Uelabrum*, cf. Capt. 488, sub radicibus montis Palatini situm fuit, vicoque Tusco iunctum, qua in forum pergebatur, v. Liv. XXVII, 37, 14 sq.: „in foro pompa constitit . . . Inde vico Tusco Velabroque per boarium forum in clivum Publicium atque ædem Innonis reginæ perrectum".

Pistores Plinius H. N. XVIII, 11, 28, 107 tradit Romæ non fuisse ad Persicum usque bellum. Hoc quoque argumento utuntur, qui hanc scenam Plauto posteriorem esse affirmant; sed nec illi testimoniq tantum tribui potest, et hic versus alia habet vel dubia vel aperte vitiosa. Nam quum in ceteris vitia aut virtutes hominum nominantur, hic quæstus nominantur (pistoris, lanii, haruspicis) per se minime vituperandi. Præterea accusativi non habent, unde pendeant; nam ut ad „inueniatis" v. 466 referantur, fieri non potest. Versus igitur aut pessime fictus est aut verbum excidit. — 383. Codicum scripturam sic explicat Gron. „vel qui ipsi vertant ac mutent merces vel (qui) præbeant institoribus merces, quibus excerceant negotiationem sub aliis, quas mutent dominorum vice". Quod quoniam Latine sic dici non posset, nam *qui* utroque loco idem sit necesse est, non altero loco nominativus, altero ablativus, Both. ed. „uel quae aliis subuorsentur", quod explicat: „quæ ab aliis subv., quæ alii tanquam sub ipsis vertant ac mutent", quod non melius est. Lipsius vidit necesse esse in utroque membro idem verbum poneretur activa et passiva notione (uorto . . . uortor (aut uorsor), non uorto . . . subuorsor); itaque „aliis ut uorsentur" scripsit, sed codd. ita sequi oportet, ut scribatur *aliis ubi uorsentur*. Quid autem poeta uertere et uerti dixerit, ignorare me fateor. De mercatura cogitari non debet; potius de alea aut alia quadam perniciosa re. Itaque vv. 482—83 genuinos esse non credo; v. 484 quin spurius sit, dubitari nequit, nec dubitarunt editorum plerique inde a Lambino. Ex v. 471 confictus est. Interpolator nomen meretricis suo tempore notæ intrusit, quum Plautus locorum nomina ponat. Unus Ulrichsius hunc versum illi substituendum esse censuit; Beckerus Ant. Rom. I, p. 309 utrumque retinuit, sed ut pro „Leucadiam Oppiam" scriberet „Concordiam Opimiam".

---

486. Absoluto negotio Curculio cum virgine exit ex lenonis ædibus una cum lenone et trapezita. Scena septenariis iambicis scripta horum trium colloquium est, quare hæc sola nomina in titulo servavi. In B additur præterea: „Lorarius. Mulier"; in

cod. Brit. hæc suprascripta sunt: „Cur. parasitus. Cap. leno. Lyc. trap. lorarius. Plan. virgo“. Ac Planesium adest illa quidem, sed nullum verbum dicit; lorario num opus fuerit ad virginem producendam vehementer dubito, atque adeo ex Curculionis verbis nullum fuisse apparet. — De scriptura *Ei* vid. ad Asin. 482. Aul. 686. infra 490. — *prae* cett. codd.; cf. Pseud. 169 et 241: „I, puere, prae“. Amph. 538: „Abi prae, Sosia“. Ter. Andr. 171 et Eun. 908: „I prae; sequor“. — 487. Pro corrupto *cuiquam* superiores: „quidquid“, Fl. „quam“. — 488. *it* producitur, v. Prol. p. 196. Both. „iit“. Gepp. „id it“. — *At* etc. Curculioni tribuerunt antt. edd. — 489. *liberali causa manu adsereret*, i. e. in libertatem vindicaret, cf. infra 705. Poen. 908 sq.: „manu eas adserat liberali causa“. ib. 967. 1105. Ter. Ad. 194: „ego liberali illam adsero causa manu“. Cic. p. Flacco 17, 40: „in causa liberali eum, qui asserebatur“. ad Fam. VIII, 9, 1: „agit causas liberales“. cf. supra 209. — 490. *firi*, quod in codd. legitur, „eiri“ fuit, cf. v. 486. — 492. *Et* non tam „etiam“ est, quam coniunctio hæc cum „meminero“ iungens, v. Lachm. ad Lucret. p. 389. — Responsum non Lyconis, sed Curculionis esse apparet ex 505, nec fefellit editores. Sed hiatus „dico. Et“ molestus est; alii verba transposuerunt, Lachmannus „Sed“ scripsit; verum nec „Sed“ nec simplex „Et“ aptum est. Ego conieceram „Hercle“ aut „Bene“ aut „Et ... ego quoque“; Müllerus: „Et tum“, quod, si Lyconis verba essent, præferrem. Nunc quia sermo ad Curculionem transit, *ego quoque* unice aptum videtur. — 493. *accipiam* olim emendatum. *Mancipium* sive mancipatio est traditio dominii ex iure civili, quæ fit apud prætorem per æs et libram. Imaginaria hæc venditio firmissimis iuris vinculis et emptorem et venditorem adstringit, nec leno graviore asseveratione promissum suum firmare potuit quam dicendo se mancipio daturum, cf. Pers. 525. Cic. Top. 10, 45 et 26, 100. Curculio vero, quia vulgo nota erat lenonum perfidia, respondet, se ne mancipio quidem quidquam a lenone accepturum, nec ulli omnino promisso talis hominis crediturum. Addit, eum *nihil sui* habere præter *linguam*, i. e. nullius rei iustum et legitimum dominum esse, sed quidquid habeat, furto et fallacia comparasse, linguam

vero lenonum more ita suam existimare, ut nihil non eius opera faciat, nullumque periurium ei non imponat, cf. 458. — 495. *si quid* cett. codd. — *mancupatis*, mancipio datis, venditis. — 496. *Alienos manumittitis* codd., contra numeros. Both. „Alienos mittitis manu". Fl. „Manu alienos emittitis". Gepp. „Alienos uos manumittitis". — 497. *auctor* rei venditæ aut promissæ is est, qui ad fidem firmandam assumitur, cuius testimonio securus emptor sciat se id emere, quod vendi liceat et quod sibi recte tradi possit; cf. Cic. Cæcin. 10, 27: „auctor fundi". 25, 72: „quod mulier sine tutore auctore promiserit". *estis* cett. codd. — 498. Hic inserui versum, qui in codd. post 514 legitur, ubi et sententiarum nexum turbat nec intelligi potest, quid sit *manceps*. Significatur autem hoc nomine qui mancipio aliquid suscipit; quo facto apparet eum aut pretium rei aut opus faciendum operamve præstandam debere. — 499. versus diæresi caret. — 500. *cimices* accessit ex Festo p. 210: „*Pedes* autem pro pediculis sic Plautus refert in Curculione: Item genus inter homines meo quidem animo ut muscae, culices, cimices pedesque pulicesque". — 501. *Odio*, sc. estis, quod ex proximis intelligitur. — 503. *eum* non primo loco positum, v. ad Amph. 181. Aul. 459. — 506. *Uos*. Trapezitas non minore convicio exagitat; nam hi quoque, quamvis multum eis crederetur, tamen propter fenus male audiebant, velut Antiphan. ap. Athen. VI, 226 e: τραπεζίτας · ἔθνος τούτου γάρ ἐστιν οὐδὲν ἐξωλέστερον. Quod in codd. legitur *et paro* corruptum est; videas defensionem Gronovii, Lectt. Plaut. p. 92. Ortum videtur ex prima syllaba proximi vocabuli bis scripta. Quare, quum etiam in principio versus *Eodem* pro ibidem non recte dicatur, reposui id quod omissum esse apparet, *loco*. — *hibus* ex h. l. affert Carisius I, p. 54 K.; „ibus" ex Titinio (59) et Pomponio (104) Nonius p. 486. Extat etiam Mil. 74: „ibus dinumerem stipendium". Trucul. 110: „Ibist ibus pugnae". Capt. Arg. 5. — 507. *Hi* et *in foro* cett. codd. — 508. Versus corruptus. Fl. „hisce" ed.; Brix. in Annal. phil. CI, p. 765 coni. „malesuadio", voce nondum alibi reperta; equidem verba transponere malim: „Uos fenore homines, hi male suadendo et lustris

lacerant". — 509. *Rogitationes*, leges fenebres, ut Duilia et Mænia a. 357 de unciario fenore (Liv. VII, 16), Genucia a. 342 (Liv. VII, 42). Ceterarum nomina non tradita sunt, sed plures fuisse testatur etiam Livius XXXV, 7, 2 ann. 193 a. Chr.: „quum multis fenebribus legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita est, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transcriberent", quæ causa fuit, cur Sempronius trib. pl. novam legem ferret; quod quid ad annum, quo hæc fabula acta sit, definiendum valeat, non video. — 510. *rogatas*, latas. — 511. *quasi aquam feruentem frigidam* etc., elliptice pro: tamquam si aquam ferventem frigidam putetis, ita leges innoxias putatis. — 512. *mauellem* antt. edd. — *Haud* cett. codd. — *meditate*, v. Bacch. 543. — 513. *Indignis*, cf. Hor. Sat. II, 2, 103: „Cur eget indignus quisquam te divite?" — *dico* codd., Fl. „duco". — 515. *Num quid uis*? sc. præterea, cf. 521. 524. Amph. 538 cum not. — *tibi dico*, cf. ad Bacch. 996. Leno parasitum alloquitur. — 516. *ut* excidisse olim intellectum est; „bene ut" priores, Fl. „ut bene" ed. — 517. *ego* et *meae* cett. codd. et B man. sec. — 518. *qui bene sit*, „unde bene et prolixe tractetur" Lamb. Parasitum loqui uideas. — Mox versus causa Both. „Hoc tibi opust"; sed „Eo" dicendum erat. Gepp. Fl. pronomen omiserunt. Curculio, quum leno se malum ei daturum dixisset, Tibi, inquit, malo opus est non ad bene vivendum, sed ad ægrotum corpus curandum; *procures*, cf. 524. Trucul. 413. Poen. 29. 718. — 519. *ego*, quod metrum turbat, omisi; Both. Fl. transp. „Bene ego hercle uendidi te". Mahler. „Bene hercle ego uendidi te". Mireris solatium, quasi, quia ipse eam bene vendidisset, ut triginta minas referret, quum decem dedisset (v. 527), inde sequeretur, ut illa quoque bene contenta esset. — 520 *bella belle*, cf. Asin. 669. — 521. *num* B prius omisit, postea addidit. — 522. *mi* Müller. add., Fl. „tu". — 523. *Nuntiabo*, cf. Cic. ad Fam. VII, 14, 1: „salutem enim verbis tuis mihi nuntiarat". al. — 524. *Istas*. In hac quidem fabula nulla eiusmodi pecunia commemorata est; nam v. 344 huc advocari non posse monstravimus. Aut vox corrupta est (scribi potuit v. c. „Ut mihi" aut „Fac" aut „Meas")

aut Plautus contra antiquorum morem obscurius locutus est (istas, quas te mihi debere scis.) — 525. *sit* olim emendatum.

526. Postquam et Curculio et Lyco abierunt, Cappadox secum de suis rebus loquitur. — 527. *decem* cett. codd. — 528. *illam uendidit* transp. Grut. — 531. *certum est* olim emendatum. — „me bene" transp. Fl.

532. Miles Epidaurum venit et argentarium adiit, apud quem pecuniam deposuerat, qua soluta puella sibi tradenda esset; argentarius se iam omnia solvisse dixit. Incedunt de ea re altercantes. — 533. „*excidionem* urbis a cædendo dictam manifestum est", ait Fest. Ep. p. 80; „excidio, excisio" gloss. apud Loewe, Prodrom. p. 262. — 534. *propere properas*, cf. 683 et 461. Aul. 174. — 535. *deposiui* olim editum. — „*uitam ponere*, deponere, amittere" Lamb. — 536. Versus cæsura caret. Both. transp.: „mediocri te"; Fl. licentius: „ego nunc mediocri macto te". — 538. *ferocem*, cf. Most. 877: „Ferocem facis *te*, quia te erus amat". Noli, inquit, superbe mecum agere aut censere me tibi supplicare. De omisso „me" vid. ad Amph. 22. — 540. *quom credebam*, sc. tibi illam pecuniam. — 543. *ei* spondeum facit, v. Prol. p. 216. — 544. Versus iusto longior est. Constaret, si in *mihi* terminaretur, et Schmidt. Pron. demonstr. p. 60 extremam vocem delebat; sed ea carere oratio non potest. Fleckeisen., quum in codd. „tabulas" extare falso traditum esset, hoc voc. in proximum versum transtulit, ibique deletis verbis „tu mihi" scripsit: „Quas tu mihi Tabulas, quos luscos libertos". Sed codd. *tabellas* habent, nec illo nomine recte significaretur epistola, vid. ad 347. Versum ἄμετρον Geppertus iure delevisse videtur; nam et superfluus est, præsertim quum v. 550 sq. tabellarum mentio redeat; nec *has* Plautus scripsit; nam si Lyco tabellas secum habuisset easque militi ostendisset, responsum longe aliud exciperet. — 545. *Quos tu mihi*, cf. Men. 317 sq. „Quas mulieres, Quos tu parasitos loqueris?" — 546. *Nec* ratione caret, nisi excidit versus ad tale fere exemplum: „Nec Summanum, quem tu dicis, fando audiui ante hunc diem". — 547. *lenonum* codd., quod ferri non potest. Lamb. „militum" postulavit, Dousa *latronum*; sunt enim latrones milites mercenarii, v. ad Bacch. 24. Primam

huius vocis syllabam produxisse Plautum in Rudente testatur Sisenna apud Rufin. p. 2711 P., v. Ritsch. Parerg. p. 375; sed in illa fabula vox non extat. Hoc fieri non posse Ritsch. l. l. p. 381 sq. arbitratus est; Fl. transp.: latronum pars". — 548. *Quid feci*? codd. corrupte; quod autem antt. edd. substituerunt: „THER. Quid fecisti?" non minus pravum est et ineptum. Errarunt igitur qui inde profecti numeris huius versus ita succurrerunt, ut alterum *feci* delerent (Weis. Speng. Luchs. in Herm. VIII, p. 111), quamquam minus etiam probari potest omissio vocis *tui*, quam prætulerunt Both. Fl. Müller., qui Pl. Pros. p. 701 sq., hoc frustra defendere conatur coll. Asin. 193 et Merc. 517. *tui* necessarium est, quoniam nihil est, unde audiri possit; *feci* autem delendum illud quidem est eo loco, quo numeri non ferunt, sed non audiendum, extat enim in antecedentibus, modo deleatur interrogationis signum. Excidit autem, quæ etiam Mülleri sententia fuit, nisi fallor propter litterarum similitudinem, interrogatio militis et initium eorum, quæ respondet Lyco. — 551. *iis tabellis* codd., quod „is" legi poterat, ut v. 552; edd. „his"; sed pronomen delendum esse, responsio Lyconis evincit; nec enim Curculionis tabellis, sed omnino tabellis vel res publica vel aliorum privatæ res geruntnr. — 552. *Quis*, i. e. quibus, quam formam Müller. Nachtr. p. 82 frustra a Plauto abiudicare conatur. — *non* Fl. em., quem secutus sum, quamquam dubitationem aliquam movet Amphitruonis locus 400 sq. — *is* cod. B, v. Proleg. p. 212. — 553. *abeo* et *solutast* edd. — *res solutast*, v. infra 618. 717. ad Asin. 430. — 554. *ualeam*? Indignabundus quærit: „Num ualere me iubes?" Lyco respondet, quasi miles valetudinem aspernatus esset. — *si lubet* Camer. em. — *aetatem*, v. ad Amph. 1016.

555. *regibus*. Expectabatur „reges". Versus causa ablativo casu Plautus usus est, ut quum dicitur: „quid hoc homine facias?" — 556. *umbraticus* s. umbratilis, i. e. in umbra educatus, opponitur militari et sub dio vivere consueto. Truc. 601: „umbraticulus", non, ut vulgo editur „umbraticola". Iuvenal. 7, 105: „genus ignavum, quod lecto gaudet et umbra".

557. Leno redit sacris peractis. Deos sibi propitios esse cognoverat (v. 530); inde efficit, fieri non posse, ut sibi irati

sint. Sic solatur eum timorem, quem conceperat, ne argentarius antequam decem illas minas, quas promiserat (v. 525), solvisset, in exilium abiret, ita tamen ut statim petere malit quam in crastinum differre. — 558. Fl. edidit: „[post] mihi in mentem uenit"; quod si ideo fecit, ne præsens (*petam*) perfectum sequeretur, v. ad Amph. 192. — 559. *petam* B ex correctione; fuerat „petat". — 560. *Iusseram*, iubebam, cf. 425. Queritur, quod leno non statim se viderit et salutem reddiderit. Verum hoc ne spectatores quidem audiverunt. Quare Acidalius recte *iusserim* scripsisse videtur „ut exprimat fastidiosam et iratam salutationem". Est enim coniunctivus non satis scientis, utrum salutare velit an non. — 561. Leno ita sententiam orsus est, quasi militem ad cenam invitaturus esset, cf. Bacch. 534; sed *παρὰ προσδοκίαν* contrarium dicit (cf. ad Asin. 875), ne *salem* quidem fore ut apud se *delingat*, cf. Pers. 431: „Nisi me haec (lingua) defendet, numquam delinget salem". — 563. *Bene uocas* est comiter abnuentis, cf. Men. 380: „Bene uocas; tam gratiast". Merc. 938: „Bene uocas; benigne dicis". *vocata res est* Lambinus, quem ceteri sequi videntur, ita explicat: „vocatus es non ad cenam, sed ad malum et miseriam". Sed legitur „res", non „tu". Compararunt Stich. 472, ubi legebatur „uocata est opera", sed ibi ex Ambrosiano correctum est „locata est opera". Quod quomodo Fl. in hunc quoque locum transtulerit, ut scriberet: „locata res est", non intelligo. Meo quidem iudicio scribendum est *inuocata res est*; nam contrarii aliquid afferri, coniunctio *uerum* ostendit. Bene uocas, inquit; sed invocatum est, ut tibi male sit, i. e. sine vocatione aut invitatione tibi male erit. — 564. *meum mercimonium*, puella quam mercatus sum, cf. Most. 889, al. — 565. *ne facias testis* parenthetice interponitur; noli clamare et testes advocare. — 568. *iubeo* Camer.; *uapulare*, v. ad Asin. 475. — 569. *auferere*, ita verberibus affectus, ut tuis pedibus abire non possis, cf. Amph. 354. — 570. *Male loqui* olim emendatum. — 571. *mihi*, quod B extremo versui addit, ex proximo irrepsit. In cett. codd. „Sed dabo mihi" proximi initium faciunt, unde turbæ editionum ortæ sunt. — 573. *Meaeque* cett. codd. et B. corr.; *iacent* item. *pugnae proeliares*, i. e. bellicæ. *optritae*, cf. Cic. Verr. V, 1, 2:

„obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiæ". — 574. *et lorica et cassida*, antiqui alicuius editoris supplementum retinui, non quo verba præstem, sed quia et locum lacunæ numeri ostendunt et, quæ leno ad horum similitudinem irridendi causa addit, plura eiusdem generis militem posuisse monstrant. Quod autem in altero membro „ut" omittitur, hoc vulgo faciebant, cf. Ter. Eun. 615: „Ita me di ament, timeo". al. — 577. *At ita me* codd.; sed *me* iterum legitur in proximo versu; nam quod librarius cod. B hoc voc. prius omiserat, deinde inter lineas addidit, dubitationem movere non debet. Repetitio pronominis forsitan ferri possit, vid. ad Amph. 532, parumque feliciter Ritsch., Mus. Rhen. XII, p. 431, in proximo versu „Bene mactassint" scribebat; sed pronomen possessivum *meaque* ibi additum ostendere videtur, in hoc quoque versu recte Gepp. et Fl. *meae* pro „me" scripsisse. — Ut miles per arma sua, ita leno per instrumenta illecebrarum muliebrium iurat. *uolsellae*, quibus evelluntur pilæ corporis. Hic locus nescio an Varroni obversatus est L. L. IX, 33: „pugnant uolsillis, non gladio". — 578. *axicia*, forfices explicat Turnebus. — *extersui* Palmerius emend., i. e. ad extergendum, cf. Varr. L. L. V, 131: „Prius indutui, tum amictui quæ sunt, tangam", et multa apud Tacitum. — 579. *neque*. Alterum „neque" ante „tua" omissum est, quamvis negatio primaria „Non pluris facio" proximo demum versu sequatur, cf. Ter. Eun. 1077: „Ad omnia haec magis opportunus nec magis ex usu tuo Nemost." Heaut. 64: „Agrum his regionibus Meliorem neque preti maioris nemo habet". Itaque carere possumus Brixii coniectura „atque", Ann. phil. CI, p. 765. — 580. *lauat*. Seyffert. Stud. Plaut. p. 6 „lauit" postulat, ut Most. 108. Truc. 889, quippe primæ coniugationis formas apud Plautum medialem vim habere. Mihi, num hac in re sibi constiterit Plautus, dubium est. — 581 *ei* addidi cum Fl. ut 543, nam quamvis sæpe omittatur pronomen demonstrativum, ut 590, v. ad Amph. 38, tamen h. l. ægre desiderem. — 582. *sese aiebat esse*, hoc ordine Camer. — 583. *uerba dedit*, decepit, cf. Ter. Andr. 211, al. — *Quom cogito*, cf. Cas. 843; alibi „recogito", v. Capt. 51. — 585. Leno ridet militem, qui amisso anulo omnem rem et fortunam

amisit. Eum comparat cum iis militibus, quorum nulla ratio habebatur in stipendio numerando. *Centuriantur* milites, ubi suis quique manipulis assignentur, cf. Mil. 815: „si centuriati bene sunt manuplares mei". Polyb. VI, 21, 7. *Expungitur* nomen, quod ex rationibus deletur, cf. Cist. 186: „ut expungatur nomen, ne quid debeam". Plin. H. N. II, 26, 24, 95. Pers. Sat. 2, 12 sq. „pupillumve utinam, quem proximus heres impello, expungam". Ad quem locum schol.: „tractum a militibus, qui expuncti dicuntur, quum foras a militia dicuntur"; quæ ex memoria Plautini loci fluxisse videntur, sed minime recta sunt. Expungi enim in re militari non aliter dicitur quam in aliis rationum tabulis, et apud quæstores ii milites expunguntur, quibus nullum stipendium debetur, velut desertores. *Expunctus* igitur *manipulus* is est, qui, quia pugnam detrectavit, aut alia quadam causa stipendium nullum accepturus est; cf. Papin. Dig. XLIX, 16, 15: „Ex causa desertionis notatus et restitutus temporis, quod in desertione fuerit, stipendiis expungitur. Quod si ratio constiterit neque desertorem fuisse apparuerit, omnia stipendia citra temporis finem redduntur". — 586. v. supra p. 528. — 587. *reperias*. Both. Fl. aliique „reperies." Res parum certa, v. ad Amph. 351. — 589. *Quid* cett. codd. et B ex correctione. — *sublitum* necessario scribendum; hoc enim semper dicitur, v. ad Aul. 660.

591. Curculio exit properans ex Phædromi ædibus Planesium fugiens. Miles aut scenam reliquit aut solus in diversa parte moratur, nam Curculionem non ante v. 609 agnoscit. — *Antiquos poeta* quis fuerit, ignoratur. Num Livius in Tereo? — 592. *Res ita est*, ita se habet, cf. Asin. 589. Bacch. 718. Trucul. 741. — 594. Versus corruptus, nam „audiui" primam corripere non potest. Both „audii" scr., ut bisyllabum esset, Fl. „Non uidi aut audiui"; equidem „pol" omiserim. — In B „fringi" scriptum fuit; sed r erarum. — 595. *me habere hunc* em. Gruterus. A *med*, quod unus B habet, Fl. digredi noluit, et quum ante hunc versum interpunxisset, omissis prioribus ed.: „Quae [extemplo] ubi med hunc habere". Facilius corrigeretur: „neque dici nec fingi potest Peior; quae ubi med hunc habere". Sed negari non potest, interdum d paragogicum iniuria a librario

additum esse, ut v. 454. 662. — 597. *Nego me dicere*, cf. ad Asin. 439. infra 667. — Post *manum* hiatus, cf. Proleg. p. 224. Fl. „meam“ add., Ritsch. Op. II, 247 sq. „ea“. — 598. *abripui* olim emendatum; Müller „proripui“ maluit. Mox idem: „Apage a me“, quod si *canicula* etiam apud Horatium et Ovidium altera correpta legeretur, probarem.

599. Planesium parasitum fugientem persequitur. *mi* Fl. addidit, iure credo, nam hiatus post *ne*, ut vocalis longa maneat, non est ueri similis. — *ne amiseris*, noli dimittere, cf. Asin. 604. — 600. *Magna res est*, res magni momenti. Phædromus vero ex ambiguo ludens respondet, sibi quidem nullam rem (sc. familiarem) amplius esse. — 601. *Teneo*. Parasitum assecuta est eique manum iniecit. Gruterus aliique „Tene“ scripserunt; Both. et Fl. „Teneo“ Phædromo continuarunt. — 602. Excidisse vocalem in medio versu numeri ostendunt; antiquiores edd. „pol“ addebant; mihi *prius* aptius videtur. „Ac“ pro *At* error typographicus Parei est. — 603. Hic quoque versus eodem loco labem contraxit; codd. plerique et edd.: „Pater meus rursum tibi“, Both. „Pater eius rursum mihi“. Ego iis relictis, quæ sana sunt, in medio ea posui, quæ sensus postulare videbatur. *ergo igitur*, Most. 835. Trin. 756. — *ei*, cf. 43. Fl. „illi“. — 605. *Quid nunc?* codd. et edd., eaque Curculioni continuant; prave; nam parasiti quidem oratio finita est, nec is Planesium ad plura dicenda hortari potest. Aut totus hic versus Planesii est, velut: „Curculio, obsecro etc.“, aut Phædromus nugis eius satiatus eum dicere simpliciter et ad id quod rogatum est respondere iubet, ut pro „Quid“ *Dic* scribendum sit. — 608. *Enimuero irascor*, sc. quod amicæ meæ servitutem exprobras. Phædromi hæc verba esse, non Planesii, apparet ex responso Curculionis. Is enim Planesio dicere noluerat (v. 597), Phædromo dixit v. 360. Animadvertit Seyffert. Stud. Plaut. p. 3. — 610. Miles nunc demum, his auditis, Curculionem agnoscit. — *quem* B omiserat; postea additum est. — *Audio*, cf. ad Capt. 239. — 611. Age, inquit, si aleam, somno tuo interruptam continuari vis, paratus sum. Tres faciamus *bolos* sive iactus, cf. Rud. 360. *uel*, i. e. exempli causa (cf. Epid. 384. Men. 859. Mil. 25. 59. Ter. Hec. 60) chlamydem tuam opponas. —

is cett. codd. — 612. *bolis ... bulbis.* Luditur in similitudine soni, ad parasiti personam non inepte, quippe cuius mens tota in cibis occupari soleat. Bulbis enim, quos Athen. II, c. 64 sqq. Plin. H. N. XIX, 5, 30, 93 sq. commemorant, antiqui cenantes et potantes ad appetitum excitandum utebantur, cf. Cic. p. Cluent. 26, 71. Ex Africa optimi veniebant, v. Iuven. 7. 120. Diocletiani Ed. c. 6 n. 41. — *Reddin* cm. Dousa; Fl. „Etiam redde"; sed interrogandi forma necessaria videtur, v. ad Asin. 670. — 613. *tricas*, ambages inutiles, cf. Most. 562. Rud. 1323. — 614. *scelus uiri*, v. ad Asin. 470. Mil. 1425. Pers. 193. Trucul. 611, ubique cum paeonis quarti mensura; itaque hiatur in diæresi, cf. Luchs. Studem. Stud. I, p. 50. Fl.: „tu hodie", Müller: „Quamne". — 618. *rem solvi*, cf. 553. *ab trapezita*, pecunia ab eo numerata, cf. intt. ad Horat. Sat. II, 3, 69. Ceterum ante *ab* hiatur in diæresi. — 619. Similis hiatus aut ante *auferam*; Fl. „ab lenone" voluit; R. „ted". — *quadruplex*; quadrupli poena ex prætoris edicto furti manifesti erat, nec manifesti dupli (v. Gai. III, 189 sq.), quorum quum hoc tantum commissum videri posset, militem putarunt ICti duas dupli actiones intendere, alteram Phædromo alteram lenoni (v. M. Voigt in Mus. Rhen. XXVII, p. 169), ut peritissimos iuris et Plautum et militem esse statuerent. Sed actionum nulla omnino mentio est. Miles ipse se negat in ius iturum esse v. 621, nec iudicio, sed vi et armis quadruplicem pecuniam se ablaturum minatur. Phædromus demum ius minatur, et militem in ius vocat v. 620, ut qui ingenuam virginem mercatus esset, quod vindicabatur lege Fabia de plagiariis, v. Digest. XLVIII, 15. — *Qui scias.* B sec. man. „scies", unde emendarunt quidam „scis", sed coniunctivus ferri potest. — 621. *Ambula in ius*, cf. 624. Pers. 744. Ter. Phorm. 936. XII Tabb. lex erat: „Si in ius uocat, ito. Ni it, antestamino". Itaque negante milite se iturum Phædromus *antestatur*, i. e. testem facit, se ex lege adversarium in ius vocasse. Hoc fiebat arrepta aure alterius personæ, qui si aurem præbebat, fatebatur se audisse vocatum et hoc se promittebat testimonio suo confirmaturum; cf. Poen. 1233: „Ite in ius; ne moramini. AGOR. Antestare me atque duce". Pers. 745 sq.: „SA. In ius uoco. DO. Nonne

antestaris. SA. Tuane ego causa, carnifex, Quoiquam mortali libero auris atteram?" Horat. Sat. I, 9, 76: „Licet antestari? Ego vero appono auriculam". Ex quibus locis apparet accusatorem antestari non eum, quem in ius vocat, sed testem, et *te* recte a Camerario omissum esse. Miles autem, quasi a se hoc petitum esset, *Non licet* respondet. — 622. Numeri non explentur. Both. „disperdat" scr., Fl. „At te Iuppiter", neutrum satis apte. *Intestatus* infra v. 691 reus dicitur, qui, quum antestatio facta non sit, in ius rapitur; sed hoc pro obprobrio obiici non potest; qui hunc versum scripsit, aliud simul significaverit necesse est, sine dubio idem, quod Mil. 1407, testiculis carentem; nec Plautum hoc scripsisse arbitror, sed histrionem aliquem illius loci memorem frigidissimum iocum intrusisse. Accessio spurii versus causa fuit cur personarum notæ in proximo versu (623) turbarentur. Prima quidem, *At ego, quem licet, te*, militis esse non posse, facile apparet; nam Voigtium non vereor ne quisquam sequatur in Mus. Rhen. XXVII, p. 171 sic enarrantem: „At ego, quem licet, te, sc. in ius uoco". Curculioni dederant editores Robertum secuti, quamquam quid is voluisset, parum intelligebatur; Fl.: „CUR. At ego, quem licet. PH. Tu accede huc"; quæ ita enarrat Merclinus: „Curculio testem se offert: At ego (is sum), quem licet (antestari)", omissis quæ audiri nullo modo possunt. Immo Phædromi verba sunt ad v. 621 respondentis. Ego vero, inquit, quid tu, miles, concedas, non curo; nec te antestor, sed Curculionem, quem licet, i. e. qui non recusabit. Simul orationem ad parasitum convertit eumque accedere iubet. — Proxima *Seruom antestari* militis sunt, qui ut actionem detrectet, antestationem ratam esse negat; quippe Curculionem servum, non liberum hominem esse. De infinitivo vid. Madv. Gr. Lat. 399. Ter. Andr. 870. Eun. 209. supra 200. — *uide* edd. militi continuant; indignationem, credo, significari putarunt, ut in „illuc, sis, uide" et „hoc uide", v. ad Aul. 46. Sed simplex „uide" vix sic dicitur. Novæ personæ orationem hic incipere testantur codd., sed nomen male expletum est; Curculionis verba sunt. Is aurem Phædromo porrigit, et militem spectare iubet, quo modo se adolescens antestetur, ut sciat se liberum esse. — 624. Interiectio

hem abesse potuit, ac libenter deleverim. — *ergo*, quia antestatio rite facta est. Hæc codd. recte Curculioni continuant; edd. militi dederunt, quo nihil ineptius. Ei vero tribuenda sunt verba *Em tibi*, quæ plagam parasito infligens pronuntiat, cf. 195. — 625. *O* habent cett. codd. Civium opem implorat, cf. Aul. 398. — *tibi istum* Both. — *tactio*, v. ad Amph. 515. — 626. *Accede huc tu.* Phædromus militem alloquitur. Iam intelligit, eum potius bonis verbis, quam minis placari debere; *illum*, Curculionem; eum se promittit militi dediturum, nec esse, cur amplius clamet. *tace* Merclinus Curculioni dictum censet; sed si persona mutata esset, pronomen „tu" additum esset. — 627. Phædromo, quamvis Curculionem se militi dediturum dicat, tamen minime in animo est eum perdere. Itaque quum parasitus eum trepidus oret ut se servet, respondet, se eum ita servaturum, ut si sua ipsius salus ageretur. Seyffertio, Stud. p. 3, Curculionis verba Planesio dare volenti accedere non possum. — 628. *quaeso ut*, codd. cum hiatu; Both. „uti" scripsit, Fl. „ut tu". — 629. *eludere* et personæ et rei accusativum sibi adiungere potest; illud v. 609; hoc apud Propert. IV, 1, 139 sq. „Nam tibi uictrices .... Eludit palmas una puella tuas"; h. l. utrumque. In Argum. v. 2 ablativum rei et accusativum personæ habet ut „fraudare". — 631. *Quaeratis*, eodem iure quaerere possitis. — *peruenerit*; an „peruenerint" scribendum sit, dubitat Becker. in Studem. Stud. I, p. 205. — 632. *Ut fastidit*, cf. Most. 873. Bacch. 330. In proximis personarum notæ pessime turbatæ sunt. *Mitte istum* Curculio dicit; suadet ut fastidientem militem non curent; se promittit omnia dicturum. Proximum versum (633) codd. inter Curculionem et Phædromum dividunt; totus Planesii esse videtur. Illa nugas parasiti non curat; quid miles dicere possit, audire studet; itaque eum denuo obsecrat; miles autem precantem et genibus submissam surgere iubet. — Ante *obsecro* hiatus; Both. et Fl. „te obsecro", ut v. 629, recte, nisi fallor.

634. Huic versui in B suprascribitur MILES quasi novæ scenæ titulus, non iniuria, quoniam numeri mutantur reliquaque senariis aguntur. *Surge*, procubuerat enim ad genua eius v. 629. — 635. Quod in codd. legitur „Periphanes, Planesium",

verum esse non potest; nec enim Planesium sed omnes alloquitur. Acidalius vidit, Planesium audito patris nomine exclamando hoc repetere. *Hem* versus causa addidit Fl.; Gepp. non minus bene „Quid?“ — 636. *priusquam moritur*, cf. ad Amph. 661. — 639. Pro corrupto *iste* Both. „isti“ quasi istius, anuli, pronomine vix recto. Fl. hoc recepto præterea versus causa: „O pietas mea“ edidit; Gepp. „istic“. Equidem „te“ delevi; errorem librarius statim animadvertit et verum *me* addidit. Tum *eius* addidi, quod sensus postulat. — *Pietas mea*, cf. ad Bacch. 874. — 639. *seruaui*, observavi. — 640. Versus causa plerique edd. verba transponunt, ut Fl.: „Qui ego istuc credam?“ ego *tibi* excidisse putavi. — 643. *per Dionysia*, Dionysiis, cf. Liv. II, 18, 1: „per ludos“. — 644. Fl. ante hunc versum lacunam indicavit, iniuria; *illo* facile ex contextu intelligitur, in spectaculorum locum. — *iam ut*, i. e. ubi primum, cf. Ter. Hec. 378: „iam ut limen exieram (codd. male: exirem), ad genua accidit“. — 645. *spectacla*, subsellia lignea spectandi causa compacta, cf. Liv. I, 35, 8. Iuven. 8, 205. *ruunt*, corruunt, cf. Liv. IV, 21, 5: „ruere in agris nuntiabantur tecta“. — 646. *tum ibi*, cf. Ter. Andr. 106: „Ibi tum“. Cic. p. Cæcin. 10, 27: „quum Aebutius Cæcinæ malum minaretur, ibi tum Cæcinam postulasse“. — *nescio qui* Both. versus causa, cf. ad 274; Fl. transp.: „nescio quis me“. — *abripit* Lamb. em., ut suadet v. 648. Idem error v. 691. — 649. *Memini istanc* em. Gulielmus. — 652. *perii*, cf. Capt. 532. — *Sanane es* etc. Hæc ante Acidalium Phædromo tribuebantur. — 654. *tibi ego* transp. Fl. — 655. *mea soror* cett. codd. — 658. Tu, inquit, ut pote qui hodie adveneris, cenam dato non solum adventoriam, ut dicit Martialis præf. lib. XII, sed sororiam, sorore inventa. — 659. Totum versum Curculioni dedit Acidalius scribens: „Promittitin? PH. Tace tu“, qua coniectura vix opus est. B personarum notas non habet. I: „MIL. Promittimus. Tace tu“. Antt. edd.: „PH. Promittimus. MIL. Tace tu“. Quod contra esse debet. Miles, quem alloquitur Curculio v. 658, respondet; Phædromus, sponsalibus nondum factis, nihil promittit, sed tacere parasitum iubet. — 662. *Quid dotis?* Militi hæc dedit Bothius, recte, nam si Phædromi essent, Curculio „uiuas“

et „alas“ dixisset. *tu* addidi, quod necessario requirit proximum *Egone*? „dabis“ facile auditur. — *me*, non „med“ scribendum esse versus ostendit. — 663. *Uerum hercle dico.* B hunc versum Curculioni continuat; I ceterique militi dant, quod ita tenet Acidalius, ut „dicit“ corrigat et *uerum* „æquum“ enarrat, quod fieri vix potest, quamquam recepit Fl. Immo Curculioni aptissima est eiusmodi asseveratio. Proxima vero si eiusdem Curculionis sunt, necessario scribendum est: „me iubente fecerit“, i. e. faciet. Sed his ita adiungitur proximus versus, ut eiusdem personæ esse videatur; itaque ab his militis verba orsus sum. Recipiendæ autem erant Camerarii coniecturæ *Me lubente*, cf. Stich. 474: „Lubente me hercle facies“, et *Sed.* — 665. *illic* Fl., nec hiatus post „Quia“ verisimilis est. Militis verba esse olim intellectum est. — *repromisit*, quum ego pecuniam pro puella promitterem. — 667. *reddere* Gronov., cf. ad Asin. 439. supra 597. Aulul. 108. Bacch. 965. — 668. *Nunc eamus.* Hæc dett. codd. et edd. priores Phædromo dant, quod fieri non potest; Fl. Curculioni dedit, nos cum B militi continuavimus, Curculioni autem *Laudo* dedimus, quod codd. et edd. militi. — 671. *Fiat*, cf. 41. Amph. 763. Asin. 40. Aul. 234. Bacch. 1199. Capt. 213. Most. 1022. Rud. 1337. al. — 673. Pro corrupto *unum* scripsi *una*, ut parasitus, qui antea dotem promiserat, hic sponsionis auctorem se faciat. Acidalius aliud scriptum fuisse putavit, et Phædromo hæc tribuens coniecit: „Et ego huic cibum una spondeo“; unde Bothius: „Et ego hunc alumnum spondeo“; Fl.: „PH. Et ego a me huic uictum spondeo. CUR. Lepide facis“. Müller: „Et ego huic quidem uictum spondeo“. Fl. præterea post hunc versum plura excidisse arbitratus est; non credo. — 674. *eccum lenonem*, *incedit*, cf. Amph. 998: „eccum Amphitruonem, aduenit“. Mil. 1282: „eccum Palaestrionem, stat“. ib. 1207: „eccam ipsam, egreditur“. H. l. novus accusativus *thensaurum meum* per appositionem additur.

675. Extrema fabulæ scena septenariis trochaicis, ut fieri solet, composita est. In nominibus suprascriptis ne quis Curculionis nomen desideret, is nullum amplius verbum facit, et apertissimo errore ei codd. v. 707—9 nonnulla tribuunt. Leno intrat lætus, quod decem minas, quas ei debebat Lyco

argentarius (v. 524), tandem extorsit. Quod vulgo dicunt, inquit, argentariis male credi, id non recte dicitur; potius dicendum est et male et bene credi. Nam male creditur ei, qui nihil reddit; hic quidem reddere noluit — hactenus igitur male credendum ei erat —, sed postremo amicorum consiliis adductus pecuniam solvit, ut etiam bene ei creditum esse dici possit. Aliam sententiam inesse putavit Lambinus, quem plerique sequuntur. Credere, inquit, pecuniam argentariis non est male credere, ut non nulli dicunt; nam qui male credit alicui pecuniam, spem tamen habet aliquam recuperandi, nec prorsus perdit; at qui argentariis credit, prorsus perdit. Et in eandem sententiam conferunt Martial. II, 3: „Sexte, nihil debes. Nil debes, Sexte, fatemur; Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest". Itaque Lamb. v. 676 „nec bene nec male" scribi uoluit, eumque Both. Gepp. Fl. secuti sunt, et nimis audacter et contra totius loci sententiam. Leno non miratur, quod Lyco ægre solverit, miratur, quod omnino solverit. — 676. Post *dico* hiatus in diæresi. Fl. „ego hodie" ed. — 677. *creditur*, sc. eis, v. Amph. 38. — *perit*, sc. creditum, ex communi intelligendum. — 678. *Uel* scribendum esse, ut v. 611, intellexit Lambinus; *hic* desiderari iam priores viderant, et addiderunt alii alibi. Mihi in „ut" latere visum est. — *mensas* ceterorum argentariorum, quasi ab eorum aliquo soluturus, adire videtur, sed omnes transit; nihil efficit; v. 679: *nihil fit*; cf. Bacch. 624. — *clamore hominem posco*, cf. Pseud. 558: „si non dabis, clamore magno et multo flagitabere". ib. 1143: „flagitare saepe clamore in foro". Men. 48: „Propterea illius nomen memini facilius, Quia illum clamore vidi flagitarier". Most. 577: „hercle ego illum nominabo. TR. . . . Beatus vero es nunc, quom clamas?" Epid. 119: „clamore defetigor, differor". Trucul. 746: „tibi ludos faciam clamore in uia". Aul. 438. Fest. p. 375: „Vagulatio in XII significat quæstionem cum convicio: Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portam obvagulatum ito". — 679. Lyco lenonis convicio exagitatus eum in ius vocavit. Cappadox autem, si apud prætorem res ageretur, veritus est, ne Lyco bonam copiam iuratus res suas creditoribus traderet, quo facto aut paulum aut nihil accepturus erat; hoc *apud praetorem*

soluere dicebant, cf. 718. 376. Quod quia et ipsi Lyconi infamiam laturum erat, amici eum *compulerunt*, i. e. ei persuaserunt, ne faceret, sed potius, quæ domi haberet et abscondere cuperet, promeret. *domo*, i. e. de suo, cf. Amph. 631. Paul. in Digest. XII, 1, 40: „L. Titius scripsi me accepisse a P. Mævio quindecim mutua numerata mihi de domo", i. e. de arca domini, non de mensa argentarii. — 683. *uos* in B. omissum, sed additum eadem manu. — 684. *Atque ... uomere*; hæc Fl. Phædromo tribuit, cuius rei rationem requiro. — 685. Alterum *aut* omittendum esse apparet. Versus etiam suadet, ut *ego* omittatur; præterea nulla mutatione opus est, quamquam alii verba transposuerunt, Müller. „Quin" scripsit. *Quia*, cf. 343. Minatur miles se eo modo lenonem torturum esse, quo pila catapultis eiecta torqueantur; eiiciuntur autem tormentis vel nervis tortis. — 686. Post *torquebo* hiatus in diæresi. Versum affert Nonius p. 552 omisso voc. „itidem". — 687. Alia miles vincula lenoni minatur. Edd. hunc versum Phædromo dederunt, parum apte; cod. B recte militi continuat. *Delicati* hominis est accubantem sibi catellum habere; sed *catellus* est etiam vinculum quoddam ferreum, v. Fest. Ep. p. 45: „Catulus genus quoddam vinculi, qui interdum canis appellatur", cf. Casin. 366: „canem et furcam feras". — 688. *Ferreo* ad „catello" accommodatur: Both. Fl. „ferreum"; vix opus, cf. 674. — *At ego uos*, sc. faciam. — *robusto*, ex robore sive quercu facto, cf. Poen. 1161: „quos ego iam detrudam ... ad robustum codicem". Inde „robur" pro carcere Lucret. III, 1017, Fest. Ep. p. 264. — 690. *Quidquid est*. Gepp.: „Quid? quid est?" vix recte. *ipse ibit potius*, quam trahatur; nam homo tam delicati corporis non is est, qui tormenta et vim ferat. — 691. Miles vero nihilo minus eum vi abripit. Leno queritur se trahi, quamvis nec iudicio damnatus sit nec recusaverit, quo minus in ius iret. *intestatus*, i. e. testibus non advocatis, nulla antestatione facta, v. supra ad 621. — Hiatus post *pacto* vitandi causa Fl. „hinc" addit; Müller. Nachtr. p. 79: „ui". — *abripi* Pareus tacite, Both. Fl. — 692. *Te* addidit Brix. Ann. phil. CI, p. 765. — 693. *indemnatum*, olim emendatum. — 695. *Aesculapio huic*, cuius ædis vicina est; nisi forte „hanc" scribendum, cf. Capt. 357 cum not. —

quom, v. ad Amph. 636. — 695. Valetudinem ait causam fuisse, cur industria et quærendi studium minus fuerit quam pro lenone. — *quoquo posset.* Merclin. confert Asin. 194: „illa alio ibit tamen“ sqq. supra 46: „Eam uolt meretricem facere“. — *mitteret*, misisset, cf. Madv. Gr. Lat. 347 b not. 2. — 697. *ego* Fl. add.; Müller. „huc“. Gepp. „sī potis sum“. — 698. *istunc* cett. codd. Leno significatur, quem trahebat miles. — 700. *iudices* cett. codd. — 701. *Quodne*, cf. ad Amph. 690. Significatur: „Num ne id quidem, quod promisisti?“ Versus causa Gepp. „Quod“; melius Camer. *promisti*, ut 705. — *Qui*, i. e. quomodo, *promisi*? Fl. transp.: „Promissi? qui?“ quod incuria correctoris in nostro quoque textu relictum est. — 702. cf. Rud. 1374: „iusiurandum rei seruandae, non perdundae conditum est“. — *hec* in B omissum, sed eadem manu additum est. — 703. *Nihil agit*; cum eo agi non potest. — 705. *liberali*, v. 489. — 707. *Quid? negas?* Qui personarum notas addidit, male hic et in proximis duobus versibus Curculionis nomen posuit; militis hæc esse antiqui edd. intellexerunt. — *Quo praesente?* sc. hoc dixi? — 708. *Non taces?* v. ad Amph. 693. Sed male hæc in codd. lenoni tribuuntur; quod quum tenuissent edd., proxima sic inter personas diviserunt: „TH. Non taceo. CA. Non etc.“? Immo oratio est continua: „Non taceo; non etc.“ Miles lenonem tacere iubet nec rem certissimam et testibus confirmatam negare; leno se taciturum esse negat. — 712. *illius*, ut v. 413 aliisque multis locis aut spondei aut dactyli mensuram habere videtur, v. Luchs., Genetivbildung der lat. Pronomina p. 49 sqq. — 714. Hunc versum Acidalius versui 716 postposuit, quum 715 ab 713 divelli non pateretur. Sed minæ militis iudicio additæ non impediunt, quo minus leno iudicium perfidum esse dicat, nec Acidalii versuum ordinatio ferri potest, nisi, quod et ipsum voluit, v. 717 „Tum“ pro „Tu“ scribitur, eaque lenoni tribuuntur. — 717. Post *te* hiatur. Pareus: „Quo sequar ego te“, incuria, nam „ego“ in codd. non est. — 718. cf. ad 680. — 719. *in neruom* olim emendatum. — 720. *ne tu nescias* scripsi, deleto „me“, quod versus non patitur; Both. Fl. „ne me nescias“; Seyff. Stud. p. 4: „ne tu me hauscias“. — 723. Hiatus post

recipe aliquid excidisse ostendere videtur. Fl. „hoc“ addit. Sed proximum *actutum* lenoni parum convenit; militis esse videtur nullam moram patientis. Itaque *At actutum* scripsi, proximumque *Licet* (v. 95), quod codd. prave Phædromo dant, edd. militi, lenoni dedi. — 725. *Spectatores.* His recentiores edd. CANTOR præfigunt; vid. Proleg. p. 173.

Corrigenda et addenda.

Pag. 9. v. 81 *scribatur* Quippini?
— 11 *in var. script. add.* 136 quis east? Nam optima?
— 13. v. 148 *scr.* Sed his legibus, si quam
— 16. v. 194 *scr.* harpagatumst. v. 200 Saluomst.
— 23 *in var. script. add. ad 308* ripuit
— 25. v. 340 *scr.* Horum
— 35. *in var. script. add.* 531 Tamen emeo quidem animo. *Reliqua proprio versu.*
— 38. *in var. script. lin. 4 pro 597 scribatur 594.*
— 41. v. 635 *scr.* Facisne mihi iniuriam
in var. script ad 631 *add.* eloquere EUCL. Quidquid
— 46. v. 708 *scr.* quis eam; *tum var. script. deleatur.*
— 56. *in var. script. ad* 825 *scr.* corcotis strofis
— 67. v. 86 *comma post* quam *omittatur.*
— 71. v. 148 *scr.* Uideo nimio iam
— 73. v. 189 *scr.* amat, recte ualet;
— 88 *in var. script. add.* 341 aut *B* uerim *B*
— 91 *in var. script. lin. 2 scr.* reliqueres
— 99 *in var. script. add.* 610 propteruo
— 102. v. 654 *scr.* Improbis cum improbus
v. 666 *scr.* tristisque esse conspicor.
— 106. *in var. script. add.* 715 pistoclere.
— 122. v. 942 *scr.* Mnesilochus est
in var. script. ad 943 *add.* His *B*
— 129. v. 1065 *scr.* ueluti
— 131 *in var. script. lin. 1 scr.* Relicum
— 135. v. 1139 *scr.* haec, *et in var. script. add.* 1139 hae
— 138 *ante* v. 1174 *scr. cursivis litteris: Bacchis A*
— 139. v. 1182 *scr.* nihil
— 151. v. 94 *scr.* est captus [in] Alide
— 169. v. 416 *scr.* adimat; quasi seruos meus esses, nihilo
v. 417 *scr.* semper *tu* fuisti
in var. script. 416 adimat nam si seruus 417 tu *om.*
— 174. v. 526 *scr.* [Qua
— 175. v. 551 *scr.* Quid tu autem?
— 200. v. 921 *unci deleantur.*
— 206 *in var. script. lin. 1.* 1015 TY. *om.*
— 224. v. 158 *scr.* forium
— 230. v. 230 *scr.* Quis *et in var. script. ad* 230 *add.* Qui
— 234. v. 298 *scr.* Proinde
— 253. v. 577 *scr.* meae *et in var. scr. add.* 577 me
— 263. v. 701 *scr.* Qui promisi?
— 270 *lin. 17 add.* Maiore iure Aulularia ad Menandrum auctorem referri possit. Nam fieri potest, ut eo spectent Choricii verba ex oratione de mimis, quam nuper edidit Ch. Graux in Revue de philologie 1877 p. 228 sq. *ἢ καὶ τῶν Μενάνδρῳ πεποιημένων προσώπων Μοσχίων μὲν ἡμᾶς; παρασκεύασε παρθένου; βιάζεσθαι, Χαιρέστρατος; δὲ ψαλτρίας; ἰδεῖν, Κνήμων δὲ δυσκόλου; ἐποίησεν εἶναι, Σμικρίνης; δέ φιλαργύρου; ὁ δεδιὼς; μή τι τῶν ἴνδον ὁ καπνὸς οἴχοιτο φέρων;* cum quibus comparari debet Aululariæ v. 292. Quamquam

similia hæc potius quam eadem sunt, nec quidquam impedit, quo minus Menander aut alius quis alteram de avaro homine fabulam scripserit, eumque non Euclionem appellaverit, sed Smicrinem, i. e. *μικρολόγον*, quo nomine Menander etiam in aliis fabulis usus est.

Pag. 287 *lin.* 4. 148 ⏑ — — ⏑ — — — ⏑ ⏑ — — —

— 290. *ad* v. 148 *lin.* 18 *scr.* In D et I excidit versus; Wagner. pro spurio habuit. *Cetera deleantur.*

— 294. *ad* v. 200 *add.* Alia conantur Lipsienses in Analectis Plautinis, Schöll. p. 29: „salua mist, quia non perit" aut „saluos sum, quia non perit", Götz. p. 79: „saluomst signum; nil perit".

— 306 *ad* v. 307. Studemundum voluisse: „adeo parcum et miserum", testatur Seyffert. Stud. Plaut. p. 9.

— 319 *ad* v. 407. *add.* Pro „clamas" in B „damas" legi testatur Lorenz.

— 342 *ad* v. 607 *add.* FIDE dativo casu extat in titulo C. I. L. I, 170.

— 379 *lin. extr.* Schöll. Anal. Plautin. p. 51 maluit: „rogas, homo adulescentulus".

— 388 *ad* v. 153 *add.* Linum comoediam scripserat Alexis, v. Athen. IV, 164 b.

— 392 *lin.* 2 *sq.* His dudum impressis editæ sunt Commentationes philologæ in honorem Th. Mommseni, ubi Studemundus p. 800 affirmat in didascalia illa, quam Stichi esse egregie probat, clare legi T. PUBLILIUS PELLIO

— 398 *lin.* 19 *add.* Plin. Hist. nat. XXXV, 11, 40, 132: „(Niciæ) Ephesi est Megabyzi sacerdotis Ephesiae Dianae sepulcrum".

— 421 *lin.* 19 *add.* vid. Oversigt over det kgl. danske Videnskabernes Selskabs Forhandl. 1878, 1.

— 478 *lin.* 9 *add.* Forfices tonsoris arte figlina expressas vid. Archäol. Zeit. 1875 tab. 14. Quæ apud Aristophanem Ach. 849 commemoratur *μία μάχαιρα* nimis obscura est.

— 496 *lin.* 16 *post* „quod" *add.* Fragmentum codicis Ottoboniani, quod edidit Götz. Anal. Plaut. p. 88, codici I ita similis ut eius fons videri possit, emendationi hoc deberi ostendit, nam habet „quod".

— 490 *ad* v. 482 *add.* Terent. Andr. 332. Phorm. 406. 412. Turpil. 10, quæ omnia Götzius Anal. Plaut. p. 100 sq. corrigere conatur; numeros quidem non meliores reddidit, quod Capt. 482 et Andr. 332 versus in duos iambos exeuntes reposuit.

— 495 *lin.* 4 *add.* Thucyd. I, 132, 6: *Παιδικά ποτε ὢν αὐτοῦ καὶ πιστότατος ἐκείνῳ.* Plutarch. Cleom. 34, 2: *τὰ δὲ πράγματα ποθεῖν αὐτὸν καὶ παρακαλεῖν ἐκεῖνον.*

— 528 *lin.* 11 *add.* Græcum vermis nomen fuit *σκώληξ*, cf. Anaxilas apud Athen. VI, 254 c. Meinek. Fr. Com. III, p. 353:

Οἱ κύλακές εἰσι τῶν ἐχόντων οὐσίας
σκώληκες. εἰς οὖν ἄκακον ἀνθρώπου τρόπον
εἰσδὺς ἕκαστος ἐσθίει καθήμενος
ἕως ἂν ὥσπερ πυρὸν ἀποδείξῃ κενόν.
ἔπειθ' ὁ μὲν λέμμ' ἐστιν, ὁ δ' ἕτερον δάκνει.

— — *lin.* 4 *ab imo add.* ante 364 fieri potest ut aliquid exciderit.

— 558 *ad* v. 402 *add.* Cicer. de Finib. III, 21, 70: „nec iustitia nec amicitia esse omnino poterunt, nisi ipsa per se expetuntur".

MAY 1 4 1943